



TRACTATUS

DE

BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

CAROLI GAGLIARDI

OLIM IN REGIO NEAPOLITANO ARCHI-GYMNASIO IURIS CANONICI
PROFESSORIS IN CATHEDRA DECRETI DEIN EPISCOPI MURANI

CUM ANIMADVERSIONIBUS ATQUE ADDITAMENTIS

IOSEPHI ROMANI

OLIM UTRIUSQUE IURIS ANTECESSORIS ET IN ARCHIEPISCOPALI NEAP. LYCEO
EIUSDEM CATHEDRAE SUBSTITUTI
NUNC
EPISCOPI S. ANGELI LOMBARDORUM ET BISACCIEN

Editio altera auctior et emendatior

TOMUS UNICUS





NEAPOLI
EX TYPOGRAPHEO AD SIGNUM ANCHORÆ

MDCCCLII

CULTORIBUS SACRAE IURISPRUDENTIAE

IOSEPHUS ROMANUS

Quum iamdiu eo intendissem animum, ut ecclesiasticae Iuventuti in studiis sacrorum Canonum pro meis viribus opitularer, post editas *Iulii Laurentii Selvagii Institutiones* multis additamentis locupletatas, illuc converti curas, ut Iuris Canonici partes ad praesentem fori statum maxime necessarias evolvendas susciperem, novisque auxiliis adolescentes praesertim clericos communirem. Inspectis autem argumentis, quae propius ad rem iudiciariam pertinent, duo potissimum, de Iure nempe patronatus, et de beneficiis se mihi deligenda, et expolienda obtulerunt. Hunc igitur aggressus laborem ad communem utilitatem *Commentarium Caroli Gagliardi de Iurepatronatus* plerisque illustrationibus exornatum typis recudendum curavi. Hac itaque editione ab adolescentibus Iurisprudentiae incumbentibus benigne excepta, eiusdem Cl. Viri *Tractatum de Beneficiis*, quae nunc potissima ecclesiastici Fori pars est, praelo commisi. Idcirco autem hunc Auctorem proponendum selegi, quod prae sexcentis optimae notae Scriptoribus, qui utriusque Iuris consultissimi in hac sparta ornanda desudarunt, atque doctissima Commentaria scripserunt, eum excolendae Iuventuti opportuniorem esse censui.

Iamvero quousque Ethnici in Christianam Religionem immanissime saevierunt, praedia, quae Christifideles passim Eccle-

siae offerebant, haud magna fuisse compertum est. At cum pax diu exoptata sub Constantino Imperatore illi affulsit, permulta bona et Principum munificentia, et fidelium liberalitate ipsi Ecclesiae obvenerunt tum ad Templi Dei decorem promovendum, tum ad alimenta sacra munia peragentibus praestanda, tum denique ad pauperum inopiam per Clericorum ministerium sublevandam. Quo factum est, ut Res Beneficiaria novam veluti faciem induerit, novisque legibus creverit. Etenim labentibus saeculis Ecclesiae Moderatores permulta sanxerunt, quae non solum beneficiorum naturam, proprietates, erectionem, consociationem, ac divisionem, verum etiam iura, et officia iis adnexa, nec non caussas, quibus illa amittantur, respiciunt. His accesserunt innumerae Principum leges ad ipsius Ecclesiae utilitatem latae, quum eorum sit Fidem, et ecclesiasticam disciplinam, quae candore, et puritate sua animos percellit, pro virili tueri, atque eorum intersit, ut Imperium cum Sacerdotio amice conspiret, et D. O. M. auxilio suffultum efflorescat. Quamobrem in sanctiones de ecclesiasticis beneficiis tot virorum doctissimorum commentaria, interpretationes, tractatus ad gravissimas controversias dirimendas in lucem prodierunt.

Verum ex Scriptoribus, qui hactenus Canonicae Iurisprudentiae interpretandae operam dederunt, alii doctrinam universam de beneficiis ieiune, atque exiliter tradiderunt, alii in hac materia pertractanda tam late pervagati sunt, ut inutiles prorsus, ac molestas rerum expositiones persequendo, ingenti librorum mole tyrones opprimerent, fastidiumque sine operae pretio crearent: nonnulli vero, si Nostrates excipias, in id studium minime incumbuerunt, ut ea attingerent, quae ad Neapolitani huiusce Regni politiam pertinent. Contra Carolus hic Noster, acri, ut erat ingenio, scribendi rationem delegit, quae nec sicco genere exaresceret, nec redundanti copia superbiret, sed memor illius praecepti, quod Tullius (1) mandavit: *omnia facile discuntur, si tantum sumas quantum opus sit*, Rem Beneficiariam universam, ut subiecta materia postulabat, paucis uno sub adspectu incolumi claritate proposuit.

Itaque istud scripturae genus Iuventuti maxime profuturum ratus, ex pubblici Iuris scitis, Sacerdotii, et Imperii fines distinguens, non luxuriantem eruditionem congessit, nec rebus criticis nimium indulsit, sed e purioribus fontibus haustas genui-

(1) De Orat. III. 23.

nas canonum sententias, eorumque rationes, et variationum caussas mira dexteritate, atque sapientia investigans, tanta perspicuitate, et facilitate enucleavit, ut vel mediocribus ingeniis pateant. Nec patrios usus, receptosque apud nos in hac re mores egregius ille Doctor neglexit: sed omnes leges, constitutionesque, necnon Ecclesiarum consuetudines recensendo, universam beneficiorum disciplinam, quae ad suam usque aetatem in Regno Neapolitano obtinuerat, pleno, absolutoque labore complexus est.

Tanto operi ea desunt dumtaxat, quae sequens aevum pro rerum vicissitudine, ac temporum varietate vel abrogavit nova instituens, vel derogavit. Ut igitur in hoc eximio Caroli Gagliardi tractatu nihil desideretur, utque adolescentes, qui ad Iuris Ecclesiastici scientiam adipiscendam accedunt, omnia, quae ad hanc rem nostram pertinent in promptu habeant, ea singula, quae de beneficiis Iure novissimo in Ditionibus citra Pharum statuta, invectaque sunt, in additionibus colligenda duxi.

Accipite igitur, adolescentes optimi, Tractatum istum pluribus incrementis auctum, ex quo penitiorem de Re beneficiaria intelligentiam assequuti, magno Ecclesiae, et Reipublicae bono vosmetipsos ad sacra munia sustinenda aptos exhibeatis. Valete.



DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS

In authenticis Iuris Canonici voluminibus titulus hic, etsi haud extet inscriptus, eamdem nihilominus materiam continet, quam rubrica V. libri III, Decretalium *de praebendis*, *et dignitatibus*. Namque *beneficium* heic non accipitur (1) latissime pro quolibet *benefacto*, quo amicos vel parare, vel colere solemus (2), nec pro *privilegio* (3), nec pro *feudo* (4), nec per antiphrasim (5) pro *maleficio*, et *culpa:* sed utique pro iure percipiendi redditus ecclesiasticos, vel stipendia clericalia propter spirituale officium, nedum recitandi horas canonicas, sed Missas etiam celebrandi, Ecclesiae inserviendi, aliudve ministerium spirituale obeundi. *Quis enim militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat? Numquid secundum hominem haec dico? An et lex haec non dicit? Scriptum est enim in lege*

(1) Aristotel. *lib.* II. *topicor. cap.* 17 ait: *Considerare quot modis quidque dicatur, utile est ad perspicuitatem: facilius enim intelligit quispiam quid ponit, si explanatum fuerit, quot modis dicatur.*

(2) Seneca *lib.* 1. *de benef. cap.* 6. dicit *beneficium esse benevolam actionem, quae gaudium, vel honorem tribuit accipienti.*

(3) Quo sensu Bonifacius VIII. in *cap.* 16. *de regulis iuris in* VI. ait: *decet concessum a Principe* beneficium *esse mansurum.* Et facultas respondendi de iure a Principe alicui largita *beneficium* dicta est in *l. Neratius* 191. *D. de reg. iur.*, et a Iustiniano in §. 6. *Inst. de hered. qualit.* dicitur Hadrianus *speciali beneficio* praestitisse cuidam 25. annis maiori veniam aditae hereditatis.

(4) Huiusmodi significatio frequentissime usurpatur in libris feudorum, qua retenta S. August. *serm* 1. *in vig. Pent.* inquit: *Notum est, quod milites saeculi* beneficia *temporalia a temporalibus dominis accepturi prius militaribus sacramentis obligantur, et dominis suis fidem se servaturos profitentur.*

(5) Ulp. in *l. ex damni* 40. §. 2. *D. de damno infecto, et suggrundis*. Si quia alter *communem parietem presserat*, vel *oneraverat, idcirco damnum contigit: consequens est dicere detrimentum hoc, quod* beneficio *eius contigit ipsum sarcire debere.* Itidem *in l. inter omnes D. de furtis* res dicitur *beneficio furis* abesse.

Moysis (1): non alligabis os bovi trituranti. *Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt: quoniam debet in spe, qui arat, arare; et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus? Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altare participant? Ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere.* Hucusque Apostolus (2).

Quoniam vero multiformis pro temporum varietate successit ecclesiastica disciplina tam alendi ministros altaris, et clericos, quam proventus Ecclesiae administrandi, et pauperibus dispensandi: tot tantaeque vicissitudines constitutionum, et morum prodiere, ut hanc beneficiorum materiam quammaxime involutam, obscuramque effecerint. Quo tamen facilior ea cognitu fiat, studiosis tyronibus potiores regulas ad beneficiariam rem attinentes pro viribus satagam ex voluminibus Iuris pontificii tam vetusti, quam recentioris, ex Regulis Cancellariae, ac praxi Curiae Romanae, aliarumque fori ecclesiastici conquirere, et maiori, qua potero, perspicuitate simul, ac brevitate exponere in sequenti capitulorum serie.

Primum equidem de origine, et progressu ecclesiasticae pecuniae, ac beneficiorum dicere instituo. Deinde quid, et quotuplex sit beneficium, edisseram. Mox quomodo fundentur, et erigantur, deque illorum qualitatibus, reservationibus, et affectionibus. Dein de personis, quae illa conferunt, et quibus conferuntur. Post de collatione, eiusque formis: de precum veritate, subreptione, et obreptione in impetrationibus: de clausulis, et exequutione Litterarum Apostolicarum. Tum de possessione, ac sequestro, de fructibus, ac spolio. Ad extremum de modis, quibus amittuntur, et vacant.

CAP. I.

De origine beneficiorum.

I. Oblationes fidelium Christus Dominus in loculis apostolicis servavit.

II. In communi vivebant credentes in Ecclesiae incunabulis, et offerebant collectas ex bonis suis pecunias in manus Apostolorum, et sacerdotum.

III. Diaconos ad eas administrandum praeposuerunt quum Apostoli, tum successores Episcopi.

IV. Distributio sacris ministris, et pauperibus fiebat ad mensuram laboris, et necessitatis.

V. Superfluentes in una Ecclesia oblationes aliis egentibus Ecclesiis dispensabantur.

(1) Deuteronom. *cap.* 25. *vers.* 5.
(2) Epist. 1. ad Corinth. *cap.* 9. *vers.* 7. *ad* 15. eademque fere scripsit is Timotheo discipulo suo Ephesi Episcopo *epist.* 1. *cap.* 5. *vers.* 18. ex idolothytis haec scribendi occasionem nactus.

VI. Ut ecclesiasticos thesauros diriperent, persecutionum aevo Principes plerumque martyrio christicolas affecerunt.

VII. A communi domo, et vita Clerici paulatim declinantes sportulas suas in pecunia maluerunt.

VIII. Praedia, et proventus immobilium adquiri Ecclesiis non ferebant persecutiones tyrannorum, nec Principum leges.

IX. Tertio tamen saeculo bona immobilia Ecclesiae nancisci moribus coeperunt.

X. Constantinus M. primum Ecclesiis indulsit publicam facultatem bona possidendi.

XI. Pro submovendis autem fraudibus clericorum viduas, et pupillos circumvenientium in auferendis eorum bonis opportunae leges fuerunt editae.

XII. Atque inofficiosas bonorum dispositiones in Ecclesiae favorem exheredatis liberis SS. Patres maxime detestabantur.

XIII. Usque ad saeculum quintum benefactoribus non permissum praescribere pium aliquod onus, quod explere sacri altaris ministri cogerentur.

XIV. Vetusta clericorum vita communis ferme non alia erat, quam hodierna Regularium.

XV. Nullus Ordinibus ecclesiasticis initiabatur, nisi ad inserviendum certae Ecclesiae perpetuo addiceretur.

XVI. Ob iniustam Episcoporum administrationem, oeconomi de clero in singulis Ecclesiis quinto saeculo constituti.

XVII. Tum quatuor in partes divisio proventuum ecclesiasticorum imperata.

XVIII. Pauperum, et fabricae portiones ipsis Episcopis, et ecclesiasticis personis relictae cum onere administrandi fuere.

XIX. Sexto circiter saeculo Episcopi simul, et clerici ad suam derelinquendam Ecclesiam bellorum frequentium devastatione coacti, aliis Ecclesiis primo vacantibus incardinari coeperunt.

XX. Sensim hinc Ordinum collatio a collatione praebendarum seiuncta, et ordinatio clericorum sine titulo Ecclesiae irrepsit.

XXI. Eodemque tempore praedia Ecclesiarum concessa clericis praesertim benemeritis, et pauperibus ad usumfructum.

XXII. Peculiares praeterea oblationes singulis Ecclesiis etiam presbyteralibus, earumque ministris attributae, soluto dumtaxat Episcopis iure cathedratico.

XXIII. Nono saeculo usurpatum est in Ecclesia beneficii vocabulum, ut significaret praedium Ecclesiae ad usumfructum, alicui beneficentia Episcopi concessum.

XXIV. Concessum semel beneficium, mortuo beneficiario, poterat olim Episcopus vel alteri conferre, vel Ecclesiae incorporare.

XXV. Laici interea potentes sacrilegam potestatem quum dispo-

nendi de praediis, et beneficiis ecclesiasticis, tum Ecclesias ipsas conferendi attentarunt sibi vindicare.

XXVI. Eliminatis laicorum usurpationibus, plurimae prodierunt sanctiones, et Regulae Cancellariae novam beneficiorum disciplinam complectentes.

XXVII. Dignitates omnes, et praebendas lata beneficii acceptio complectitur, quas officium modo superius, modo inferius distinguit.

XXVIII. Ministerium, seu officium singulis ecclesiasticis revocabiliter olim arbitrio Episcopi demandabatur: deinde concessum in titulum perpetuum, et irrevocabile.

XXIX. Plures dignitates, et gradus beneficiorum, et praebendarum instituti sunt ad conservandam, et augendam Ecclesiae disciplinam.

I. Ex Iure divino pecunia Ecclesiae, Resque beneficiaria primaevam traxit originem: ex moribus deinde, et constitutionibus quum novae, tum veteris disciplinae paulatim adolevit, excrevitque. Apostolis quidem, ac discipulis Christus Dominus praecepit (1), ne portarent sacculum, neque peram, neque calceamenta; sed manerent in quacumque domo edentes, et bibentes, quae apud illos sunt: *dignus est enim*, ait, *operarius mercede sua.* Et rursus: *nolite soliciti esse animae vestrae quid manducetis, neque corpori quid induamini: haec enim omnia gentes mundi quaerunt. Pater enim vester scit, quoniam his indigetis. Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis. Vendite quae possidetis, et date eleemosynam. Facite vobis sacculos, qui non veterascunt* (2). Ad suam nihilominus informandam Ecclesiam ipsemet Dominus, cui ministrabant Angeli, pecuniam, aliaque a fidelibus oblata conservari iussit, et exportari per Iudam Iscariotem loculos habentem, ut indigentiis suorum discipulorum, et pauperum humanitus consuleret (3). *Exemplum Domini*, ait Augustinus (4), *accipe conversantis in terra. Quare habuit loculos, cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? Quare furem admisit, nisi ut eius Ecclesia fures patienter toleret?* Tunc igitur primum ecclesiasticae pecuniae formam fuisse institutam, quum haberet Dominus loculos, et a fidelibus oblata conservans, et suorum necessitatibus, aliisque indigentibus tribuens, expressit idemmet S. Pater (5).

II. Apostolorum aevo in Ecclesia Hierosolymitana *multitudinis credentium erat cor unum, et anima una: nec quisquam eorum, quae possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Nec quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes offerebant, si vellent, pretia eorum, quae vendebant, et ponebant ad pedes Apostolorum: dividebat autem singulis, prout cuique opus*

(1) Lucae *cap.* IX., *et* X. *vers.* 4. — (2) Lucae *cap.* XII. *vers.* 33.
(3) Ioannis *cap.* XII. *vers.* 5. *et* 6.
(4) S. August. in *can. exemplum* 12 *C.* 12. *q.* 1.
(5) Idem in *can. habeat* 17. *eadem C. et qu.*

erat (1). Hierosolymis itaque credentes fere omnes communiter convivebant. Secus vero in aliis Ecclesiis; propterea quod multiplicato fidelium numero universalis bonorum temporalium communitas inter laicos retineri nequisset, qui suis in domibus cum familia commorantes privatis sumptibus alebantur vel de reddita bonorum, quae possidebant, vel de labore manuum suarum (2). Singulis tamen diebus congregabantur omnes, et offerebant sigillatim Ecclesiae, quod unusquisque collegisset, et insimul orabant, sacrisque vacabant (3).

III. Collectas Hierosolymis oblationes parum temporis administrarunt

(1) Actor. *cap.* IV. *vers.* 32 *ad* 35. Ad vendendum vero, et offerendum Apostolis pretia rerum suarum cogebatur nemo: sed sua quisque sponte vel retinebat sibi, vel Ecclesiae donabat, ut liquet ex B. Petri Apostolorum Principis oraculo, qui Ananiae, et Saphirae coniugum voluntarium fraudem, et mendacium damnavit, et subita morte punivit, inquiens: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui S.*, et fraudare de pretio agri? *Nonne manens tibi manebat, et venundatum in tua erat potestate?* Actor. *cap.* V. *vers.* 3.

(2) Paullus hinc Timotheo scripsit *epist.* 1. *cap.* 5. *vers.* 16: *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis, et non gravetur Ecclesia, ut iis, quae verae viduae sunt, sufficiat.* Quibus ex verbis patet universos fideles Ephesi non vixisse communem vitam. Communem vivendi formam aevi apostolici speciatim amplexi fuere olim haeretici *Apotactitae*, *Encratitae*, et *Apostolici*, qui maiorem in Ecclesia Christi perfectionem affectantes compellebant homines ad omnium rerum abdicationem, perfectamque communionem eo pacto, ut nemini aliquam in hoc mundo rem, tamquam propriam possidere permitterent. Effutiebant enim impossibile esse divitibus, et res temporales possidentibus intrare in regnum coelorum. *Apotactitae* dicebantur, scilicet renunciantes mundo, a verbo graeco ἀποτάττειν, quod significat *renuncio*. *Apostolici*, quia vitam apostolicam imitari iactabant. *Encratitae* demum, idest *continentes*, seu *temperantes*, a verbo greco ἐγκρατεύειν, idest *contineo*. De quibus ita S. August. de *haeresib. cap.* 40. Apostolici, *qui se isto nomine arrogantissime vocaverunt, eo quod in suam communionem non reciperent utentes coniugibus, et res proprias possidentes. Sed ideo isti haeretici sunt, quoniam se ab Ecclesia separantes nullam spem putant eos habere, qui utuntur his rebus, quibus ipsi carent.* Encratitis *isti similes sunt: nam et* Apotactitae *appellantur*. De iisdem agit etiam S. Epiphanius *haeres.* 61. *num.* 4. Eumdem Apostolicorum errorem secuti sunt *Eustatiani*, quos damnavit Synodus Gangrensis circa ann. 340. coacta Gangris in Paphlagonia in Dioecesi Ponti Polemoniaci, quae nunc Turcis dicitur Kiongat, Binghamus *tom.* VII. *orig. eccles. lib.* XVI. *cap.* 12. §. 1. In eos poenae haeresis promulgatae sunt in *l.* 7. *Cod. Th. de haereticis.*

(3) *De collectis, quae fiunt in Sanctos*, scripsit idem Apostolus *epist.* II. *ad Corinth.* 16: *sicuti ordinavi Ecclesiis Galatiae, ita et vos facite. Per unam sabbathi unusquisque vestrum apud se ponat, recondens quod ei bene placuerit, ut non cum venero, tunc collectae fiunt. Cum autem praesens fuero, quos probaveritis per epistolas, hos mittam perferre gratiam vestram in Ierusalem.* Fleury *lib.* 1. *hist. eccles. num.* 47. opinatur collectas has in locum illarum auri oblationum successisse, quas ex provinciis omnibus ad Ierosolymitanum templum transmittebant Hebraei, de quibus sic tradit Cic. in *orat. pro L. Flacco. Cum autem Iudaeorum nomine quotannis ex Italia, et ex omnibus vestris provinciis Hierosolymam exportari soleret? Flaccus sanxit edicto, ne ex Asia exportari liceret. Quis est, iudices, qui non hoc vere laudare possit? Exportari aurum non oportere, quum saepe antea Senatus, tum me Consule, saepissime iudicavit. Huic autem barbarae superstitioni resistere, severitatis, multitudinem Iudaeorum flagrantem nonnumquam in concionibus pro republica contemnere, gravitatis summae fuit.*

Apostoli (1); donec scilicet diaconos elegerunt, viros boni testimonii constitutos super opus ministrandi mensis, tamquam peculiares collectarum administratores. Tum in ceteris pariter Ecclesiis Apostoli, eorumque Successores ordinarunt nedum presbyteros, verum etiam diaconos, ut Episcopi liberius praedicationi, sacraeque liturgiae vacarent: cura oblationum, mensae communis, et pauperum diaconis demandata, qui singulis clericis, et pauperibus necessaria vitae alimenta suppeditabant ex communibus proventibus sine ulla superfluitate iuxta illud Apostoli: *habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus. Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia, et nociva, quae mergunt homines in interitum, et perditionem* (2).

IV. Quapropter non aequalis arithmetice fiebat distributio, sed ad proportionem inaequalis et laboris, et personarum necessitatis, Apostolo sic praecipiente: *Qui bene praesunt presbyteri, duplici honore digni habeantur, maxime qui laborant in verbo, et doctrina* (3). Quandoquidem maiorem laborem exantlantes maiori opus habent alimonia, atque adiumento. Hinc constitutum, ut ubi agapes, seu sacras epulas laici spontanee pararent, suam Episcopo absenti servarent portionem; necnon cantoribus, lectoribus, ostiariis: diaconis vero, et presbyteris praedicationi strenuam operam navantibus duplices sportulas seponerent.

V. Sicubi tamen in una Ecclesia oblationes redundarent, aliis pauperioribus Ecclesiis quoque dispensabantur. Sancti Petrus, Iacobus, et Ioannes, ut divos Paulum, et Barnabam Evangelii consortes acceperunt, iisdem ad varia Orbis loca dimissis commendarunt eleemosynas colligere pro Ecclesia Hierosolymorum: pro qua collectas iam egisse Macedoniae, et Achaiae innuit idemmet Apostolus doctor gentium (4). Eiusdem collationis momiuit Corinthios adhortando, ut pararent repromissam benedictionem pro pauperibus Hierosolymorum (5). Compertum praeterea habetur Prophetam Agabum Antiochiae famem magnam praedixisse futuram in universo terrarum orbe: *Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt singuli in ministerium mittere habitantibus in Iudaea fratribus: quod et fecerunt mittentes ad seniores per manus Barnabae, et Sauli* (6). Romana Ecclesia christianis per diversas provincias ad fodienda metalla, ceterasque poenas exolvendum damnatis pecuniam transmittere non omisit: quippe quae inter ceteras Ecclesias amplissimis affluebat oblationibus. Quumque a Marcione circa annum 170. oblata semel quinquo millia aureorum accepisset: eidem ab orthodoxa fide recedenti totam illico pecuniam restituit, abhorrens bona haeretici, tamquam coinquinata.

VI. Principes idcirco infideles, post Commodi Imperatoris mortem anno 192. sequutam, ad Ecclesiam Christi persequendam saeculo III. ob id potissimum incendebantur, ut divitias christianorum sibi usurparent, pecuniarum vel cupidi, vel indigentes. Id quod satis liquet ex divi Laurentii, quem S. Xystus II. diaconum suum Romae ordinaverat, martyrio in

(1) Actor. *cap.* II. *vers.* 45., *et cap.* IV. *vers.* 55.
(2) 1. *Ad Timotheum cap.* VI. *vers.* 8.
(3) Cit. *epist.* 1. *ad Timoth. cap.* 5. *vers.* 17.
(4) Ad Rom. *cap.* V. *vers.* 25., *et sequ.*
(5) *Epist.* II. ad Corinth. *cap.* 9. *vers.* 5.
(6) Actor *cap.* XI, *vers.* 29. et 30.

persecutione Decii Imperatoris peracto an. 258. Inhianti enim impio persecutori thesauros Ecclesiae, illosque efflagitanti, sanctus diaconus, qui antequam vinculis manciperetur, prudentissime eos expenderat in pauperes, ostendit ipsorum pauperum greges, in quorum victu, ac vestitu incolumes ab omni periculo condiderat facultates.

VII. Quo autem tempore divites erant Ecclesiae, eodem clerici vitam aggressi sunt vivere lautiorem. Nam plures eorum fastidientes communem vitam, et mensam praeoptabant in privatis domibus morari, portionem communis pecuniae vel diurnam, vel mensurnam, vel diuturniorem a diaconis Episcopo mandante accipientes: quum adhuc obventiones in mobili tantum pecunia consistentes ab Episcopis per diaconos administratae perpetuam divisionem non admisissent. Hinc Tertullianus, qui floruit circa annum 200. ait in apologetico (1): *Omnia indiscreta sunt apud nos praeter uxores; in eo loco consortium solvimus, in quo solo ceteri homines consortium exercent.* Quibus verbis refellit Nicolaitas, discipulosque Carpocratis, et Epiphanis, qui communes mallebant mulieres, non aliter, quam cetera bona. S. Cyprianus autem loquens de mensurna divisione proculdubio sensit de pecuniaria: quum erogari singulis mensibus nequeant esculenta, quae praestantur quotidie (2). Idemque sanctus Episcopus deplorat circa medietatem saeculi tertii inolitam clericorum corruptelam, qui dormitorium, et coenaculum commune fugiebant, arguens trucissimam Decii persecutionem Deo volente contigisse ad mores eiusmodi reformandos. Thomasinus (3) notat ex Tertulliano, Eusebio, et S. Cypriano distributiones fieri consuevisse modo in esculentis, modo in pecuniis. Ex B. Cypriano itidem notat Cironius fratres *sportulantes fuisse* appellatos, qui sportulas, seu alimenta, vel stipendia sportularum separatim accipiebant ab Eclesia (4). *Ut et sportulis iisdem cum presbyteris honorentur, et divisiones mensurnas aequatis quantitatibus partiantur*, ait S. Cyprianus (5). Quibus verbis S. Episcopus mandavit, ut Lectori Celerino, et Aurelio tribuerent mensurnas sportulas, et pecuniarum partes instar presbyterorum: pinguiores enim erant presbyterales, quam clericales sportulae, regulariter, ut supra meminimus.

VIII. Tyrannides interea persecutorum cum omnem Ecclesiis, et coetibus christianorum facultatem adimeret adquirendi, vel retinendi praedia, fixosque redditus, opes ecclesiasticae ideo consistebant in pecunia, rebusque pretiosis mobilibus. Quandoquidem collegia, et congregationes pro Religionis etiam intuitu improbabant omnino leges, ac submovebant: nisi auctoritas Principis, vel magistratus antea publicam facultatem concessisset ex lege Solonis (6).

IX. Sed postquam Valerianus Imperator post annum 254. captivus Adessae factus est per Saporem Persiae Regem, Gallieno eius filio Augusto

(1) Tertull. relatus a Romanis Correctoribus in *can. dilectissimi* 12. *qu.* 1.
(2) S. Cyprianus *lib.* V. *epist.* 5. 28, alias 34., et 66., alias 1.
(3) *Par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 12.
(4) Inn. Cironius in *paratitl. de praeb. et dign.*
(5) S. Cyprian. *cit. ep.* LXVI. *In honore* sportulantium *fratrum* (ait) *tamquam et decimas ex fructibus accipientes.*
(6) Eam recenset Caius Iureconsultus in *l. sodales* 4. *et ult. D. de collegiis, corporibus illicitis.*

regni curas negligente leges Romanas impune transgrediebantur praesertim in Italia, Gallia, et Africa. Intereaque non pauci praedia, aliaque stabilia Ecclesiis christianis legare, ac donare non dubitarunt. At ea postmodum ineunte saeculo IV, anno scilicet 302, fisco vindicavere Diocletianus, et Maximianus Imperatores in decima, et suprema Ecclesiae persecutione: excepta Gallia, ubi confiscationes exequi passus non est Constantinus Clorus Imperator, S. Helenae vir, qui christianos nil oderat, sed immo consilium eorum probabat, quod exulare, excruciari, et mori mallent, quam idolis contra conscientiam thurificare: ratus infidelem Deo servare fidem Principi suo non posse. Octoque post annos Maxentius Ecclesiae Romanae bona omnia restituit.

X. Tandem Constantinus Magnus, agnita Fidei christianae veritate, generalem edidit legem, qua pacem Ecclesiae universae tribuit, ac facultatem largitus est nedum Ecclesias publice construendi, et coetus fidelium in eisdem congregandi, ut sacris liturgiis, et orationibus inibi vacarent: sed adquirendi etiam quocumque titulo, et possidendi bona stabilia, quorum redditus clericis, et pauperibus alendis addicerentur, aliisque piis operibus explendis. Sic enim ipse rescripsit ad populum: *Habeat unusquisque licentiam sanctissimo catholico, venerabilique concilio decedens bonorum, quod optavit, relinquere. Non sint cassa iudicia. Nihil est quod magis hominibus debetur, quam ut supremae voluntatis, postquam aliud iam velle non possunt, liber sit stylus, et licens, quod iterum non redit, arbitrium* (1). Exinde multas opes, et amplissimas possessiones brevi compararunt Ecclesiae christianorum usque ad gentilium invidiam (2).

XI. Ad evellendas postea fraudes clericorum viduas, et pupillas circumvenientium, et donationes bonorum variis calliditatibus extorquentium, opportunae leges editae sunt. Etenim Imperatores Valentinianus I, Valens, et Gratianus ad Damasum Pontificem rescripserunt anno 320: *ut ecclesiastici viduarum, ac pupillarum domos non adeant, sed publicis exterminentur iudiciis, si posthac eos adfines earum, vel propinqui portaverint.* Censuerunt etiam, *ut memorati nihil de eius mulieris, cui se privatim sub praetextu religionis adiunxerint, liberalitate quacumque, vel extremo*

(1) Constantin. in *l. 4. Cod. Th. de Episc. et cler.*, *et. l. 1. C. de sacros. Eccl.*

(2) Id refert Ammianus Marcellus *lib.* 27. Gratianus autem in *can. futuram 15. C. 12 qu. 1.* haec habet: *Futuram in gentibus Ecclesiam Apostoli praevidebant, idcirco praedia in Iudaea minime sunt adepti, sed pretia tantummodo ad fovendos egentes. At vero, quum inter turbines, et adversa mundi succresceret Ecclesia, eo usque pervenit, ut non solum gentes, sed etiam Romani principes, qui pene totius orbis monarchiam tenebant, ad Fidem Christi concurrerent. E quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis adeptus licentiam dedit per universum orbem sub suo degentes imperio non solum fieri christianos, sed etiam fabricare Ecclesias, et praedia tribuere posse constituit. Ab illo tempore, et deinceps viri religiosissimi non solum possessiones, et praedia, quae possederant, sed etiam semetipsos Domino consecrarunt, aedificantes basilicas in suis fundis in honorem SS. Martyrum per civitates, ac monasteria innumera, in quibus coetus Domino servientium conveniret.* At canonem istum esse apocryphum, falsoque inscriptum Melchiadi Papae, qui sedit anno 312, satis indicant Romani Correctores, adnotantes modo relata verba omnia dumtaxat haberi in scripto de primitiva Ecclesia, et munificentia Constantini subnexo post decreta Melchiadis in collectione Isidori mercatoris octavo saeculo compacta.

iudicio possint adipisci: et omne in tantum inefficax sit, quod alicui horum ab his fuerit derelictum, ut nec per subiectam personam valeant aliquid vel donatione, vel testamento percipere. Quin etiam si forte post admonitionem legis eiusmodi aliquid iisdem eae foeminae vel donatione, vel extremo iudicio putaverint relinquendum: id fiscus usurpet (1). Cuiusmodi legem B. Hieronymus aperto fatetur editam fuisse pro submovendis fraudibus clericorum inhiantium bona viduarum, et pupillarum (2). Sub Valentiniano II, Theodosio, et Arcadio, anno circ. 390. insuper Tatiano Pr. Pr. rescriplum, ut *vidua annorum sexaginta, quae transferretur ad diaconissarum consortium, nihil de monilibus, et suppellectili, nihil de auro, argento, ceterisque clarae domus insignibus sub religionis defensione consumat: sed universa integra in liberos, proximos, vel in quoscumque alios arbitrii sui existimatione transcribat: ac si quando diem obierit, nullam Ecclesiam, nullum clericum, nullum pauperem exscribat heredes. Careat namque necesse est viribus, si quid contra vetitum circa personas specialiter comprehensas fuerit a moriente confectum* (3). Sed paucos post menses idem Valentinianus eidem praefecto rescribens, praedictam legem de diaconissis, vel viduis promulgatam statuit: *ne quis videlicet clericus, nec sub Ecclesiae nomine mancipia; supellectilem, praedam velut infirmi sexus despoliator invaderet, et remotis adfinibus, ac propinquis ipse sub praetextu catholicae disciplinae se ageret viventis heredem: satenus maluit esse revocatam, ut de omnium chartis, si iam nota esset, auferretur; nec quisquam aut litigator ea sibi utendum, aut iudex noverit exequendum* (4).

XII. Interim S. Augustinus inter alios Patres detestari non omisit corruptelam bona legandi, et relinquendi Ecclesiae, posthabitis, exheredatisque liberis, sic inquiens: *Quicumque vult exheredato filio heredem facere Ecclesiam, quaerat alterum, qui suscipiat, non Augustinum; immo Deo propitio nullum inveniet* (5). Verum non renuebat S. Episcopus partem virilem accipere, inquiens: *Si quis irascitur filio suo, et moriens exheredat eum, si viveret, non eum placarem? non ei filium reconciliare deberem? quomodo ergo cum filio suo volo ut habeat pacem, cuius appeto hereditatem? Sed plane sic faciat, quod saepe hortatus sum: unum filium habet, putet Christum alterum; duos habet, putet Christum tertium; decem habet, Christum undecimum faciat, et suscipio* (6).

XIII. Largiebantur autem Ecclesiis saeculo etiam quarto, et quinto oblationes, et pecuniarum, et praediorum sine ullo peculiari onere missa-

(1) Valentin. I. Valens, et Gratian. in *l.* 20. *C. Th. de Episcop. et cler.*

(2) S. Hieron. *ep.* 2. ad Nepotianum, *pudet dicere*, ait, *sacerdotes idolorum, mimi, et aurigae, et scorta hereditates capiunt, solis clericis, ac monachis hac lege prohibetur: et prohibetur non a persecutoribus, sed a principibus christianis. Nec de lege conqueror, sed doleo, cur meruerimus hanc legem. . . Provida, severaque legis cautio: et tamen nec sic refroenatur avaritia. Per fideicommissa legibus illudimus; et quasi maiora sint Imperatorum scita, quam Christi leges timemus, et Evangelium contemnimus.*

(3) Valentin. II. Theod., et Arcad. in *l.* 27. *C. Th. eodem tit.*

(4) Valentinianus Veronae rescribens in *l.* 28. *eodem tit.*

(5) S. Augustinus in *c. quicumque vult.* 43. *C.* 17. *qu.* 4. Quod infra fusius explicabitur *cap.* XVIII. *num.* 5. *et seq.*

(6) Idem *in can. si quis irascitur* 8. *C.* 13. *quaest.* 2.

rum, vel fabricae construendae, vel eleemosynarum, dicatas tamen divino cultui ad universitatem piorum operum, alimoniae praesertim clericorum et pauperum arbitrio Episcopi dispensatoris Et nemo adhuc clericorum, vel pauperum sibi aliquid privatim peculiari iure adrogabat: sed omnes proventus communiter impendebantur secundum regulam Apostolorum. Antiochena Ecclesia ter mille pauperes alebat, et ultra, ut aevo suo refert B. Chrysostomus (1). Actius Episcopus Constantinopolitanus (sub Theodosio iuniore anno 405. vivente adhuc B. Chrysostomo exule) pecuniam pubblicam suppeditabat Ecclasiae Nicoenae in Bitynia, ad quam innumeri pauperes fluebant, unoque die recensiti decem mille fuerunt (2). Romana Ecclesia sub Cornelio Pontifice mille quigentos homines ex infirmis, peregrinis, vinculisque mancipatis alebat, praeter clericos (3).

XIV. Clerici ob id privatim nil possidentes canonicam vitam servabant in communi substantia, in communi obedientia, in communi dilectione, non aliter quam hodie nunc viget in coenobiis, conventibus, et monasteriis Regularium. *Si ego*, aiebat S. Hieronymus, *pars Domini sum, et funiculus hereditatis eius, nec accipio partem inter ceteras tribus; sed quasi levita, et sacerdos vivo de decimis, et altaris oblatione sustentor: habens victum, et vestitum, his contentus ero, et nudam crucem nudus sequar* (4). Nemo ad clericatum promovebatur, nisi communem vivendi formam profiteretur. *Cum nostrae congregationis fratres, non solum facultatibus, sed voluntatibus propriis in ipsa Ordinationis susceptione renunciaverint, et se per promissam obedientiam penitus aliorum potestati, et imperiis in Christo, et pro Christo subdiderint: certum est eos nihil habere, possidere, dare, vel accipere debere sine superioris licentia*, scribit S. Augustinus (5).

XV. Ordinabantur itaque clerici, eodemque tempore describebantur in matricula clericorum certae Ecclesiae addictorum, cui manciperentur

(1) S. Chrysost. *homil.* 67. *in Matth. Cogita tecum*, ait, *quot viduis, quot virginibus quotidie succurrat Ecclesia Antiochena. Iam enim numerus earum in cathalogo adscriptus ad tria millia pervenit.*

(2) Chrysost. *hom.* 86. *in Matth. Gratia Dei*, inquit, *centum millia hominum huc Antiochiam convenire opinor, quorum singuli si unum panem quotidie pauperi cuiquam offerrent, omnes certe pauperes abundarent: si unum unusquisque obulum tantummodo, nemo penitus indigeret: nec tot probra, et convicia sustineremus, quod nimium ad possessiones simus intenti.* Et Possidius in *vita S. Aug. cap.* 23. haec habet: *Dum forte (ut adsolet) de possessionibus ipsis invidia clericis fieret, adloquebatur plebem Dei malle se ex collationibus plebis Dei venire, quam illarum possessionum curam, vel gubernationem pati: et paratum se illis cedere, ut eo modo omnes Dei servi, et ministri viverent, quo in veteri Testamento leguntur altari deservientes de eodem comparticipare.*

(3) Euseb. *lib.* 6. *cap.* 43.

(4) S. Hieronym. in *can. clericus* 5. *C.* 12. *quaest.* 1. Consonat S. Ambros. in *can. cui portio* 6., aliique Patres *eadem C. et quaest.*

(5) S. August. in *c. non dicatis.* 11. *eadem C. et quaest.* Idemque *serm.* 50. ait: *Cum Episcopo Augustino sic vivunt omnes cohabitatores eius, quomodo scriptum est in actibus Apost. Omnes clericos meos tales inveni, quales desideravi.* Et Possidius *in vita S. Aug. cap.* 25. scribit: *cum ipso semper clerici una etiam domo, ac mensa, sumptibusque communibus alebantur, et vestiebantur.* Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 31. fert in Ægypto communem quoque clericorum vitam in Ecclesia Rinocururae viguisse.

ad inserviendum, eique velut cardini suo affigebantur eatenus, ut in illa perpetuo residentes cum conclericis officium, et ministerium Ordini suo adnexum personaliter explerent: sublata prorsus facultate recedendi, illoque nexu dissolvendi seipsos sine proprii Episcopi auctoritate, sicuti liquet ex Concilio Nicoeno (1), et Chalcedonensi (2). S. Augustinus Episcopus Hipponensis constituerat nullum ordinare clericum, nisi qui secum manere vellet communiter: aliter si quis vellet a proposito recedere, illi tolleret clericatum, tamquam deserenti sanctae societatis promissum, coeptumque consortium. Enthecam clericis habere non permisit, et eum, qui habere voluisset proprium, et de proprio vivere, clericum amplius non esse (3). Sed postmodum prudentissime mutavit consilium, dum inquit: *qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus, et Ecclesia sua, maneant ubi volunt, et ubi possunt, non eis aufero clericatum: nolo habere hypocritas. Malum est cadere a proposito, sed peius est simulare propositum* (4). Prosper S. Augustini discipulus ait: *non propriae sunt, sed communes Ecclesiae facultates* (5). Et rursus: *clerici quoque, quos paupères, aut voluntas, aut nativitas fecit cum perfectione virtutis, vitae necessaria sive in domibus suis, sive in congregatione viventes accipiant* (6). Quumque B. Chrysostomus seorsim a Clero victum de communi pecunia sumeret, cum nemine umquam comedens, vel ob nimis austeram vivendi disciplinam, vel ob cibaria difformia, quibus imbecilla eius valetudo opus habebat, quemadmodum ex coniecturis opinabantur: apud populum contra S. Episcopum conspirare, et crimini vertere separatam eiusmodi cibi sumptionem aggressi sunt, qui liberam illius correctionem aegre ferebant (7).

XVI. Quarto saeculo exeunte quum Theodosius M. duobus natis suis imperium divisisset anno 395., Occidentem scilicet Honorio, et Orientem Arcadio tribuens, factum est, ut disciplina Ecclesiae occidentalis alia esse inciperet ab ea Ecclesiae orientalis. Interea Episcopi immoderatum arbitrium sibi arrogabant in quibuslibet rebus ecclesiasticis iuxta vetustas Patrum regulas. Nam in *can.* 37. vulgo Apostolorum ita cautum habebatur. *Omnium rerum ecclesiasticarum curam Episcopus gerito, et eas dispensato quasi inspectante Deo.* Et soli Episcopo tamquam oeconomo libera potestas dispensandi res ecclesiasticas, easque per manus presbyterorum, et diaconorum administrandi eatenus dabatur, ut is Deo soli rationem red-

(1) Conc. Nic. *cap.* 15., *et* 16. apud Grat. in *can.* 10., *et* 23. C. 7. *qu.* 1.

(2) Conc. Chalced. *can.* 6.

(3) S. Aug. in *can. nolo, ut aliquis* 10. *C.* 12. *quaest.* 1. *Quia placuit illis*, ait, *Deo propitio socialis haec vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me mille Concilia, naviget contra me quo voluerit; sit certe ubi potuerit, adiuvabit me Deus, ut ubi ego Episcopus sum, illic clericus esse non possit.*

(4) Idem in *can, certe ego sum* 18. *ead. C. et quaest.*

(5) Prosper. *lib.* 2. *de vit. contemplat. cap.* 9. *in can.* 13. *eadem C., et quaest.*

(6) Idem in *can. sacerdos.* 9. *C.* 1. *quaest.* 2.

(7) Id fert Socrates *lib.* 6. *hist. Ecclesiast. cap.* 4. Exinde liquet variam extitisse disciplinam vitae clericalis, quae in aliquibus Ecclesiis communis erat, secus in aliis; cum nullus canonum universalium communionem eiusmodi imperasset.

deret (1). Si tamen res in proprios usus convertisset Episcopus, et Ecclesiae redditus, vel agrorum fructus sine presbyterorum, vel diaconorum consilio, seu sententia administraret; suisque cognatis, vel fratribus, vel filiis praeberet facultates, et per haec rationes Ecclesiae laederentur: eum reddere Synodo provinciae rationem debere, statuit Synodus Antiochena (2). Quum vero procedentibus temporibus aequitatem Episcopi minime servarent in eiusmodi administratione, ac dispensatione damno pauperum, et fabricae, non minus quam subditorum clericorum: ad supprimendas diuturnas istorum querelas Patribus Concilii Chalcedonensis *can.* 26. anno 451. *placuit: omnes Ecclesias habentes Episcopum, etiam oeconomum habere de proprio Clero, qui gubernet Ecclesiae res cum arbitrio sui Episcopi, ut non sine testimonio sit gubernatio ipsarum rerum ecclesiasticarum* (3). Tum Leo, et Anthemius Imp. anno circ. 467., permiserunt Oeconomis ecclesiasticis facultatem dandi ad usumfructum fundos Ecclesiae ad certum tempus ea cautione, ut *qui eo beneficio usus fuisset, dum superstes foret, tantumdem redditaum Ecclesiae ante mortem refundat, et fundum ipsum restituat cum immobilibus omnibus* (4).

XVII. Paullo post Romanum Imperium interiit cum Romulo Augustulo anno 475., quum Odoacris Gothorum rex Italiam invasisset: exindeque nedum civilis politia, sed ecclesiastica etiam notabiles vicissitudines subiit in Ecclesia Occidentali, praesertim vero quod ad quadripartitam redditaum Ecclesiae divisionem in Episcopum, Clerum, fabricam, et pauperes, ut submoverentur querimoniae Clericorum una et pauperum ob fraudes, et usurpationes Oeconomorum, et Praesulum. Sed in Occidente primus omnium eamdem commemorat S. Simplicius post annum 497: ubi rescripsit de redditibus Ecclesiae, et oblationibus fidelium unam portionem Episcopo remitti debere; duas fabricis, alendisque peregrinia, simul et pauperibus profuturas, ab Onagro presbytero administrandas, ultimam Clericis dividendam pro singulorum meritis; et insuper praecepit Gaudentio, ut tres illas portiones, quas triennio praecedenti sibi tantum vindicaverat, restitueret (5). Deinde Gelasius, qui sedere coepit anno 492, mandavit eamdem fieri partitionem quadruplicem (6). Quam plane animadvertit Thomassinus praecedentibus quoque saeculis servatam fuisse moribus sine praecepto expressi canonis (7).

XVIII. Verumtamen in singulis Ecclesiis non aequalis arithmetice fiebat eiusmodi quatuor partium distributio, sed habita proportione ad con-

(1) Ex *lib.* 2. *const. Apostol. cap.* 31, *et* 32, *et lib.* 8. *cap.* 30. Concil. Tolet. antiquam ad Episcopi ordinationem pertinere, praesertim dotem Ecclesiae collatam. Consonant sequentes canones ibidem, Concilium Martini Bracarensis in *can. Episcopus* 7. *C.* 10. *quaest.* 2, tribuit Episcopo potestatem res Ecclesiae dispensandi eis, qui necessitatem haberent.

(2) Synod. Antioch. an. 341. *can.* 25. Videsis Bingham. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 6. § 2.

(3) Conc. Chalced. in *can. quia in quibusdam* 4. *dist.* 89.

(4) Leo et Anthem. in *l.* 14. *C. de sacrosantis Ecclesiis.*

(5) S. Simplic. *ep* 3. ad Florentinum Equitium, et Severum Episcopos in *can. de redditibus* 28. *C.* 12 *q.* 2.

(6) Gelasius *ep.* ad Episcopos per Lucaniam, et Brutios in *can. quatuor.* 27. *eadem C. et qu.*

(7) Thomassin. *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 1.

ditiones personarum, loci. ac temporis. Partes pauperum, et fabricae relictae sunt Episcopo, et Ecclesiasticis personis cum onere illos alendi, et istam sartam tectam habendi. Quinimmo clericalem portionem reddituum diu postea indivisam dispensare curavit Episcopus, idem per Oeconomum, vel Archidiaconum (1). Praedia enim adhuc in communi possidebantur ab Ecclesiis sub vocabulo patrimonii. Romana quippe Ecclesia patrimonium divi Petri obtinebat in Gallia, Sicilia, Africa, et alibi: Ravennatensis, et Mediolanensis nedum intra confines earumdem Dioecesium, sed etiam in Sicilia. De talibus patrimoniis saepe meminit divus Gregorius M. in suis epistolis.

XIX. In Regnis Italiae post memoratam Imperii ruinam Praesules cogebantur Ecclesias suas derelinquere vitandi studio furorem invadentium, ac bellantium tyrannorum: atque alio commigrantes praeficiebantur inibi Ecclesiis externis, statim ac illae vacarent, eisdemque incardinabantur. Unde promanarunt presbyteri, et clerici *cardinales*, nimirum advenae perpetuo addicti ad inserviendum alienae Ecclesiae, tamquam cardini suo, extra dioecesim Episcopi sui ordinatoris, vel extra Ecclesiam, sub cuius titulo sacris Ordinibus erant initiati, ut liquet ex epistola divi Gregorii ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum (2).

XX. Quum vero Ecclesia, et praebendas conferre coepissent Episcopi separatim ab Ordinibus saeculo sexto, factum est, ut veterem sanctissimam disciplinam, quam maxime labefactaret frequens praebendarum, et Ordinum separatio: itemque frequentissima ordinatio Clericorum vagantium, scilicet sine ullo Ecclesiae titulo, eatenus ut canones posteriores ad moderamen tanti abusus constituerint Episcopos teneri ad alendos clericos sine titulo promotos (3). Cuiusmodi corruptela residentiam quoque clericalem relaxavit, moremque invexit Ecclesiis inserviendi per substitutos, antiquis canonibus omnino incognitos.

XXI. Sensim interea Episcopi concesserunt iure *usufructuario*, aut *precario*, vel ad vitam, vel ad tempus praedia ecclesiastica clericis, vel monachis captivis, et peregrinis iuxta morem Ecclesiae Romanae, ut liquet ex decreto Symmachi Papae (4). Exinde inducta est divisio praediorum

(1) Quandoquidem in communi Ecclesiae Cathedralis, et Matricis aerarium omnes ecclesiasticae obventiones inferebantur, ex quo singulis inferiarum Ecclesiarum quoque Ministris alimenta distribuebantur: quemadmodum e contrario omnes clerici servitio Cathedralis, et matricis Ecclesiae, non autem inferiorum adscribebantur generatim, de quorum collegio mittebantur ad loca dioecesis, et parochiae singula. Eamdem disciplinam usque ad medietatem quinti saeculi viguisse Constantinopoli, sat innuit Theodorus Lector *lib.* 5. *pag.* 553. *edit. Vales.* laudatus a Binghamo *tom.* 2. *orig. eccl. lib.* 5. *cap.* 6 § 1. scribens Marcianum primum Ecclesiae Oeconomorum a Gennadio an. 460. constitutum fuisse cum facultate distribuendi Clericis uniuscuiusque Ecclesiae oblationes earumdem Ecclesiarum peculiares.

(2) S. Greg. M. *in can. fraternitatem* 5. *dist.* 5, *et can. relatio C.* 21. *qu.* 1, *et alibi.*

(3) Alex. III. in Conc. Later. *cap. Episcopos* 4. *de praebendis*. Videsis Inst. Iuris Canonici 1. *tit.* 31. *de Presbyteris num.* 5.

(4) Symmachus in IV. Synodo Rom. seu Palmari an. 504. *cap.* 4, et *ep.* ad B. Caesarium Arelat. Episcop. sub consulatu Probi. Qua de re infra fusius dissseretur in *cap. IX. de beneficiariis.*

ecclesiasticorum nedum singulis Ecclesiis, et monasteriis : verum etiam singulis clericis, praesertim emeritis, qui beneficentia Episcopi praebendas illarum obtinebant. Primam beneficiorum speciem sic introductam advertit Spondanus (1).

XXII. Novae itidem oblationes bonorum fiebant particularibus Ecclesiis, et consequenter earumdem clericis, et ministris, qui ob honorem cathedrae episcopali debitum partem aliquam Episcopo tribuere debebant, quae dicta est *cathedraticum* (2).

XXIII. Et quoniam Ecclesia Dei in terreno imperio constituta consuevit politiam suam cum civili, quoad res ferret conformare, ac vocabula rerum, et Ministrorum spiritualium saepe a civilibus mutari: Patres Concilii Moguntini anno 813 (3) primi omnium *ecclesiasticum beneficium* appellarunt praedium ecclesiasticum liberalitate Episcopi concessum alicui ad usumfructum, instar regii, et profani *beneficii*, feudi nimirum, seu praedii fiscalis, quod Romani olim Imperatores, deindeque Germani, et Itali, aliique Reges concedere consueverunt militibus, qui praeclare gessissent in bello, vel eosdem alliciendi gratia ad illustriora patranda facinora, munusque suum rectius perficiendum, vel ut vacantes tandem a militia ipsi beneficio imperiali haberent unde viverent. Sic enim est appellatum, quod mero dantis beneficio, ac liberalitate possideatur.

XXIV. Verum concessiones ecclesiasticorum beneficiorum ita ex arbitrio Episcopi tunc pendebant, ut semel factas revocare quidem sine rationabili caussa non posset vivente beneficiario : sed eo defuncto libera esset Episcopo facultas vel conferendi vacans beneficium alteri, vel illud communi Ecclesiae aerario incorporandi, ac restituendi, quousque perpetui tandem effecti sunt tituli beneficiorum, ut notat Thomassinus (4).

XXV. Adhaec turbationes Regum, et Principum Italiae maximam quoque in rebus ecclesiasticis secum ferebant confusionem, laicis bona Ecclesiarum, immo et Ecclesias ipsas, et potestatem eas conferendi usurpantibus per quatuor circiter saecula, de quorum sacrilegis manibus clerici ambitione affecti per simoniam illas accipere non dubitabant. Hinc innumera propemodum scandala, pro quibus profligandis summi Pontifices, et Patres perplura celebrando Concilia, et epistolas rescribendo, plurimas canonicas sanctiones edidere pertinentes ad rem beneficiariam, ad collationem, provisionem, atque administrationem Ecclesiarum, et beneficiorum, quae passim habentur in collectanea Gratiani, et volumine Decretalium Gregorii IX, ceterisque subsequutis canonum compilationibus.

XXVI. Accesserunt postmodum variis ex caussis Regulae Cancellariae Apostolicae, quas in praxi potissimum adhibet Curia Romana in beneficiis conferendis, et servare debent exequutores Apostolici, Episcopi, et Iudices ecclesiastici pro quotidianis fori controversiis definiendis, cum limi-

(1) Spondanus in *epitome ad an.* 502. *num.* 6.

(2) Ex Conc. Bracharensi in *can. placuit.* 1. *C.* 10. *qu.* 3, Pelag. in *can. illud te* 4, Gelas. in *can. nec numerus* 5. Conc. Tolet. VII. in *cap. inter caetera* 8. *eadem C. et qu.*

(3) Conc. Mogunt. in *cap.* 1. *de Ecclesiis aedificandis. Quicumque ecclesiasticum* beneficium *habent*, ait, *omnino adiuvent ad tecta Ecclesiae restauranda, vel ipsas Ecclesias emandandas.*

(4) Thomas. *tom.* 3. *lib.* 2. *cap.* 19. *num.* 8.

tationibus tamen, quae Iuri nostro municipali consonant. Istarum Regularum originem, ac vim alibi iam exposui generatim (1). Quae vero ad beneficia pertinent, in hoc tractatu singulatim exponentur.

XXVII. Generale nomen *beneficii* multiplices continet species et maiorum, et minorum (2). Omnes quippe dignitates, et personatus, etiam pontificalis, et episcopalis, sive cum cura animarum, sive sine cura, omnesque canonicatus, praebendae, ac minores tituli appellantur beneficia; quum omnibus, et singulis competat ius percipiendi redditus ecclesiasticos ob munus ecclesiasticum. Differunt autem inter se propter ministerium, et officium gradus modo superioris, modo inferioris.

XXVIII. Initio quidem Episcopi arbitrio, nutuque suo mittebant per Ecclesias, ac titulos sive urbium, sive pagorum presbyteros, diaconos, et clericos inferiores, ut fidelibus Sacramenta ministrarent, verbum Dei annunciarent, ac pauperum, et pupillorum necessitatibus praesto essent, eosdemque ad libitum revocabant. Sed paulatim utilitas disciplinae suasit, ut in singulis Ecclesiis constituerentur ecclesiasticae personae perpetuo ibi permansurae ex moribus Ecclesiae universae tam Occidentalis, quam Orientalis, quos plane mores firmatos, probatosque in Synodis antiquis legimus (3).

XXIX. Deinde variae dignitates in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, et Conventualibus Canonicorum institutae sunt: nimirum Archidiaconi, Archipresbyteri, Praepositi, Decani, Primicerii, ceterorum vel propter necessitatem, atque utilitatem Ecclesiarum, vel propter maiestatem divini cultus, maioremque splendorem, vel ut affirmant Patres Tridentini, *ad conservandam, augendamque ecclesiasticam disciplinam: ut qui eas obtinerent, pietate praecellerent, aliisque exemplo essent, atque Episcopos opere, et officio iuvarent* (4). De omnibus sigillatim actum est lib. I. Institutionum Canonicarum, quod ad officium, et uniuscuiusque munus dignoscendum: quod vero ad naturam, et qualitates, effectusque beneficii spectat, in sequentibus capitibus speciatim disquiretur.

ADDITAMENTA

DE TITULO IN ORDINATIONE REQUISITO.

I. Ecclesiae in antiquis monumentis *Tituli* dicebantur vel a Sanctorum titulis, quibus dicatae erant, vel quia inde Clerici nomen, titulumque sumerent.

II. Vetus autem est ecclesiastica disciplina, et quidem ex instituto apostolico, quae Clericos omnes sive maiores, sive minores ad certam Ecclesiam, seu titulum ordinari iubet. Apostolus enim (5) per civitates consti-

(1) *Lib.* 1. Inst. Canonic. *tit.* 7. *num.* 10, *et seqq.*

(2) Honor. III. Episcopo Tull. rescribens in *cap. tua nobis* 32. *de verb. sign.* declaravit *praebendas, et maiora beneficia generali beneficiorum nomine contineri.*

(3) Conc. Ancyranum an. 314. *can.* 13. Neocaesareense eodem anno *can.* 13, Antiochen. an. 341. *can.* 9, et 10, Laodicen. an. 320, alias 364. *can.* 6, et 17, Chalcedon. *can.* 6, cetera passim.

(4) Trid. in *cap. cum dignitates* 12. *sess.* 24. *de reform.*

(5) Epist. ad Tit. 1.

tuendos Episcopos mandat: necnon illis curam commendat catholici gregis, in quo Spiritus Sanctus eos posuit Episcopos (1).

III. Quamobrem primis Aerae Christianae saeculis tum Concilium Ancyranum (2), tum Neocaesarcense (3) idipsum diserte constituunt (*). Quam porro antiquam disciplinam Chalcedonensis Oecumenica Synodus hoc canone penitus confirmavit (4): *Neminem* ἀπολελυμένως *nec Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eorum, qui sunt in Ordine ecclesiastico, nisi specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio is, qui ordinatur, adsignetur.*

IV. Quibus sane verbis illud dumtaxat colligi datur, quadruplicis nempe generis Ecclesias a Synodo recenseri, quibus addici in ordinatione sua Clerici poterant: Ecclesia *civitatis* erat ipsa Cathedralis, aut alia ex minoribus urbanis: Ecclesiae *pagorum* Tituli Curati dicebantur in pagis constituti, itemque Oratoria in villis, agrisque ad privatorum utilitatem aedificata. *Martyria* Ecclesiae erant super sepulcra Martyrum constructae, appellatae etiam *Memoriae Martyrum*, *Martyrum Concilia*, seu Ecclesiae (*). In *Monasteriis* demum privata sacella extabant, quorum titulo Presbyteri Sacramenta ministraturi ordinari poterant, ac proinde sacra illi peragebant in gratiam Monachorum, qui veteri disciplina omnes laici erant.

V. Labentibus saeculis tum Urbanus II. veterem disciplinam confirmavit (5), tum Carolus M. in Capitularibus illius executionem praescripsit, tum denique Lateranense Concilium sub Alexandro III. aperte sanxit (6): *ut Episcopus si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae alimenta percipiat, in Diaconum, vel Presbyterum ordinaverit, tamdiu necessaria ei subministret, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia clericalis vitae adsignet: nisi forte talis ordinatus extiterit, qui de sua, vel paterna hereditate subsidia vitae possit habere;* quam sanctionem Innocentius III. vel in promovendis ad Subdiaconatus Ordinem extendit (7).

(1) Act. Apost. XX. — (2) Can. XVIII. — (3) Can. XIII.

(*) Eo tempore, quo maxime vigebat isthaec disciplina pauca exempla ordinationum sine titulo ob Ecclesiae universalis utilitatem extant. Profecto Hieronymus epist. LXI. ad Pammach. scribit ea conditione a Paullino Antiochenae Ecclesiae Episcopo Presbyteratum accepisse, ut sibi ad Monasterium reverti liceret. Flavianus quoque eiusdem Paroeciae Antistes Macedonio insigni Anachoretae indulsit, teste Theodoreto (hist. relig. cap. XIII.): ut postquam in Sacerdotium Domini dedicatus esset, in desertum reverti posset. His adde Paullinum, qui a Lampadio Barcinonensi absolute etiam fuit Presbyter ordinatus, nullique Ecclesiae mancipatus. Is enim epist. VI. ad Severum inquit: *ea conditione in Ecclesia Barcinonensi consecrari adductus sum, ut ipsi Ecclesiae non adligarer, in Sacerdotium tantum Domini, non in locum Ecclesiae dedicatus.*

(4) Can. VII.

(*) Tribus Aerae Christianae saeculis fideles tempore persecutionis in privatis fornicibus, vel locis sepulturae, et praesertim in Martyrum sepulturis ad sacra celebranda conveniebant. Statim vero ac illis pax affulsit, in locis, ubi erant Coemeteria, ad divinum cultum publice promovendum Ecclesias construere curarunt. Hinc apud veteres Scriptores *Coemeteria*, *Martyria*, *et Sepultura Martyrum* pro ipsis Ecclesiis usurpantur.

(5) Can. II. dist. 70.—(6) Can. V.

(7) In Cap. XVI. *de Praebendis, et Dignitatibus.*

VI. Iamvero Tridentini Patres Iure novissimo Chalcedonensis Synodi vestigiis inhaerentes edixerunt : *ne quis deinceps Clericus saecularis ad Sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum beneficium ecclesiasticum , quod sibi ad vitam honeste sufficiat , pacifice possidere* (1). Is sane titulus veteri Clericorum addictioni ad certam Ecclesiam respondet, in qua illi muneribus fungerentur suis , et unde alimenta perciperent. Rursus ibidem decernunt: *patrimonium vero , vel pensionem obtinentes , ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum.*

VII. Tandem praestabit heic integra reiicere, quae pactis initis tum inter Benedictum XIV., et Carolum III. olim Regem Nostrum, tum inter Pium VII., et Ferdinandum I. vel utriusque Siciliae pientissimum Principem ad rem constituta fuerunt.

VIII. Profecto Concordatorum lege an. 1741 (2) salubri consilio Tridentinum decretum renovari placuit, proindeque cautum Clericos omnes ad Sacros Ordines titulo beneficii, vel Capellaniae perpetuae promovendos esse. Tum ibidem decernitur hanc sanctionem ad initiandos ad primam clericalem tonsuram protrahendam: hisce vero satis esset beneficium, Capellania perpetua , vel pensio ecclesiastica, cuius redditus, deductis oneribus medietatem exaequaret redditum patrimonii dioecesani: altera medietas autem in collatione Subdiaconatus suppleretur. Denique constitutum, quod dumtaxat in vera utilitate Ecclesiarum Regni liceret Clericos patrimonii titulo promoveri, cuius redditus definiri placuit non citra ducatos neapolitanos 24., nec ultra 40. ex rebus immobilibus percipiendos.

IX. Quod vero spectat ad Conventionem novissimam an. 1818. art. XXI. statutum, quod inspectis temporum circumstantiis, ne Ecclesiasticis ad vitam sustentandam necessaria desint, patrimonii sacri taxa ita augeatur , ut nec minor sit ducatis 50., nec 80. maior. Tum in eo decretum , quod Clerici titulo ecclesiastici patrimonii ad sacros Ordines promovendi fundos exhibeant hypothecae vinculo minime obnoxios, et Tribunal Civile Provinciae de pertinentia, et libertate bonorum iudicet , eiusque sententiam Curiae Ecclesiasticae requirant: qua tamen non indigent qui beneficii , vel Capellaniae titulo ad Ordines promoventur.

Praeterea sancitum, quod Clericis, qui Sacerdotio dedicantur beneficii, aut Capellaniae titulo , cuius annuus redditus ad taxam praefinitam non pertingat, ex aliis praediis constituetur quantum taxae integritas definivit. Excipiuntur tamen illae Dioeceses , in quibus taxa ecclesiastici patrimonii in maiori summa canonice constituta reperiatur, respectu quarum nihil innovetur.

X. Verum successu temporis nonnulla passim pro Regni Nostri Dioecesibus sancita fuerunt , quae titulum in Ordinatione requisitum respiciunt, quaeque tum Apostolicae Sedis auctoritate , tum pientissimi Regis nostri adsensu confirmata novissima obtinent iura. Quare ea hic adferre non abs re me facturum puto. Et sane Episcoporum Commissio ad id delegata censuit.

1. Clerici omnes, qui in huiusce Regni Receptitiis Ecclesiis praefinitae

(1) Sess. XXI. cap. II.
(2) Cap. IV. n. 1. et seq.

portionis iure gaudent, dummodo fructus dioecesanam patrimonii taxam exaequent, ut beneficiarii ad sacros Ordines promoveri possint.

2. Capellaniae amovibiles ad nutum, necnon illae, quarum redditus ex rebus mobilibus percipiuntur, Tituli canonici ad sacrorum Ordinum promotionem fieri nequeunt.

3. Capellaniae super immobilibus institutae, quae ad laicorum Confraternitates, aliaque venerabilia Loca pertinent, licet sint amovibiles, a promovendis tamen ad Maiores Ordines, ut tituli ecclesiastici exhiberi possunt, dummodo ipsi in publico instrumento ab omnibus, qui eidem Confraternitati adscripti sunt, vel a Locorum administratoribus eligantur, ea simul adiecta conditione, ut perpetuo eodem titulo perfruantur.

4. In beneficiis, aut Capellaniis, quibus onus inhaereat singulis annis centum Missas celebrandi Titularis Dioecesanum Episcopum adire potest: is autem pro qualibet Missa, detracta eleemosyna septem assium iuxta taxam praefinitam, potest etiam, si velit aliquam deductionem Titulo inferre, ut ad sacros Ordines ille promoveatur.

5. Denique Regio Rescripto sub die V. Octobris an. 1839. id omne executioni mandari cautum, quod Supremi Concordati Executores opinati fuere, et iam ab utraque Potestate hisce verbis confirmatum.

Patrimonii sacri taxa in novissima Conventione an. 1818. art. XXI. definita pro illis Regni Dioecesibus, quae egestate laborant, et in quibus brevis sit Clericorum numerus spatio 15. an. ad ducatos 24. vel 25. reducatur. Elapso vero hoc temporis intervallo tum Sedis Apostolicae Nuntius, tum Rerum Ecclesiasticarum Minister Episcoporum postulationibus ad aliud tempus prorogandum indulgeant. Interea Supremi Concordati Executores ab utraque Potestate delegantur ad Antistitum petitiones excipiendas, et definitive declarandum quibusnam Dioecesibus ius illud tribuatur.

CAP. II.

Quid et quotuplex sit beneficium.

I. Canonistae a Theologis discrepantes in definitione beneficii naturam principalem ponunt in iure percipiendi redditus: Theologi contra in iure ministrandi.

II. Definitio Theologorum magis naturam officii exprimit, quam beneficii.

III. Ius percipiendi redditus, et ministrandi, non autem ipsa perceptio, et ministratio beneficium constituit.

IV. Quumque spirituale sit ius beneficii, nonnisi clericis confertur.

V. Et confertur in perpetuum, quia clericus a beneficio semel obtento amoveri nequit, secus quam a capellania laicali.

VI. Sine auctoritate Episcopi beneficium constitui non potest.

VII. Requisita omnia, et naturam beneficii habent fratantiae in Parochiis Neapolitanis.

VIII. Quatuor divisiones beneficiorum inspecto officio proponuntur.

IX. Duae aliae inspectis personis conferentibus.
X. Aliae inspectis personis beneficiariorum.

I. Definiunt Canonistae *beneficium* esse *ius spirituale perpetuum percipiendi redditus ecclesiasticos auctoritate ecclesiastica constitutum propter spirituale officium, seu ministerium.* A theologis vero dicitur esse *ius perpetuum in Ecclesia ministrandi auctoritate Episcopi constitutum cum adnexo, ac inseparabili iure percipiendi fructus ecclesiasticos* (1). Itaque iuxta Canonistas natura beneficii principaliter consistit in iure percipiendi redditus, et consequenter in iure ministrandi, seu officium obeundi. At secundum theologos in iure ministrandi principaliter, atque in iure percipiendi redditus consequenter.

II. Dicturus autem ipse quid sentiam, censeo theologos *officium* potius, quam beneficium definire: quorum alterum ab altero nimis differre satis liquet ex sacris canonibus. Bonifacius VIII. apertissime ait *propter officium dari beneficium* ecclesiasticum (2). Nam canones numquam admittunt separationem officii a beneficio ecclesiastico. Synodus Tridentina pariter definivit: *beneficia ad divinum cultum, atque ecclesiastica munia obeunda esse constituta* (3). Liturgia proprie dicitur *ministerium* (4). Id quod magis agnoscunt perspectam habentes originem beneficiorum: adfirmante ad hanc rem Baronio (5) possessiones Ecclesiarum clericis ad vitam concessas *beneficia* dici coepisse, eo quod, ut scribit Symmachus, benemeritis concedi liceret. In hoc tractatu potissimum inspicimus *beneficium.* De *officio* autem singulorum graduum ecclesiasticae hierarchiae tam superiorum, quam inferiorum, puta dignitatum, personatuum, canonicatuum, et praebendarum, aptius agimus *lib.* I. *Inst. Can.*

III. Beneficium ecclesiasticum plane consistit in *iure* percipiendi redditus, et ministrandi, non autem in ipsa perceptione bonorum, et ministe-

(1) *Omnis quidem, quae a ratione suscipitur de aliqua re institutio, debet a definitione proficisci, ut intelligatur quid sit, de quo disputatur,* inquam cum Tullio *de offic. lib.* I.

(2) Bonif. VIII. in *cap. quia* XV. *et fin. de rescriptis in* VI.

(3) Trid. in *cap. cum beneficia* 3. *sess.* XXI. *de reform.* Idipsum ex lege Mosayca probantur, qua Levitis decimae sunt attributae pro ministerio, et officio levitico. *Excubate* (ait Dominus Numer. *cap.* XVIII. *vers.* 5. *et seq.) in custodia Sanctuarii, et in ministerio altaris, ne oriatur indignatio super filios Israel. . . Omnia, quae sanctificantur a filiis Israel, tradidi tibi Aaron, et filiis tuis pro officio sacerdotali legitima sempiterna. . . Filiis Levi dedi omnes decimas in possessionem pro ministerio, quo serviunt mihi in tabernaculo foederis. . . Et comedite eas in omnibus locis vestris tam vos, quam familiae vestrae, quia pretium est pro ministerio, quo servitis in tabernaculo testimonii.* Hoc etiam expressit Iustinian. (6) volens compelli clericos ad suum implendum officium: *nam qui constituerunt,* ait, *vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute, et communi Reipublicae, reliquerunt illis substantias suas, ut per eas debeant sacrae Liturgiae fieri, et ut in illis a ministrantibus piis clericis Deus colatur.*

(4) A Suida verb. *liturgia.* Et Methaphrastes in *vita SS. Petri, et Pauli*, ita scribit: *Domino sacrum obeuntes* ministerium.

(5) Baron. ad *an.* 502. num. 36.

(6) In *l.* 42. § 10. *C. Episc. et Cler.*

rio : non aliter, quam hereditas in iure consistit, non in bonis hereditariis (1).

IV. Idemque ius non temporale quidem, sed *spirituale* est: quoniam eo clerici tantum sunt capaces, laici nequaquam (2).

V. *Perpetuum* praeterea dicitur, quia sacris canonibus quum antiquis, tum recentioribus constitutum est ecclesiasticum officium, et beneficium cuique semel collatum tamdiu possideat, quamdiu is vixerit, vel donec beneficiarius ipse illud sponte sua dimiserit, vel ob crimen in foro suo patefactum confessus, aut convictus eo privetur (3). Episcopus autem, et summus etiam Pontifex iure nequit sine caussa criminis rite ostensa, aut sine spontanea possidentis renunciatione illud adimere, nec aliis, eo superstite conferre (4). Eodemque iure non possunt ecclesiastica beneficia quum liberae collationis, tum de iure patronatus conferri ad tempus, vel

(1) Papinianus in *l. hereditas* 50. *D. de petit. heredit.*

(2) Id quod plenins explicabitur infra *cap.* IX. *de beneficiariis.*

(3) Clericali militiae adscripti, et Altari servientes ordine indelebili, perpetuoque officio, ut stipendia, et alimenta vitae simul perpetua recipiant ab ea, cui serviunt Ecclesia, naturalis ratio postulat. Hioc Episcopos, presbyteros, diaconos, ceteros clericos perpetuo maocipatos officio inserviendi Ecclesiae suae, praebendas ex communi olim redditibus accipere ad vitam consuevisse traduot canones XIII., et XIV. vulgo Apostolorum. Officia tum ipsa Episcopi, Sacerdotis, Diaconi, et reliqoorum Ordinum firma catenus, et perpetua fore comprobavit prima Synodus Nicaeoa, ut decreverit eorum singulos ministerio Ecclesiae suae velut ostium cardioi suo affixos in perpetuum cum adnexo iure participandi de communibus praebendis, nec licere umquam iis de uoa ad aliam transire: *can. non aportet* 19. *C.* 7. *qu.* 1. Si qui vero *Ecclesiastica statuta non custodientes recesserint ab Ecclesia sua....cum omni necessitate cogantur, ut redeant ad Ecclesiam suam*: alias *excommunicari eos aportet*, sanxit eadem Synodus oecumenica in *can. si qui vero* 23. *ead. C. et qu.* Consooant mores, constitutionesque posteriores. Concilium Cabilonense II. an. 813. *can.* 4. haec habet: *Inventum est, quod multi arbitrii sui temeritate, et quod est gravius, ducti cupiditate presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant, vel auferunt. Unde oportet, ut, canonica regula servata, nullus absque consensu Episcopi cuilibet Presbytero Ecclesiam det: quam si iuste adeptus fuerit, hanc nonnisi gravi culpa sua, et coram Episcopo canonica severitate amittat.* Alexander III. in *cap. querimoniam* 9. *de iurep.* absurdum censuit, *ut ad singulas patronorum secundum humanam conditionem mutationes Ecclesiarum ordinationes mutentur: et vicissitudines Ecclesiarum ab advocatis, vel aliis presumantur.* Idemque in *cap. consultationibus* 19. *eod. tit.* rescripsit non debere iostitutum ad praesentationem patroni putativi beneficiarium a beoeficio removeri, dummodo praesentans in possessione praesentandi tunc reperiretur.

(4) Ioannes Papa in *can. haec quippe est* 10. *C.* 3. *qu.* 6. Salomoni III., et ultimo Britonum regi rescripsit Episcoporum electionem e sedibus suis in Concilio provinciali decretam ab Archiepiscopo Turonensi tunc valere, si canonica fuisset: *quod si*, ait, *Episcopi electi insontes fuerint declarati: his amotis, qui illis subrogati sunt, Ecclesias suas ipsi recipiant.* Innocentius III. in *cap. inquisitiones* 21. *de accusat.* distinguendum pariter censuit in iudicio criminali, *utrum sit tale crimen, quod Ordinis executionem suscepti, aut retentionem* beneficii *impediret . . . alioquin secundum personae merita, et qualitatem excessus poenam poterit iudicantis discretio moderari.* Quaenam vero crimina inferant iacturam, privationemque beneficiorum, in *cap. ult.* huius tractatus exponom. Huc etiam spectant quae dixi de censura suspensionis *ab officio, et beneficio in lib.* IV. *Inst. Can. tit.* XVIII. *num.* 97. 99. *et seq.*, et de poena depositionis *ibidem num.* 100., *et seq.*

sub conditione revocabili (1). Hanc ipsam perpetuitatem ferunt *capellaniae collativae*, quae idcirco a beneficiis laicalibus, et manualibus, et Capellaniis ad nutum mobilibus distinguntur. Enimvero *capellania*, quae generatim accepta significat beneficium, et munus capellani, aut *ecclesiastica*, aut *laicalis* est. Capellania *ecclesiastica*, quam ideo nuncupant *collativam*, quia per canonicae collationis bullas ab Ordinario loci personis dumtaxat ecclesiasticis confertur, nil differt a beneficio ecclesiastico, praeterquam in nomine. Ideoque non potest ea capellanus privari, quoadusque vixerit: perinde ac ceteri omnes beneficiarii, qui semel quaesitum ius et possessionem legitimam in beneficiis ecclesiasticis tuto retinent ad vitam (2). At *laicalis* capellania eatenus ad nutum mobilis fere est, ut sine ulla caussa nequeat capellano auferri, et alteri concedi per patronos, aliosque habentes ius illam conferendi, nisi lex fundationis obstiterit.

VI. Sola insuper *auctoritate ecclesiastica* constituitur beneficium: quia nisi Episcopus, locive Ordinarius probaverit fundationem beneficii, aut nisi capellaniam a piis disponentibus relictam erexerit in titulum ecclesiastici beneficii, nullimode potest beneficium ecclesiasticum consistere, seu ecclesiasticam qualitatem habere (3). Et hinc origo discriminis intelligitur inter beneficium profanum, et sacrum, seu capellaniam laicalem et collativam. Si quis enim capellaniam aliquam fundaverit cum onere celebrandi Missas, aliasque functiones hierarchicas obeundi non requirens, aut expresse prohibens Ordinarii dioecesani auctoritatem, manusque appositionem: ista permanebit mere laicalis: quam idcirco poterunt fundator ipse, eiusque successores conferre sine ulla Episcopi institutione Presbytero, vel ad nutum mobili, vel in perpetuum, sicuti voluntas fundatoris, vel patroni statuerit. Bona vero, et redditus istiusmodi capella-

(1) Gl. in *can. pastoralis. C. 7. qu.* 1. verb. *gubernare*. Vivian. *de iurep. lib.* I. *cap.* I. *num.* 65., Piton. *alleg.* 24.

(2) Conc. Arelatense VI. an. 813. *can.* 14. decrevit, *ut laici Presbyteros absque iudicio proprii Episcopi non eiiciant de Ecclesiis, nec alios immittere praesumant. Quia quando Presbyteri ab Episcopis in parochiis ordinantur, necesse est ut ab ipsis Episcopis diligenter instructi Ecclesias sibi deputatas accipiant.* Consonat *can.* 4. Conc. Cabilonensis II. paulo superius exscriptus. Ne putes duos hos canones arbitrium amovendi capellanos beneficiarios ab Ecclesiis de iurepatronatus, laicorum Episcopis cum consensu patronorum tribuisse. Nam loquuntur de sola translatione capellanorum de una in aliam eiusdem parochiae vel Cathedralis Ecclesiam, sive capellam, sive praebendam, quae vigebat saeculo IX., instar mobilium oeconomorum parochialium. Videsis priscos hac in re mores expositos *lib.* I. Inst. Can. *tit.* XXX. *de parochis n.* 14.

(3) Id etiam ex legibus, moribusque paganorum patet. Ulpianus tradit sacra loca esse, quae publice sunt a pontificibus dedicata: locumque publicum tunc sacrum fieri posse, quum Princeps, velut Pontifex tunc maximus cum dedicavit, vel dedicandi dedit potestatem, *l. sacra loca* 9. *D. de rer. divis. Si quis ergo* privatim *sibi sacrum constituit, sacrum non est, sed profanum*, inquit Marcianus in *l. in tantum* 6. § 3. *D. eodem*. Hinc recte Hormisdas Papa, qui saeculo sexto sedit, discrimen inter *sacrum*, et *non sacrum* adstruit ex auctoritate, ac permissione Episcopi vel accedente, vel deficiente, *can. nullus Presbyter* 25. *de cons. dist.* 1. Idipsum confirmant Gelasius in *can. piae mentis* 26., et *can. Frigentius* 27. *C.* 16. *qu.* 7., et Clemens III. in *cap. nobis fuit* 25. *de iurep.* Videsis dicta *lib.* III. *Inst. Canon. tit.* IX. *num* 28., et dicenda inferius *cap.* III. *num.* 6., *et seq.*

niae, tamquam laicalia possidere etiam, et administrare poterunt heredes fundatoris, ipsique patroni laici, cum onere implendi onera fundationis per idoneam, puta ecclesiasticam personam, et Missarum stipendia persolvendi: quum tamen redditus beneficiorum ecclesiasticorum percipiantur directe, atque immediate per beneficiarios ipsos, exclusis etiam patronis iuxta regulas in praxi receptas, traditasque a Doctoribus (1): nisi fundator speciatim capellaniam laicalem una cum redditibus reliquerit possidendam personis ecclesiasticis in sacerdotali, vel clericali saltem Ordine constitutis, qui tunc bona, et redditus capellaniae ad vitam ipsimet possidebunt, ac percipient.

VII. Ex dictis liquet *beneficiatos parochiarum* non immerito a Neapolitanis appellari clericos illos, et Presbyteros, quibus privatim datum est ab Archiepiscopo ius concomitandi cadavera fidelium ad ecclesiasticam sepulturam, et emolumenta funerum percipiendi iuxta taxam synodicam. Ipsorum enim singulis Archiepiscopus per canonicas bullas confert *fratantiam*, ut aiunt, cui naturam meri ecclesiastici beneficii esse intelligimus, et fatemur cum M. A. Genuensi (2): ex eo quod *fratantia* nihil aliud est, nisi ius spirituale perpetuum percipiendi emolumenta funeraria, quae sunt redditus ecclesiastici, auctoritate Archiepiscopi constitutum propter spirituale officium deferendi ad sepulturam ecclesiasticam defunctos christifideles.

VIII. Dividuntur in primis beneficia, inspecto officio, in *maiora*, et *minora*. Itidem in *curata*, et *sine cura*, puta animarum. Rursus *in residentialia*, cum onere scilicet residendi, et *simplicia* sine residendi onere. Demum in *compatibilia*, quae simul ab uno retineri possunt, et in *incompatibilia*, quorum scilicet coniunctim retentio uni prohibita est. Alia insuper *uniformia*, quae scilicet eiusdem sunt nominis, et officii; alia *difformia* sunt, quibus diversus titulus, et officium est. Et rursum alia *duplicia*, quae nimirum adnexam habent dignitatem, et iurisdictionem, qualia sunt Archidiaconatus, Archipresbyteratus, cetera id genus; alia *simplicia* sine dignitate aliqua, et iurisdictione, uti sunt capellaniae, titulique simplices Ecclesiarum.

IX. Inspectis autem personis conferentibus, primo dividuntur in *reservata*, vel *affecta*, quae nimirum pertinent ad Pontificiam collationem; et *non reservata, neque affecta*. Hinc *monoculare* ab affectis, et reservatis excipiunt, ita dictum, quoties in una Ecclesia unum dumtaxat beneficium extat, Ecclesiaeque Praelatus illud ipsum solum conferendi potestatem habet (3). *Manuale* ad nutum conferentis datur cum arbitrio revocandi,

(1) Apud Barbos. *lib.* III. *Iur. Eccles. cap.* V. B. Hieronymus ad Damasum Papam in *can. quia Sacerdotes* 13. *C.* 10. *qu.* 1. scripsit, eleemosynas, et oblationes, ut ne laici administrarent, vel concederent, eosque id attentantes Papa perpetua excommunicatione coerceret. Curam solummodo invigilandi, et Metropolitano, tum Regi etiam denunciandi, ut bona, et redditus Ecclesiarum nullum patiantur detrimentum, laicis patronis indulsit Synodus Toletana IV. in *can. noverint. C.* 10. *qu.* 1. Videsis. *tract. de iurepat. cap.* I. *n.* 24. *et* 25.

(2) M. A. Genuensis in *prax. Cur. Archiepisc. Neapol. cap.* 7. *n.* 9.

(3) De monoculari beneficio loquitur *Clement.* 1. §. *in cessationibus de sent. excomm.* his verbis: *ipsos hoc unico lumine privare nolumus, nec debemus.*

quandocumque sibi placuerit (1). Secundo, alia sunt *electiva*, quae ad alicuius electionem conferuntur; alia *de iurepatronatus*, quae ad praesentationem patronorum ; et alia *collativa* , quae ad liberam Ordinarii, vel alterius collationem pertinent. Rursus alia *de mensa*, quae scilicet per unionem perpetuam sunt incorporata Mensae vel Episcopi , vel Abbatis, vel Capituli (2).

X. Inspectis denique personis, quibus conferuntur, vel sunt *regularia*, quae nonnisi Regularibus, vel *saecularia*, quae saecularibus tantum clericis conferri possunt. Insuper vel sunt *patrimonialia :* quae scilicet originariis alicuius loci incolis tantum conferuntur ex privilegio, vel statuto , vel consuetudine, tanquam a *patritiis* eius loci pro filiis suis fundata ; vel *praestimonialia*, exinde dicta, quod obeuntibus *praestantia munia* vel studii, vel militiae, vel alterius praeclari officii debeantur (3). Isthaec vocabula saepenumero adhibentur in tractatus decursu, eum in finem, ut una beneficiorum species ab alia maxime distinguatur, canonesque diversum us inter easdem constituentes a tyronibus intelligantur facilius.

ADDITAMENTA

DE ECCLESIIS RECEPTITIIS.

I. Antiqua est Ecclesiae disciplina inde usque ab Apostolis fere inducta, quae Episcopos, et Clericos omnes suis Titulis adscriptos esse iubet, in quibus ii et sacra munia ad dominici gregis utilitatem obirent, et unde alimenta perciperent.

II. Quum autem in novissima Concordatorum lege an. 1818. de Minoribus Ecclesiis in Ditionibus citra Pharum extantibus, quas *Receptitias* vocant, nulla dispositio constituta fuerit, ea propter Pius VII. Summus Pontifex Litteris Apostolicis, quae incipiunt *Impensa* die XIX. Aug. an. 1818. nonnulla sanxit, quae hic paucis referre non abs re erit.

III. Et in primis Ecclesiae *Receptitiae* aliae sunt *numeratae*, quibus scilicet Clericorum numerus ad sacra peragenda designatus addicitur : aliae *innumeratae*, quae ut plurimum sunt curatae, et generatim universos locorum Ministros excipiunt : redditum autem portiones sive menstruas , sive annales illis tribuendas esse praescribitur.

Tum iisdem Litteris decretum, quod ab Ecclesiae Pastoribus illi dumtaxat hisce Titulis adscribantur , qui sanctitate , et doctrina ita praefulgeant , ut ad explendas diversas sacri ministerii partes sint idonei , ac

(1) Talia sunt beneficia cuncta Regularium *ex cap. monasterium § tales de statu Monach.*

(2) Glossa in *Clement.* 1. *de suppl. neglig. Praelat.* verb. *de mensa.*

(3) Praestimonii vox pro beneficio, et officio ecclesiastico usurpata saepe occurrit, praesertim in *cap. ult. de concess. praeb. in* VI: et Trid. in *cap.* IX. *sess.* 14. *de reform. et cap.* XVIII. *sess.* XXIII. *de reform.* Alex. III. in *cap. conquerente* 6. *de cler. non residentibus*, fert collatum clerico G. beneficium, puta praestimonium 20. solidorum super Ecclesia Presbyteri R., qui sibi necessario vitae vix poterat ex ea percipere.

proinde cautum fuit, ut examen coram Dioeceseos Episcopis, vel eorum Vicariis Generalibus, et tribus ex Synodalibus Examinatoribus instituatur: quos vero ceteris magis idoneos illi iudicaverint, iisdem ius conferent, atque in possessionem designatae portionis immitterent.

Denique sancitum, quod nulla interponi possit appellatio ab episcopali decreto ad Superiorem Iudicem.

IV. Iam vero quae nunc paucis uno sub adspectu proposuimus, iuvabit iam latius exponere, heic reccusendo quae successu temporis de hisce Ecclesiis constituta fuerunt.

Et sane Episcoporum Commissio ad rem delegata, cui Apostolicae Sedis Nuntius praeest, plerasque instructiones emisit Regio Rescripto sub die XVIII. Novemb. an. 1822. confirmatas, quas dicere adgredimur.

1. Ecclesiae omnes Receptitiae cuiusvis naturae sint in limine fundationis, licet etiam Cathedralibus, aut Collegialibus Titulis fuerint adnexae, Clerum numeratum habeant: quem nimirum Episcopi inspectis locorum circumstantiis, fidelium numero, reddituumque copia, designabunt.

2. Clerici, qui praevio examine in Litteris *Impensa* praescripto praefinitae reddituum partis iure gaudent ad Sacros Ordines promoveri possunt, quippe quod isthaec addictio, ut ecclesiasticus titulus agnoscitur. Excipiuntur vero Presbyteri, quibus huiusmodi tituli etiam conferri possunt.

3. Episcopi in partitione reddituum onera dumtaxat illis inhaerentia detrahant, non vero praestationes annuas, quae ad Procuratores, Exactores, aliosque spectant: isthaec enim officia ab Ecclesiae Titularibus exerceri debent, ac proinde Dioecesani Antistites, coacto Presbyterio, statuta conficiant, ut ea vel gradatim, vel vicissim Titulares ipsi peragant.

4. Missarum legata Ecclesiae praediis adnexa minime detrahantur, quippe quod Titulares illis satisfacere debent. Si vero ingens sit earum numerus, tunc Episcopi, venia a Sede Apostolica impetrata, iuxta pontificium rescriptum illum minuant.

5. Qui ecclesiasticis functionibus non intersit, distributiones ab Episcopo praefinitas, illisque adnexas non lucretur, quibus dumtaxat praesentes fruantur.

6. Paroeciis, quae sufficientem Congruam non habent, dos ex Ecclesiae Receptitiae redditibus, servata forma art. VII. Concordati, constituetur, quae saltem tertia parte maior ceteria portionibus esse debet: redditus vero extantes Presbyteris, quos elegerit Episcopus Parochi Coadiutores, conferantur.

Si vero Ecclesiarum redditus sint magni momenti, tunc ii in *maiores*, et *minores* portiones distinguantur, quarum illae Presbyteris de Ecclesia optime meritis, hae vero ceteris locorum Ministris conferantur. Isthaec autem divisio omittatur in Receptitiis, quae Cathedralibus, et Collegialibus Ecclesiis sunt adnexae, eo quod possunt Episcopi dignioribus canonicalem praebendam conferre.

7. Titulares omnes residentiae lege teneri constituitur, adeout ultra tres menses sine iusta caussa a propria Ecclesia abesse nequeunt: in transgressores autem Episcopus poenas a Tridentina Synodo latas irroget. Adhaec si beneficium incompatibile vel in eadem Receptitia, vel alia Ecclesia ii adipiscantur, horum portio ipso iure vacabit.

8. Distributiones, quas Clerici non receperint, quippe qui sacris officiis

non interfuerint, inter Ecclesiae Titulares, Parocho non excepto, singulis annis dividantur.

9. Ecclesiae redditus si augeantur, aut aliqua portio vacaverit, tunc incrementum, et vacantis tituli fructus Titularibus cedant.

10. Iura adventitia Titulis Curatis adnexa pro medietate ad Parochum pertinent: altera vero medietas inter Titulares subdividatur.

11. Parochus, qui personaliter, vel per alium in ducendo funere, et iustis, ac parentalibus absolvendis Clericis praesit, ex fidelium oblationibus duplicem portionem recipiat.

12. Tandem curent Episcopi laudabilem consuetudinem, quae in quibusdam Receptitiis extat persolvendi officia in Choro sartam, tectamque servare: in aliis vero ad eam promovendam sedulo incumbant.

V. Praeterea Carolus Rosini olim Puteolanae Dioecesis Episcopus, Vir bono Ecclesiae natus, deque Re litteraria optime meritus in eo animum intendit, ut in huiusce Regni Dioecesibus ad maximam Religionis utilitatem plures Receptitiae instituerentur Ecclesiae, earumque statuta quamprimum ederentur. Hinc articulos generales composuit, quos singulos pientissimus Rex Noster Ferdinandus I. Regio Diplomate sub die VI. Septembris 1824. confirmavit.

VI. Heic quoque ea referri praestat; quae Episcoporum Commissio labentibus annis censuit, quaeque vel Regiis Rescriptis sunt confirmata.

Et 1. Oeconomus Curatus Paroecialis Ecclesiae viduatae Pastore, quae duobus hominum millibus non constat, singulis annis ex eiusdem Ecclesiae Congrua 60. ducatos percipiat: si vero illi praesit, quae numerum quinque millium Animarum continet, 80.: in ceteris tandem, quae maiorem fidelium numerum retinent, 100. habeat: reliqui autem Congruae redditus aequis partibus inter Titulares dividantur, Oeconomo non excepto, vel Parocho etiam, si Titulus ob ipsius suspensionem vacaverit.

Isthaec dispositio illas etiam Ecclesias respiciat, in quibus redditUum portiones maiores sint ducatis 60., quippe quod animarum cura Oeconomo commissa Titulo vacante, novum officium ei impositum censetur.

Oeconomus vacantis Tituli Curati Canonicatui adnexi ex eius praebenda annalem portionem recipiat relate ad duplicem quintam reddituum portionem. In ducendo vero funere omnes Oeconomi duplicem portionem ex fidelium oblationibus, ut Parochi recipiant. Reg. Rescr. sub die XXII. Ianuar, 1825.

2. Tempore elapso sex mensium si titularis ad Subdiaconatus Ordinem minime sit promotus, vacantis portionis ius, praevio concursu, digniori conferatur: facultas tamen Episcopis inest tempus prorogandi, ut ille Sacerdotio dedicaretur.

Si examen instituatur, Clerici etiam, qui suae aetatis annum XIX. iam expleverint, et in Seminariis, vel Lyceis doctrina, morumque honestate praestiterint, dummodo alii aetate provectiores non extiterint, admittantur. Reg. Rescr. sub die XXIX. Mai. 1830.

3. Si Ecclesiarum redditus ob diversas temporum vicissitudines deminutionem patiantur, Dioecesani Episcopi Congruam Parochis detrahant, inspecto fidelium numero iuxta taxam in novissima Conventione praefinitam: reliqui redditus si extent, ut quaedam pars beneficii inspiciantur, ac proinde detractioni subiacent, ut ceterae Titularium portiones. Quod

si isthaec deminutio sit magni momenti, et perpetua, tunc Episcopi novas constitutiones pro hisce Ecclesiis exhibeant, quae iuris ordine servato revideantur, et confirmentur.

Si vero fidelium liberalitate Receptitiis Ecclesiis praedia largiantur, ac proinde earum redditus reale recipiant incrementum, Episcopis facultas inest vel alios Titulos pro Clericis ad sacros Ordines promovendis constabilire, vel inspecto fidelium numero, incrementum inter Titulares extantes dividere, eorumque portionibus addicere. Reg. Rescr. sub die XVI. Iul. an. 1831.

4. Parochi, qui ex Ecclesiae redditibus Congrua dumtaxat in Novissima Concordatorum Lege praefinita fruuntur, Missarum oneribus, quae Ecclesiae praediis sunt adnexa, satisfacere non tenentur, sed tantummodo diebus festis iuxta Canones Missas pro populo celebrent. Quod si illorum Congrua taxam exuperet, tunc agnoscitur incrementum ut species portionis Curato Titulo adnexae. ac proinde Missarum legatis vel ipse satisfaciat. Reg. Rescr. sub die XXVIII. Septembris an. 1831.

5. Vicarii Capitulares, Sede vacante, Receptitiae titulos iuxta specialem Constitutionem *Impensa* conferre possunt, immo maiorem portionem minoribus Titularibus concedere. Reg. Rescr. sub die XXVIII. Septembris 1831.

6. Episcopi Dioecesani pro ecclesiastica Iuventute in re sacra erudienda Titulares in suis Seminariis eligere possunt, quo temporis intervallo residentiae legi ii minime sunt obnoxii.

Parochis, qui ecclesiasticis functionibus in Receptitiis non intersint indulgere potest Episcopus quoad distributiones illis adnexas ob Animarum curam, cui sedulo incumbant.

Receptitiis Ecclesiis Presbyteros quoque addicere possunt Episcopi ad titulum sacri patrimonii, et absque concursu. Reg. Rescr. sub die XXIV. Martii 1829.

Titularis Archipresbyter Curatus, qui ut prima dignitas praebendam titulo adnexam habet, et ex Receptitiae redditibus ut Curatus Congrua perfruitur, necnon distributiones quotidianas recipit, is Missarum oneribus Ecclesiae adnexis satisfacere debet.

Omnes Titulares, qui ex decreto Dioecesanae Curiae ante promulgationem Constitutionis *Impensa* lato aliqua portione gaudent, absque examine ad maiores gradus, veteri optione penitus abrogata, admitti possunt.

CAP. III.

De fundatione et erectione beneficiorum.

I. Nascuntur beneficia per fundationem.
II. Quae tam aedificationem, quam dotationem complectitur.
III. Eaque fit sola fundatoris voluntate.
IV. Suam voluntatem, caussasque fundandi asserens exponit fundator in priori parte instrumenti: in posteriori autem disponens revera fundat.

V. Bona sua quisque valet in fundationem beneficiorum largiri, quae ipso iure Ecclesiis, et beneficiis adquiruntur: at decimas, et ecclesiasticos redditus inconsulto Episcopo accipere Canonicis, et monachis prohibitum.
VI. Erectio fit adsensu Episcopi accedente ad fundationem, quo deficiente, nullum beneficium potest ecclesiasticum fieri, sed profanum remanet.
VII. Praxis postulandi, et conficiendi erectionem traditur.
VIII. Titulum ecclesiastici beneficii ad certum altare sub invocatione alicuius Sancti constituit erectio, qui titulus, et aram, et capellam significat.
IX. Lapidis erectio in titulum in sacris paginis usurpata.
X. Ad certum altare fundata capellania in dubio praesumitur volita per fundatorem ecclesiastica.
XI. Plura in uno altare beneficia erigi possunt.
XII. Sine dote sufficienti novum erigi beneficium non debet.
XIII. Conditiones a fundatore volitas, Iuri etiam communi contrarias fere debet Episcopus erigens adprobare.
XIV. Easque semel adsensu Ordinarii probatus nequit fundator mutare, nisi mutatio noceat nemini, et Episcopi accesserit auctoritas.
XV. Per quadragenariam observantiam fere status beneficii mutatur.
XVI. Qualitatibus, et oneribus fundationis potest solus Pontifex derogare.
XVII. In erectionibus nil praeter cathedraticum Episcopo debetur.
XVIII. Inferiora beneficia aliquando eriguntur in titulos maiores.
XIX. Collegiatam Ecclesiam olim Iure communi poterat Episcopus erigere: ex decretis tamen S. C. Cong. solus Papa erigit.
XX. Cathedralis erectio ad Sedem Pontificiam pertinet.
XXI. Itemque saecularis in regularem, vel regularis in saecularem Ecclesiam mutatio.

I. Beneficia utique non nascuntur, sed fiunt, ait Abbas (1). In actu primo scilicet materialiter per *fundationem*, et in actu secundo reipsa per *erectionem*.

II. Inspectis canonibus antiquis, ac decretalibus recentioribus *fundatio* accipitur pro constructione, simul ac dotatione Ecclesiarum, vel Capellarum; verusque fundator is dicitur, qui nedum ad structuram Ecclesiae fundum, sed etiam dotem sufficientem pro aedificatione, pro alendis ministris, aliisque necessariis ad Dei cultum rite peragendum confert: at qui vilem tantummodo aream dederit, vix *benefactor* appellari poterit (2). Nam

(1) Abb. Panormit. *lib. 1. cons.* 54.
(2) Wan-Espen *par.* II. *tit.* 15. *cap.* 3.

ex Concilio Aurelianensi ante praefinit, qui aedificare vult Ecclesiam, quae ad luminaria, et ad custodiam, et ad stipendia custodum sufficiunt, et ostensa donatione sic demum aedificet (1). Ideoque nonnullis perperam visa est solius fundi datio, et fundatorem efficere, et iuspatronatus adquirere (2). Quandoquidem fundatores illi rectissime nuncupantur, et passim, qui annuos redditus pro fundo, seu dote alicuius beneficii, vel capellaniae relinquunt, etiam in Ecclesia, et capella per alios constructa; atque instrumenta fundationis dicuntur testamenta, aliaeve scripturae, quibus dos beneficii constituitur.

III. Sola voluntas fundatoris parit fundationem, qui libere valet in fundationis limine quascumque conditiones, et leges praescribere etiam Iuri communi positivo contrarias; dummodo bonis moribus, et legi divinae, aut naturali non adversentur: earumque observantia, executio, et conservatio ad Ius publicum pertinet, quatenus tamquam leges inviolabiles non contemnantur, ne fideles ab Ecclesiis aedificandis, ac dotandis retrahantur (3).

IV. Publico hinc fundationis instrumento fundator declarat Ecclesiam, vel Capellam, vel altare, vel beneficium sub invocatione, ac titulo alicuius Sancti fundare pro redemptione animae suae iuxta formulam in vetustis fundationibus usitatam (4), vel pro suffragio animarum et sui ipsius, et parentum, maiorumque suorum, vel pro devotione sua erga eumdem Sanctum; donatione irrevocabili constituit, atque designat pro dote, ac fundo illius hoc, illudve praedium, et ea bona stabilia fructifera certis finibus describenda, annuosque redditus eorumdem; quos rector, vel beneficiarius, vel capellanus percipiet quotannis ad vitam cum onere celebrandi tot Missas, quot voluerit, aliaque onera ab seipso praescripta implendi, cumque aliis conditionibus, ac legibus sibi bene visis. Quare in priori parte instrumenti exponitur, et asseritur caussa impellens, et finalis fundandi, et intentio fundantis : in posteriori fit actus praecipuus donationis, et fundationis, ipsa nimirum dispositio fundatoris.

V. Schisma investiturarum quoadusque perstitit, Praelatos Ecclesiarum, Episcopos, Abbates laici potentiores per annulum et virgam investiebant, et sine auctoritate ecclesiastica pro arbitrio instituebant, ac destituebant, decimas, et proventus ecclesiasticos usurpando. Cuiusmodi sacrilegas invasiones quum Concilia diversa, et plurima censuris, et anathematibus extrudissent: saeculo demum X, atque XI. perplures laici religione, ac poenitentia ducti, quidquid Iuris ecclesiastici rapuerant, in funda-

(1) Conc. Aurelian. in *can. nemo Ecclesiam* 9. *de cons. dist.* 1.

(2) Id aptius exponitur in *tract. de iurepatr. cap.* 5.

(3) Pelag. in *can. Eleutherius* 30. *et pen. C.* 18. *qu.* 2. rescripsit conditiones tempore, quo dedicatum fuerat monasterium, conventas, et positas ab Eleutherii Episcopi matre fundatrice, servari oportere. Clementin. *quia contingit* 2. *de relig. domib.* Trid. in *cap. ratio postulat* 5. *sess.* 25. *de ref.* decrevit, ne qualitatibus, aut oneribus in erectione, seu fundatione beneficiorum iniunctis quid umquam derogetur. Hinc suboscura, vel non omnino recta videtur ea regula, quam ex *arg. l.* 46. *C. de Episc. et cler.*, *et Nov.* 101. *cap.* 10. Balsamon eruit, quod nimirum leges, et statuta a fundatoribus dicta, nisi canonibus adversentur, vim et robur obtineant.

(4) *Pro remedio animae suae* quidam nobilis contulit quasdam terras monasterio de Melios, ut refert Gl. in *cap. cum dilecti* 6. *de donation. verb. in casu.*

tiones monasteriorum, et Ecclesiarum saepissime conferebant sub quaesito colore donationis, et cessionis, quum non merae liberalitatis, et pietatis caussa id ipsi agerent. Et saepenumero non iis Ecclesiis, quibus bona erant ablata, restituebant, ut par erat, sed aliis monachis potius, et Canonicis donare simulabant. Quare pluribus canonibus constitutum est, ne amplius inconsultis Episcopis monachi, et Canonici decimas, et ecclesiasticos proventus accipere praesumerent, ex decreto praesertim Urbani II. (1), et pluribus S. Gregorii VII. sanctionibus, et epistolis (2).

VI. Fundationem ecclesiastici beneficii perficit *erectionis* decretum, scilicet adsensus, et adprobatio Episcopi, seu Ordinarii: sine quo fundatum beneficium erit *profanum*, et appellari tunc solet *capellania laicalis*, aut *legatum pium*. Ex decreto Hormisdae, *nullus presbyter in Ecclesia consecrata aliud altare erigat, nisi quod ab Episcopo loci sanctificatum est, vel permissum: ut sit discretio inter sacrum, et non sacrum* (3). Gelasius Papa Senecioni Episcopo rescripsit, ut dedicationem, et benedictionem impenderet tam Ecclesiae S. Viti a Iulio fundatae, quam altari SS. Michaelis Archangeli, et Martini a Fringentio extructae, ad suam parochiam, seu dioecesim pertinentibus (4). Clemens III. *Ecclesiam nonnisi cum adsensu Dioecesani* constructam adprobat (5). Ceteris autem Presbyteris episcopali, vel quasi iurisdictione carentibus hanc erigendi altaris, vel beneficii ecclesiastici potestatem canones vetant antiquissimi (6), et leges imperiales (7).

VII. Quare fundator beneficii vivens, vel eiusdem heres exhibere Ordinario debet authenticum instrumentum fundationis continens congruam, et sufficientem dotationem super bonis stabilibus, onera, et conditiones volitas: et libello postulare, ut adsensus Ordinarii desuper impertiatur, sicque fiat erectio beneficii. Ordinarius autem viso instrumento huiusmodi, ubi concurrant omnia necessaria ad beneficii naturam, et bona sint sufficientia, decretum suum interponit, quo Ecclesiam, vel capellam sub invocatione, ac titulo alicuius Sancti recenter constructam, vel beneficium, seu capellaniam certo altari iamdiu relictam erigit in titulum perpetui beneficii ecclesiastici, eique dotem a fundatore constitutam applicat: eodemque tempore adprobat conditiones a fundatore volitas, quae sint adprobandae, et reiicit reiiciendas: reservato iure cathedralico, et salvis Ecclesiae parochialis iuribus.

(1) Urban. II. an. 1095. circiter in *can. congregato* 2. *C.* 16. *qu.*

(2) S. Greg. VII. in *can. decimas* 1., *can. pervenit* 3., *can. si quis deinceps* 12. *ead. C. et qu.*

(3) Hormisdas an. 514. creatus Pontifex in *can. nullus presbyter* 25. *de cons. dist.* 1. Videsis quae dixi *lib.* III. *Inst. Canonic. tit.* 9. *num.* 28.

(4) Gelas. in *can. piae mentis* 26., *et can. Frigentius* 27. C. 16. *qu.* 7.

(5) Clem. III. in *cap. nobis fuit* 25. *de iurepatr.*

(6) *Can.* 32. vulgo Apostolor. ita se habet: *Si quis presbyter, contempto suo Episcopo, seorsum congregationem faciat, et aliud altare figat, quum nihil ad pietatem, et iustitiam pertinens in Episcopo damnaverit, deponatur tamquam dominandi cupidus. Deponantur etiam reliqui clerici, quicumque ei se adiunxerint.*

(7) Iustinianus *Nov.* LXVII. *cap* 1. omnibus generatim prohibuit Ecclesias aedificare, *nisi Episcopus orationem antea in loco faciat, et Crucem figat, publicum processum illic faciens, et caussam manifestam omnibus statuens.* Videsis dicta in *tract. de jurepatr. cap.* 1. *num.* 16.

VIII. Sine *titulo* quidem consistere non potest erectio ecclesiastici beneficii: qui accipitur heic pro Ecclesia ipsa, vel capella, vel ara alicui Sancto dicata ad tutelam hominum, a *titulo* derivatus: quia titulum Romani appellabant arcem urbis altissimam, quae pro specula iuserviebat civitatis, ac longe prospiciendo illam custodiebat, tutabatur, defendebat (1). Sensu inde translate *titulum* quandoque pro peculiari Ecclesiae parte, seu altare conspicuo accipere Scriptores consueverunt. *Singuli Presbyteri debent ab Episcopis ordinari, et poni per singulos titulos suos*, ait auctor apocryphae decretalis Anacleti (2); scilicet per singulas Ecclesias iuxta receptam Glossae inlerpretralionem (3).

IX. In sacris quoque Litteris vetustissima est vox *erigendi* ad rem nostram congruenter accomodatam. *Surgens Iacob mane tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, et erexit in titulum*, ait sacer textus Genesis (4). Et in libris Regum legitur, quod *Absalon erexerat sibi, cum adhuc viveret*, titulum, *qui est in valle Regis. Dixerat enim: non habeo filium; et hoc erit monumentum nominis mei: vocavitque* titulum *nomine suo*, *et appellatur* manus Absalon *usque ad hanc diem* (5).

X. Ideo iureconsultissimus Fr. M. Pitonius recte innuit, fundatio capellaniae ad certum altare ordinata ostendat in dubio fuisse volitam ere-

(1) Dominicus Marci in *bierolexico* verb. *titulus*, ex Varrone *lib.* 6. *de ling. latin.*

(2) Anaclet. in *cap. Episcopi* 4. *dist.* 80. In primitivae Ecclesiae monimentis saepe occurrit vox *titulus* pro Ecclesia. In libro enim Pontificali in vita Marcelli Papae *to.* 1. *Concil. p.* 94. sic habetur: *Hic fecit coemeterium via salaria, et viginti quinque* titulos *in urbe Roma constituit, quasi dioeceses, propter Baptismum, et Poenitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, et propter sepulturas martyrum.* Et matrona quaedam, nomine Lucina vidua . . . *domum suam nomine tituli* B. Marcelli *dedicavit, ubi diu, noctuque hymnis, et orationibus Domino Iesu Christo confitebantur. His auditis a Maxentio, misit, et iussit in eadem Ecclesia iterum plancas sterni*, ut ibidem *animalia catabuli congregata starent, et ipsis Marcellus deserviret.* In *cp.* 4. Pii ad Iustum Vicon. *tit.* 1. *Conc. pag.* 577. presbyter *Pastor* titulum *condidit, et digne in Domino obiit.* Undo vero istius vocis applicatio ad Ecclesias exprimendas promanaverit, non consentiunt eruditi. Baronius *an.* 112. *num.* 5. sic ait: *Unde acciderit, ut domus fidelium in sacrum usum conversae, quas nos* Ecclesias *dicimus a maioribus* tituli *dicerentur, paucis aperiendum. A rebus fiscalibus videtur accepta esse nomenclatura.* Tituli *namque impositione rem aliquam sibi* fiscus *solitus erat vindicare, atque Principi consecrare: ut quam ait Imperator.* «Tituli vero quoque adiectione praedia nostris sunt » conseeranda substantiis, nonnisi pubblica iustificatione proponantur. Fuisse hu» iusmodi *titulos* veluti quaedam, quae regiam repraesentarent potestatem, vel ima» ginibus Imperatorum, vel nominis ipsorum inscriptione insignita, multa sunt, quae » poterunt demonstrare ». Binghamus *lib.* VIII. *orig. Eccl. cap.* 1. § 10. eam amplectitur sententiam, quae opinatur *tituli* nomen acceptum a titulo beneficii illis Presbyteris dato, quibus committebantur, seu conferebantur. Et refert alteram Medi opinionem, quod in dedicatione Ecclesiarum nomen, seu titulus Domini nostri Iesu-Christi inscribi solitus, quemadmodum in praediis, et dominus olim tituli, et nomina dominorom inscribebantur, denominationem eiusmodi tribuerit Ecclesiis: indeque pariter Basilicas fuisse easdem nuncupatas, utpote quae ad dominum pertinerent.

(3) Glos. in *cap. dudum Ecclesia* 34. *de elect.* verbo *intitulatam.*

(4) Genesis *cap.* 28. *vers.* 18.

(5) Lib. II. Regum *cap.* 18. *vers.* 18.

ctionem capellaniae ecclesiasticae, verumque beneficium collativum, quod solum erigi dicitur in altare sub invocatione alicuius Sancti (1). Nam legato pio, et capellaniae laicali repugnat erectio facienda in altare: citatque ad id firmandum auctoritatem Lotterii, et Rotae Romanae (2).

XI. Cum vero spiritualia non occupent locum: nil implicat, ut in uno, eodemque altare plura beneficia erigantur (3). Addit Cardinalis de Luca, in eodem altare, eademque Capella reapse consistere plura diversae naturae beneficia: alia scilicet liberae collationis, alia iurispatronatus, quae diversae quidem personae obtinent cum diversis oneribus, et legibus maioris, vel minoris servitii, aut residentiae (4).

XII. Ex Concilio Bracarensi II. *unusquisque Episcoporum meminerit, ut non prius dedicet Ecclesiam, nisi antea dotem basilicae, et obsequium ipsius per donationem chartulas confirmatum accipiat: nam non levis culpa est ista temeritas, si sine luminariis, vel sine substantiali sustentatione eorum, qui ibidem servituri sunt, tamquam domus privata consecretur Ecclesia* (5). Proventus itaque in dotem beneficiorum adsignandi esse debent sufficientes arbitrio Episcopi iuxta locorum, et personarum qualitatem. Enimvero Iustinianus Imperator edixit, ut *Episcopus definiat mensuram, et ad luminaria, et ad sacrum ministerium, et ad incorrumpendae domus custodiam, et observantium alimenta, et si sufficienter habere viderit, faciet prius donationem eorum, quae futura sunt, deputari: et ita domus aedificetur* (6).

XIII. Conditiones a fundatore volitas Episcopus debet regulariter adprobare, etiam Iuri communi positivo contrarias (7): puta quod praesentari, et institui clericos etiam sepiennis debeat; non obstante lege Tridentina, et Concordatorum, qua aetas quatuordecim annorum exigitur in eis, qui beneficium ecclesiasticum velint obtinere, primamque tonsuram clericalem suscipere. Vel quod fructus omnes vacante beneficio impendantur in sacra supellectilia, vel Ecclesiae fabricam, aliudve pium opus: tametsi Iure Communi ad Cameram Apostolicam pertinent. Id genus aliae. Eas autem sine caussa renuens Dioecesanus admittere ab Archiepiscopo, aliove Superiore monebitur, vel cogetur, vel denegatus adsensus re cognita supplebitur. Si tamen reiiciendae sint ob turpitudinem, vel quod naturae beneficiorum repugnent, ubi scilicet fundator vellet beneficium fore conferendum laico, vel ad tempus, vel deficientibus clericis de familia vocata dos redeat ad heredes profanos, aut quid aliud eiusmodi: suum et Episcopus, et Metropolitanus adsensum iure merito denegabunt. Cumque adsensus Ordinarii formam fundationi, atque erectioni tribuat, et quasi contractum inter Episcopum et fundatorem constituat, consequens est, ut tenor eiusdem adsensus in primaeva erectione concessi po-

(1) Fr. M. Pitonius *de contr. patr. alleg.* 49. *num.* 1.
(2) Lotter. *de re beneficiaria lib.* 1. *qu.* 30. Panimoll. *dec.* 21. et Rota coram Emerix iun. *dec.* 1100.
(3) Id Rota declaravit coram Penia *dec.* 1394, et Card. de Luca *de iurepatr. disc.* 17. *num.* 2.
(4) Card. de Luca *ibidem num.* 2.
(5) Conc. Bracar. II. in *can. placuit qu.* 2.
(6) Iustin. *Nov.* 67. *cap.* 2.
(7) Glos. in *cap. cum dilectus* 8. *de consuetud.* verbo *constitutum.*

tius, quam nuda fundatoris voluntas, attendendus sit. Nam Pelagius Papa servandas rescripsit eas conditiones, quas tempore dedicationis inter Episcopum Cardellum, et matrem Eleutherii Episcopi fundatricem ambo convenissent (1).

XIV. Leges autem semel in fundatione praescriptas, et ab Ordinario firmatas tam ipse fundator, quam heres, et successor eius nequit contra Ius positivum, vel in alicuius praeiudicium, accedente etiam consensu Episcopi mutare. Nam ius quaesitum sive Ecclesiae libertati, sive quibuslibet personis tolli non potest, nec debet. Sane Innocentius III. rescripsit statutum a Moriensi Episcopo ad petitionem patronorum Ecclesiae Andrensis factum, nec Iuri communi, nec privilegio derogare (2). Sed ubi novae conditiones, vel mutationes sint legibus Ecclesiae, ac publico Iuri consentaneae, nullumque aliis inferant praeiudicium, superaddi, ac fieri possunt, accedente Episcopi auctoritate, et patronorum voluntate (3).

XV. Statum beneficii mutari aliquando per quadragenariam observantiam, seu legitimam praescriptionem, censuit Bonifacius VIII (4), et notat Vivianus (5): atque in dubio capellaniam laicalem censeri beneficium ecclesiasticum, si constet de una episcopali collatione, vel institutione Ordinarii, addit Rebuffus (6). Sed in claris quando fundator noluit capellaniam esse beneficium, non sufficit eam fuisse collatam velut beneficium spatio 40. annorum: sed requirunt alii tempus immemorabile ex regula Bonifacii VIII (7), alii omnem tunc praescriptionem abiiciunt, ut pia fundatoris voluntas vim legis babeat perpetuam nullo temporis lapsu quam longissimo, nullaque cuiuslibet auctoritate (praeterquam suprema) commutandam, nec violandam (8).

XVI. Ceterum ex Tridentino, *quando ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione qualitates aliquot requiruntur, seu certa illis one-*

(1) Pelag. in *can. Eleutherius* 30. *seu pen. C.* 18. *qu.* 2.

(2) Innoc. III. in *cap. cum dilectus* 8. *de consuetud.* ibique Glos. verb. *constitutum*, et Fagnan in *cap. conquerente de cler. non resident. num.* 4. Hinc impubes 14. annis minor nequit post fundationem adsensu Dioecesani perfectam, consummatamque idoneus fieri nova fundatoris conditione ad clericatum, beneficiumque sui patronatus obtinendum. Quemadmodum nec patronatus alicui certae familiae, aut personae in ea reservatum adimi voluntate posteriori.

(3) Vivian. *lib.* 2. *de iurepatr. cap.* 8. *num.* 10.

(4) Bonifacius VIII. in *cap. cum de beneficio* 5. *de prob. in VI.* statuit beneficium ecclesiasticum clericorum saecularium debere illud intelligi, *quod tanto tempore ab uno, vel pluribus saecularibus clericis institutis in eo rectoribus extitit continue, ac pacifice gubernatum, ut praescriptio legitima sit completa: etiamsi ante, vel post religiosi quandoque ministraverint in eodem.*

(5) Vivian. *par.* 2. *de iurep. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 61.

(6) Rebuff. *in prax. benefic. de pacifica posses. num.* 349.

(7) Bonif. VIII. in *cap. Episcopum* 1. *de praescript. in VI.* Azorius autem laudatus a Garzia *par.* 7. *cap.* 7. *num.* 34. in hoc etiam casu quadragenariam admittit praescriptionem, *arg. cit. cap. cum de beneficio.*

(8) Pias fidelium voluntates violare, *equum non est*, ex Tridentina sententia in *cap. sicuti legitimo* 9. *sess.* 15. *de ref.* Ultimamque voluntatem cuiusque nonnisi iusta, et necessaria caussa commutari auctoritate Sedis Apostolicae posse, decrevit eadem Synodus in *cap. in commutationibus* 6. *sess.* 32. *de reform.*

ra sunt iniuncta, eis non derogetur (1). Nemo quidem inficiatur suprema Pontificis maximi potestate derogari posse legibus fundationis, attamen praesumuntur citra eius mentem extortae huiusmodi derogationes, quae laicorum iuribus officiunt: ideoque servatis servandis suspendi earum executionem dissentientibus patronis praxis ostendit.

XVII. Placuit supra laudato Concilio Bracarensi, *ut quoties ab aliquo fidelium ad consecrandas Ecclesias Episcopi invitantur, non quasi ex debito munus aliquod a fundatore requirant, sed si ipse quidem aliquid ex suo voto obtulerit, non respuatur: si vero aut paupertas illum, aut necessitas retinet, nihil exigatur ab illo* (2). Sed nomine cathedratici ob honorem cathedrae episcopalis non amplius, quam duos solidos Episcopo permittitur accipere (3), vel aliquid iuxta taxam vetusti moris (4).

XVIII. Inferiora quandoque simplicia beneficia eriguntur in Canonicatum, seu dignitatem, seu personatum cum residentia, vel in parochiam cum cura animarum, vel in Collegiatam, vel in Cathedralem. Novam parochiam vel filialem, vel matricem potest Episcopus erigere propter augmentum cultus divini, si parochianis difficile sit suam adire parochiam, ubi pluviae hyemali tempore inundant: dummodo antiqua parochia tantis redditibus abundet, ut etiam Minister illius congruam valeat substentationem habere (5).

XIX. Collegiatam quoque Ecclesiam cum collegio Canonicorum saecularium, quae Capituli, et collegii iura perpetuo habitura sit, erigi posse auctoritate Episcopi innuit Clemens III. (6). Ibi Glossa interpretatur *conventualem* dici, in qua duo, vel tres de collegio sunt (7). Neratius Priscus *tres facere existimat collegium, et hoc magis sequendum est*, inquit Marcellus iureconsultus (8). Consonat Lucius Papa rescribens, *ut nullus in Ecclesia, ubi duo, vel tres fuerint in congregatione, nisi eorum electione canonica Presbyter eligatur* (9). Inibi Glossa notat duos facere congregationem, tres collegium: licet retineri possit in uno ius collegii (10), decem hominibus conflari populum (11), et pluribus, quam decem, vel quindecim turbam (12). Petrus tamen Rebuffus testatur istiusmodi erectionem fieri solitam Papae auctoritate (13). S. Congregatio Concilii coepit abhinc anno

(1) Trid. in *cap. ratio postulat* 5. *sess.* 25. *de reform.*

(2) Conc. Bracarense II. in *can. placuit* 1. *qu.* 2.

(3) Ex eodem Conc. Bracarensi in *can. placuit* 1. Pelag. ad Cresconium Siciliae defensorem in *can. illud te volumus*, 4. *et can. illud magnitudinem* 19. Conc. Tolet. VII. in *can. inter cetera* 8. *C.* 10. *qu.* 3.

(4) Gelas. in *can. nec numerus* 5. *ead. C.* 10. *qu.* 3.

(5) Alex. III. in *cap. ad audientiam* 3. *de Eccles. aedificand.* Trid. in *cap. Episcopi* 4. *sess.* 21. *de ref.* Huc spectant quae dixi *lib.* 1. *Instit. Can. tit.* 30. *n.* 6.

(6) In *cap. nobis fuit* 25. *de iurepatr.*

(7) Ad id probandum Glossa laudat *cap.* 1. *de electione.*

(8) Marcellus in *l. Neratius* 85. *D. de verb. sign.*

(9) Lucius in *cap. nullus* 1. *de elect.* Huius at capituli auctorem incertum esse commonet Antonius Augustinus, quum ipsum alii Pio, alii Alexandro inscribant: Lucio vindicat Emmanuel Gonzalez.

(10) Ulpian. in *l. sicut* 7. §. *ult. D. quod cuiusque univers. nom.*

(11) Conn. Tolet. XVI in *can. unio* 3. *C.* 10. *qu.* 3.

(12) Ulpian. in *l. Praetor ait* 4. §. 1. *et seq. D. de vi bonor raptor.*

(13) Rebuff. in *praxi beneficiaria par.* 1. *de erect. in collegiatam.*

1623. declarare ad Apostolicam Sedem dumtaxat pertinere Collegiatarum erectiones (1).

XX. Cathedralis quidem erectio nonnisi a Summo Pontifice fieri potest (2). Communi autem iure facultatem habet Episcopus et erigendi officium simplex in Ecclesia cathedrali, et antiquam redintegrandi cum consensu Capituli dignitatem, quae sua in Ecclesia primum extiterit, dein suppressa fuerit, novam vero dignitatis institutionem, erectionemque ad Romanum tantum Pontificem spectare, consentiunt Doctores (3).

XXI. Regularis etiam in saecularem Ecclesiam, et contra saecularis in regularem quandoque mutatur, et erigitur sola Pontificis auctoritate: cuius est derogare Concilio Chalcedonensi praecipienti, ut *quae semel dedicata sunt monasteria cum consilio Episcoporum, maneant perpetuo monasteria* (4). Urbanus III. auctoritate apostolica indulsit cuidam Episcopo regulares Canonicos ordinare in Ecclesia saeculari, de qua in Episcopum vocatus fuit: si Episcopus dioecesanus consensisset sine praeiudicio clericorum saecularium, quibus, donec vixissent, necessaria tribui mandavit (5). His quidem casibus prioribus beneficii titulus omnino extinguitur per suppressionem, eiusque redditus incorporantur, et per novam erectionem alteri titulo, seu beneficio uniuntur.

ADDITAMENTA

DE ECCLESIIS COLLEGIATIS.

I. In Regno Neapolitano pleraeque Ecclesiae fidelium liberalitate fundis auctae in Collegiatarum dignitatem iuxta canones ad divinum cultum

(1) Fr. M. Pitonius *to.* 4. *discept. eccl.* 116. *num.* 30. Io. B. Rigant. in *Reg. IV. Cancell. to.* 1. §. 2. *num.* 95.

(2) Innoc. III. in *cap. vovit ille* 1. *ne sede vacante aliq. innov.* et in *cap. quod translationem* 4. *de offic. legati*. Sacris enim canonibus cautum quum sit, ut quae numquam Episcopos habuere dioceses, ac civitates, non habeant, ex Conc. Chartag. II. in *can. felix* 50. *C.* 16. *qu.* 1. iis derogandi arbitrium supremae solum Potestati est omnino liberum et voluntarium. An legitima caussa id postulet Papa, solet antea inquirere auditis partibus in Concistorio, aliove coetu Praesulum, cui tale negotium mandaverit excutiendum. Libellos Cleri, populique civitatis S. Germani, qui erectionem vel restitutionem Episcopatus in eadem civitate flagitaverant, Benedictus XIII. in Concilio Romano iudicibus querelarum in eo ipso Concilio deputatis remisit, qui die 18. Maii 1725. decreverunt querelas contra Abbatem Cassinensem, eiusque iurisdictionem quasi episcopalem reiiciendas fore, perpetuumque silentium expetitate Episcopatus erectioni seu restitutioni imponendum. Id quod ipse Pontifex firmavit *const. inscrutabilis*, pridie nonas Aug. 1725. impressa in *append. ipsius Conc. Rom. num.* 8.

(3) Abbas in *cap. cum accessissent* 8. *de constit. num.* 4. Fagnan. in *cap. dilecto de praebendis num.* 7., Corrad. in *prax. benefic. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 28., Card. Petra ad *const.* 2. *Eugenii III. sect. unic. num.* 35., Benedictus XIV. *lib. VII. de Syn. dioeces. cap.* 65. *num. ult.*

(4) Conc. Chalced. in *can. quae semel* 4. *C.* 19. *qu.* 3.

(5) Urban. III. in *cap. ad audientiam* 5. *de Eccles. aedific.*

promovendum erectae fuerunt. Sub Militari autem Regimine ecclesiasticae sanctiones, quae illas respiciunt, conculcari penitus visae sunt.

II. Atvero Clementissimus Rex noster Ferdinandus II, qui Maiorum suorum in Ecclesiam voluntatem eximia pietate non tantum aequare, sed et praegredi, atque antecellere in dies videtur, Regio Rescripto sub die V. Octob. 1839. Collegiatarum examen Supremis Concordati Executoribus committendo, sanxit:

III. Praeter Collegiatas Ecclesias, quae fundationis, et erectionis titulo gaudent, in posterum quoque, ut Collegiatae agnoscentur aliae Ecclesiae, quae ob temporis diuturnitatem, rerumque vicissitudines illo careant, ac proinde probationes suppletorias Titulares exhibebunt, quarum una dumtaxat satis erit, dummodo ex ea collegialitas eruatur.

Tum ibidem statuit hanc sanctionem Ecclesias in Dioecesibus huiusce Regni extantes non respicere, quas iam iuxta Antistitum consultationes Episcoporum Commissio, cui Apostolicae Sedis Nuntius praeest, Receptitias agnovit, atque ex Litteris Apostolicis *Impensa* iam ibi locorum Ministri adscripti sunt.

Denique in eo cautum, quod Supremi Concordati Executores Canonicorum petitiones exciperent, probationes suppletorias discuterent, et Ecclesiarum collegialitatem iuxta canones declararent.

IV. Quamobrem ab hisce Supremis Viris, collatis consiliis, nonnullae Ecclesiae in Ditionibus citra Pharum extantes collegialitatis iuribus potiri quotidie agnoscuntur, et in integrum cum omnibus praerogativis non sine fidelium utilitate restituuntur.

V. Iamvero nonnulla heic afferre praestat, quae tum de potestate erigendi Collegiatas, tum de illarum probationibus canones edixerunt.

VI. Et principio Collegiatarum erectionem usque ad annum 1623; quo tempore contraria decreta S. Congregationis Concilii lata fuerunt ad Episcopos spectasse compertissima res est.

VII. Profecto iure antiquo expresse constitutum (1) quamlibet Ecclesiam sola interveniente Episcopi Dioecesani auctoritate in Collegiatam erigi posse.

VIII. Iure Decretalium quoque sancitum Episcopi consensum in earumdem Ecclesiarum erectione dumtaxat requirendum. Ita enim rescripsit Clemens III. (2): *quod si quis Ecclesiam cum adsensu Dioecesani construxit, ex eo iuspatronatus adquirit: ceterum in Conventuali Ecclesia non electioni Praelati faciendae, sed iam factae honestius patroni postuletur adsensus:* et Urbanus II. precibus adhaerens cuiusdam fundatoris, qui Collegiatam Ecclesiam instituere exoptabat, rescripsit, ut a sola Episcopi voluntate is penderet quoad fundationem, et erectionem (3). Hinc Rota Iuris Regulam secuta, quae praecipit titulorum validitatem tempore stipulationis esse desumendam: *in stipulationibus id tempus spectamus, quo contrahimus* (4), die XXVIII. Novemb. an. 1692. diserte idipsum decla-

(1) Decret. can. 73. caus. 12. q. 2. Can XIII; et XX. ead. quaest.
(2) In Cap. *nobis fuit* XXV. *de Iurepatr.*
(3) Cap. V. *de Eccles. aedific.*
(4) De Reg. Iuris L. 144. §. 1.

ravit (1). Quare Pitonius (2): *erectio Collegiatarum*, inquit, *poterat fieri auctoritate Episcoporum de eo tempore, quo nondum supervenerant contraria decreta S. Congregationis Concilii, quae supervenerunt de anno tantum 1623; ut reprobatis contrariis firmavit Rotae Auditorium coram Emerix Iunior. decis. 1084. n. 2.: quae opinio tenetur in praxi, quia dum status Collegiatae non est recens, sed antiquus, non est necessarium ostendere adsensum Apostolicum, qui est praesumptus ab observantia centenaria, ut scribit Lotterius de re beneficiaria Lib. 1, quaest. 14. n. 52.: Rota in Augustana Canonicatus Provinciae Moguntinae 26. Iunii 1709. §. Constito coram Molines.* Tandem Benedictus XIV. de hisce Titulis disserens (3): *de Collegialitate*, inquit, *non est dubitandum, licet anno 1564. erecta fuisset sola Episcopali interveniente auctoritate, cum tunc temporis vigeret opinio inter Doctores, et in Tribunalibus recepta, quod Episcopus iusta interveniente caussa erigere posset, et instituere Collegiatam, uti plane habetur in Decis. 1084. coram Emerix Iunior.*

IX. Ex praemissis igitur liquido patet potestatem Collegiatas erigendi usque ad ann. 1623. penes Dioecesanos Episcopos fuisse: ex eo tempore vero usque ad praesens Sedi Apostolicae omnino illam reservari.

X. Quod autem spectat ad probationes status collegialis Ecclesiae plura heic animadvertenda censemus.

XI. Nimirum cum possessio in Iure sit factum non minus reale, ac ipse titulus: factum externum, et continuum, quod ius adquisitum demonstrat, idcirco ne dominia sint incerta, utque finis esset litium, leges civiles latae fuerunt, quae ad praescriptionem pertinent, tamquam remedium ad civium iura tuenda necessarium. Itaque eamdem vim praescriptioni illae tribuunt, quam aperte reclamant transactiones, et res indicatae: *ut sunt iudicio terminata, transactione composita, longioris temporis silentio finita* (4). Unde cum possessor pacifice, et publice praerogativis suo iuri adnexis tempore a lege ad praescriptionem inducendam definito utitur, titulos exhibere non cogitur, qui ob temporis diuturnitatem, rerumque vicissitudines forsan perierint.

XII. In Collegiatis Ecclesiis vero centenariam praescriptionem Canones requirunt, quo diutissimo temporis intervallo Sedis Apostolicae ad-

(1) *Communiter erat inter DD. opinio, cui etiam pluries nostrum Tribunal adhaeserat, quod ex iusta, et rationabili caussa, ut saltem eum divinis officis, et aliis precibus satisfieret piis defunctorum voluntatibus circa Missas, quae ob defectum Sacerdotum adimpleri non poterant, licitum esset Ordinariis locorum Ecclesias erigere in Collegiatas, ut per* Text. in Cap. Quoniam de vita, et honestate Clericorum *firmant ibi Abb. antiq. n. 1. Io: Andr. n. 3. Panormit. n. 2.; et 6. Garzias* de beneficiis *par. XII. cap. 5.; secundum quam opinionem iudicari debet de eius temporis erectione, licet deinceps ob superventas declarationes S. Congregat. interpretationi S. Conc. Trid. praepositae contraria invaluerit, ut notat Rota decis. XXV. n. 12. coram sanct. mem. Alexandr. VIII: et utcumque se res habet, semper consuetudo, seu praesumptio succurrit, cum erectio reperiretur saltem in implicito statu validitatis, ac Ecclesia semper fuerit in opinione, et figura Ecclesiae* Collegialis 1.

(2) Discept. Eccles. CXVI. par V. pag. 91.

(3) Tom. I. quaest LXIV. edit. Bassan. pag. 37.

(4) L. 260. ff. *de verbor. signif.*

sensum praesumunt. Ad rem Card. Petra in Commentariis ad pontificias constitutiones: *praescriptio*, inquit, *validitatem erectionis inducit per spatium centum annorum, et consensus Papae praesumitur, si fuerit in statu Collegialitatis saltem implicito, donec contrarium declaretur: ex antecedenti enim statu collegialitatis praesumitur eius continuatio: DD. in L. sive possidetis C. de probat.* (1). Cui proprie, aptisque verbis respondet Lotterius (2), et Rota quoque adhaesit (3). Quamobrem ecclesiasticae sanctiones defectu tituli erectionis probationes suppletorias exhibendas esse decernunt, quibus Ecclesiae collegialitas eruatur, uti expresse constituit Innocentius III. (4). Hinc eadem Rota die XXVII. Iunii 1707. censuit: *deficiente etiam fundatione, et privilegio apostolico, ex inditiis, et coniecturis satis manifestari potest Collegialitas* (5).

XIII. Denique potissima indicia heic referre duximus, quibus Ecclesiae collegialitas iuxta canones eruatur.

Et 1. Ex immemorabili existimatione Collegialitatis, iunctis enunciativis antiquis (6).

2. Ex Apostolicis Litteris ad Ecclesiarum Collegialium Canonicos directis (7).

3. Ex proprio Collegii sigillo (8), dummodo insignia exprimat ipsius Ecclesiae: quippe quod Capitulis, et Collegiis adprobatis, ut observat Gonzalez (9), licet tantummodo illo uti ad faciendam publicam fidem.

4. Ex communi arca, et massa (10).

5. Ex convocatione Titularium de mandato Canonici principalis Dignitatis illorum Capitis, et congregationibus capitulariter factis (11).

6. Ex electione, vel collatione Canonicatus facta per Capitulum, et Canonicos ad rem congregatos (12).

7. Ex possessione tradita Canonicatuum cum adsignatione stalli in choro, et loci in Capitulo facta per Canonicos capitulariter congregatos (13).

8. Ex iuramento dato a beneficiariis de servandis constitutionibus, statutis, et consuetudinibus ipsius Ecclesiae (14).

9. Ex venditionibus, locationibus, aliisque contractibus capitulariter initis (15).

(1) Comentar. Constit. VII. Innocent. IV. n. 13.
(2) De *Re Beneficiaria* Lib. I. quaest. 14. n. 52.
(3) Decis. die XXVI. Iunii 1709. *coram Molineq. §. Constito.*
(4) In Cap. *Postulasti de Iurep.*
(5) Decis. 482. Matheranen. Archipresbyt. coram Kaunitz.
(6) Rota par. 16. recent. decis. 234. n. 5. Felin. in Cap. *cum caussam* n. 4. *de probat.*
(7) Cap. *Statutum* de *Rescriptis* in VI.
(8) Cap. *dilecta de excessibus Praelat*: Cap. *significavit* de *appellat.*
(9) Commentar. ad cit. cap. *dilecta.*
(10) Barbosa *de Canonic.* cap. 2. n. 6.
(11) Barbosa loc. cit. n. 6: Vivian. *de iurepat.* part. 2. lib. 8. cap. 3.
(12) Rota par. 4. recent. tom. 2. decis. 465.
(13) Barbosa lib. II. *Iur. eccles.* cap. VII. n. 7.
(14) Fagnan. in Cap. *postulasti de iurep.* n. 5., aliique passim.
(15) Rota par. 16. recent. 9. decis. 960. n. 5.

10. Ex animarum cura, quae sit penes Capitulum, licet habitu tantum (1).
11. Ex actibus S. Visitationis, in quibus a Dioecesano Episcopo Ecclesia Collegialis dicatur (2).
XIV. Itaque ex praedictis, aliisque sufficientibus coniecturis Ecclesia existimari debet Collegiata, licet de eius fundatione, et privilegio non constet, ut etiam censuit Sacra Rituum Congregatio (3).
XV. Illud postremo animadvertendum maxime censemus, quod in Iure minime praescribatur, ut indicia, et coniecturae, quas exposuimus simul concurrant in eadem Ecclesia, ut collegialibus gaudeat praerogativis, sed aliquas ei inesse satis erit, iuxta decisionem S. Rotae (4), ex quibus illius status argui possit.

CAP. IV.

De unione beneficiorum.

I. Per unionem erecta beneficia mutantur, augentur, deminuuntur, supprimuntur.
II. Unio seu ad vitam, seu temporanea intuitu personarum omnino vetita.
III. Perpetua vero, et realis ob utilitatem Ecclesiae permittitur.
IV. Quae vel aeque principalis, vel accessoria est.
V. Æque principalis conservat singulis beneficiis unitis statum suum.
VI. Sed accessoria extinguit, ac supprimit statum unius, et alteri subiicit.
VII. Cathedrales Ecclesias unire Sedes Apostolica solummodo potest, ac solet ea in re voluntatem Regis requirere.
VIII. Beneficia vero cuiusque dioecesis proprius ut Episcopus uniat: inferiores Praelati, et Ordinarii locorum potestate uniendi destituuntur.
IX. Qua nihilominus potitur Capitulum Sede vacante sine possessorum praeiudicio.
X. Reservata vel affecta, vel devoluta ad Summum Pontificem ob Ordinarii negligentiam beneficia non potest Episcopus unire iure ordinario, et generali.
XI. Sed parochialibus primum Ecclesiis egenis, ut Episcopus uniat etiam affecta, et reservata, iure speciali cautum est.

(1) Lotter. quaest. 14. n. 93.
(2) Rota decis. 482. coram Ludovisio.
(3) S. Congregat. Rit. in una Caputaquens. 16. Ianuar. 1620.
(4) Rota decis. 584. n. 2, par. 4. div.

XII. Secundo in favorem Seminarii.

XIII. Post vacationem vero, necnon fixae, continuaeque reservationi obnoxia beneficia Pontifices vetarunt Seminario uniri.

XIV. Benedictus XIV. unionem, nonnisi post novam taxam in subsidium permisit pro Seminariis.

XV. Regni Neap. mores a Seminarii taxa, et unione non eximunt Mensas Episcopales, Capitula, et beneficia liberae collationis.

XVI. Unionem nulla resignatio et provisio impedit ex Tridentino, cui tamen Summus Pontifex in praxi derogare solet.

XVII. In Cathedralibus, et Collegiatis insignibus Episcopi cum consensu Capituli possunt praebendis tenuibus beneficia simplicia etiam unire.

XVIII. Exponitur ea in re decretum Tridentinum.

XIX. Canonico Poenitentiario praebenda primo vacatura uniri debet.

XX. Necnon Canonico Theologo.

XXI. Benedictus XIII. utrique Canonico ut praebenda primo vacatura constituatur, iterum sanxit.

XXII. Unius dioecesis beneficia cum illis alterius unire non licet.

XXIII. Nec parochiales Ecclesias monasteriis, abbatiis, aut praebendis.

XXIV. Nec beneficia liberae collationis beneficiis de iurepatronatus, nec vicissim haec illis sine consensu patronorum.

XXV. Uniones Apostolica etiam auctoritate factae, nonnisi ex legitimis caussis coram Ordinario rite ostensis, vocatisque vocandis adprobantur.

XXVI. Antiquas uniones in favorem Ecclesiarum iurispatronatus potestas laica tuetur.

XXVII. Regula Cancellariae praescribit in unionibus expressionem certi valoris, litterasque pontificias committi ad partes, vocatis vocandis.

XXVIII. Alia regula uniones a Papa defuncto factas, effectumque non sortitas revocat.

XXIX. Sex praecipuae quaestiones in caussis unionem excitari solent.

XXX. Quaestiones de unionum validitate, aut nullitate ex adiunctis rerum, et legibus congruis definiendae.

XXXI. Ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae tantum unio canonibus permittitur.

XXXII. Quorum interest, ii omnes vocandi, et audiendi.

XXXIII. Tacita veritas, vel exposita falsitas enervat vim unionis.

XXXIV. Ante unionem, vel eius executionem citandi, audiendi sunt patroni, possessores beneficiorum, Capitulum, vel Deputati pro Seminario, omnesque generatim interesse habentes.

XXXV. Cathedralium unio post maturam rei discussionem facta nullas fere quaestiones patitur.

XXXVI. Secus, ante quam fiat.

XXXVII. In dissolvenda unione eae ipsae leges, et conditiones fere usuveniunt.

I. Erecta beneficia non semel mutationem, augmentum, deminutionem, aut suppressionem *unione canonica* sortiuntur: quam Rebuffus definit esse adnexionem beneficiorum, seu Ecclesiarum ab Episcopo, vel alio Superiore factam (1).

II. Olim fieri solebat saepius contemplatione alicuius personae ad eius vitam duratura, quae ideo per illius mortem expirans, appellabatur unio *temporanea*, seu *personalis*. Sed eam improbant sacri canones (2). Synodus etiam Tridentina sancivit, ne plura beneficia incompatibilia per *viam unionis ad vitam* reciperentur, aut retinerentur (3). Quoniam docente Fagnano *unio ad vitam non est proprie unio, sed magis quaedam palliata dispensatio prohibitae pluralitatis* (4).

III. Vera unio *perpetua*, et *realis est*, quae fit contemplatione Ecclesiae ob caussam publicae utilitatis, vel necessitatis, posthabito respectu personarum, eaque lege, ut in perpetuum duret.

IV. Dividitur in *socialem*, seu *aeque principalem*, *et servilem*, seu *inaequalem*, quam *subiectivam*, vel *accessoriam* nuncupant. Alterutra earum species ex tenore decreti, et bullarum unionis inspicienda est: et ubi haec deperiverint, ex observantia, et usu rerum, qua vetusto, qua recentiori, quae suam, ut effectus caussam plerumque indicant.

V. *Socialis*, aut *aeque principalis* unio suum cuique Ecclesiae primaevum statum, dignitatem, iurisdictionem, omniaque iura cum singulis honoribus, et oneribus integra, et immota conservat: perinde ac si essent duae revera Ecclesiae sub unius regimine titularis beneficiarii, seu rectoris. Haec fere numquam usurpatur in beneficiis inferioribus. At in Ecclesiis Cathedralibus non raro occurrit (5), quarum unaquaeque, ut ante unionem, sic suo subest Metropolitano post unionem (6). In collationibus idcirco, atque impetrationibus utraque debet nominatim exprimi.

VI. *Servilis* vero, seu *accessoria*, seu *subiectiva*, in beneficiis inferiori-

(1) Rebuff. in *prax. benef. par.* 1. *tit. de unionibus.*

(2) Conc. Toletanum XVI. in *can. unio* 3. *C.* 10. *qu.* 3. constituit, *ut plures Ecclesiae uni nequaquam committantur Presbytero*: *quia solus per totas Ecclesias nec officium valet* persolvere, nec populis *sacerdotali iure occurrere*, *sed nec rebus earum necessariam curam impendere.*

(3) Trid. in *cap. quicumque* 4. *sess.* 7. *de reform.*

(4) Fagnan. in *cap. exposuisti* 33. *de praeb. num.* 6.

(5) Instante Carolo Utriusq. Sic. Rege Benedictus XIV. Collegiatam Ecclesiam Terlitii in Cathedralem primo erexit, eamque continuo uniit aeque principaliter cum Episcopali Ecelesia Iuvenacii hac lege, ut una alteri subiecta nullimode foret, sed ambae Concathedrales per se constiterent ex aequo. Id liquet ex *const. Unigenitus* XIV, seu pontificiis bullis sub pumblo datis 26. Nov. 1749., et impressis *to.* III. *Bullarii* eiusdem Pontificis, ubi formam licet huiusce unionis inspicere.

(6) Ex traditis a Fagnano in *cap. novit* 1. *ne Sede vacante.*

bus frequentior, nomen, ac statum unius, vel plurium beneficiorum destruens, et immutans, alteri Ecclesiae, aut beneficio tamquam superiori, et principali adeo subiectat Ecclesiam unitam velut inferiorem, et accessoriam, ut haec talem sortita unionem nullas retineat prioris status praerogativas: sed efficiatur membrum, seu praedium, seu pars alterius, titulumque simul. et naturam amittat suam, manentibus tantum oneribus, et proventibus (1). Adsumit autem illius, cui unita est, nomen, ipsiusque privilegiis gaudet, et usibus se conformat (2). At iura propria non smittit, quae ad Ecclesiam principalem, cui est unita, transferuntur (3). Quemadmodum nec iura, quae diversis dioecesanis debentur, unio isthaec minuit, nec laedit, nec mutat (4). Tertiam speciem addit Emmanuel Gonzalez (5), qua duae nimirum Ecclesiae ita in unum veluti corpus commiscentur, et coalescunt, ut una ex duabus fiat. Sed hanc ipsam ab altera specie unionis accessoriae, sc aubiectivae puto nil differre.

VII. Cathedrales Ecclesias insimul unire potest Summus dumtaxat Pontifex plenaria, qua pollet potestate in universi orbis Ecclesiis (6): quemadmodum Rex duas provincias, plurave regna potest in unum redigere (7). Discretio autem potestatis spiritualis a temporali Iure divino constituta postulat, ut episcopales Sedes, Ecclesiaeque Cathedrales mundanis provinciarum, et civitatum mutationibus, quae temporali Regum potestate fiunt, minime subiaceant (8). Verum consuevit Sedes Apostolica volunta-

(1) Idem Benedictus XIV. petitionibus Caroli Emmanuelis Sardiniae Regis indulgens Cathedralem Ecclesiam erexit in oppido Pinarolii Prov. Taurinensis, in quo Abbas S. Mariae Ord. Cisterciens., iurisdictionem quasi episcopalem habebat, Sedemque Episcopalem statuens in Collegiata Ecclesia S. Donati eiusdem oppidi, huic alteram S. Mauritii collegialem Ecclesiam submisit, et *subiectiva* unione adnexuit: *cons. in sacrosancta* 66. quam dedit 23. Dec. 1748, *tom.* II. Bullar.

(2) Alex. III. in *cap. recolentes* 3. *de statu monachorum.*

(3) B. Gregor. M. in *cap. quia monasterium* 2. *de relig. domib.*

(4) Honor. III. *in cap. sua nobis* 9, *et fin. de confirm. utili.* Monasterium in fundo Marciano Dioecesis Nucerinae in Campania situm, quod hostilitas Longobardorum ita desolavit funditus, ut ne unus inibi monachus superfuisset; B. Gregorius M. Monasterio Surrentino ea lege univit cum omnibus bonis, et actionibus ipsius, et Abbati Agapito utriusque regimen demandavit, ut sua cuique iura Surrentino, et Nucerino Episcopis inviolata servarentur, in eoque idcirco non Surrenti, sed Nuceriae Praesul iurisdictionem dioecesanam haberet, *cap. ne rebus* 2. *de relig. domib.* Confer Alex. III. decretalem in *cap. cum saeculum* 13. *de iurep.*

(5) Gonzalez in *cap. sicut unire* 8. *de excess. Praelat.*, ubi laudat *cap. recolentes* 3. *de stat. monach.*, *et cap. cum dilectus* 6. *de his, quae vi.*

(6) S. Greg. M. *can. et temporis* 44., *et can. postquam* 45. *C.* 16. *qu.* 1.

(7) Nov. VIII., et XXIV. Imperiali auctoritate non semel civitates, populique diversi coaluerunt in unum, sicut Albani, et Romani apud Livium: de quibus ita canit Ovid. *fastor. lib. VI.*

Haec ubi narravit, Tacitum, fortemque Quirinum
Binaque cum populis regna coisse suis.
Et lare communi socios, generosque receptos:
His nomen iunctis Iunius, inquit, habet.

(8) Nicol. I. in *can. lege Imperatorum* 1. *dist.* 10. haec S. Innocentium I. rescripsisse ad Alexandrum Antiochenum Episcopum tradit. *Sciscitaris. utrum divisis imperiali iudicio provinciis, ut duae metropoles fiant, sic duo metropolitani*

ti Regum, et Principum saecularium obsecundare quum in erigendis novis, tum uniendis, seiungendisve antiquis Cathedralibus Ecclesiis (1). Legato autem a latere nequaquam licebit duos episcopatus insimul unire, nec unum in duos viceversa discindere sine mandato speciali Sedis Apostolicae: quamvis ei pontificias vices Papa generatim mandaverit (2).

VIII. *Sicuti unire Episcopatus, atque potestati subiicere alienae, ad Summum Pontificem pertinere dignoscitur: ita Episcopi est Ecclesiarum suae Dioecesis unio, et subiectio earum*, Coelestinus III. rescripsit (3), quoniam plenam obtinet dispositionem Episcopus Ecclesiarum omnium suae Dioecesis (4). Sed ut Episcopi dispositio sit legitima, consensus est Capituli sui requirendus (5). Iure communi, et ordinario: secus ubi Tridentina Synodus, vel Sedes Apostolica speciatim nonnullas unionum species mandat Episcopis, posthabito etiam Capituli consensu. Inferiores autem Praelati, et Abbates, quamvis ordinariam habeant iurisdictionem, nequeunt beneficia unire. Nam Coelestinus III. quum rescripsisset facultatem eiusmodi ad Episcopos pertinere: sane videtur Ordinarios locorum Episcopis inferiores exclusisse (6). Quare consentientibus Abbatibus Episcopus dioecesanus unionem conficiet in casibus a Iure permissis (7): nisi praescriptio longaeva talem Abbatibus potestatem quaesivisset, quoniam iura eiusmodi episcopalia praescribi non prohibent sacri canones (8). Vicario Episcopi nec etiam licebit sine mandato speciali uniones beneficiorum conficere (9), quia exceptas insimul cum iure conferendi.

IX. Sed Capitulum episcopali Sede vacante valet unionem conficere, et comprobare: propterea quod ea pertinet ad Episcopalem non Ordinem, sed iurisdictionem. Potestas autem iurisdictionis ad Capitulum, seu Capi-

Episcopi debeant nominari? Non visum est ad mobilitatem *necessitatum* humanarum *Dei* Ecclesiam *commutari*, honoresque, *aut* divisiones *perpeti*, *quas pro suis caussis faciendas duxerit Imperator . . . Ecce quemadmodum imperiali iudicio* verbis suis Nicolaus inquit, *non possunt ecclesiastica iura dissolvi.*

(1) Innocentius III. *in cap. 1. ne Sede vacante aliquid innovetur*, collaudat Regis postulationem pro dissolvenda unione Ecclesiae Glastoniensis cum Bathoniensi, quam suus fecerat praedecessor. Ecclesiam Terlitii hoc in Regno erectam in Cathedralem a Benedicto XIV., praevia Regis *Caroli postulatione*, aliamque Pinarolii in provincia Taurinensi ad petionem Sardiniae Regis, cum unione congrua alterius Ecclesiae paullo superius dictum est.

(2) Innoc. III. in *cap. quod translationem 4. de offic. legati.*

(3) Coelestin. III. in *cap. sicut unire 8. de excess. Praelator.*

(4) Innoc. III. in *cap. nisi specialis 3., et cap. quod translationem 4. de offic. legati*. Consonat apocrypha ep. Anacleti in *can. una quaeque 15. C. 3. qu. 6.*

(5) Innocentius III. in *cap. pastoralis VII. de donat. et cap. tua nuper VIII. de his, quae fiunt a Praelat. sine cons. Capit.* Gonzalez in *cit. cap. sicut unire num. 4.*

(6) Coelest. III. in *cit. cap. sicut unire*. Idipsum arguit Rebuffus in *prax. benefic. tit. de unionibus num. 32.*

(7) Clement. *ne in agro §. adhaec de statu monachor.* et *cit. cap. sicut unire.*

(8) Innoc. III. in *cap. auditis XV. de praescript.*, et *cap. cum venissent VI. de institutionibus*, et Gl. in *Clement. 1. de reb. eccles. non alien.* verb. *proprii.*

(9) Rebuff. in *prax. benefic. tit. de union. benef. num. 37.* Gallemart. in *remiss. ad idem. cap. 15. Trid. sess. 24. tit. 6.*

tularem Vicarium tota pertransit ex communi Doctorum sententia (1): dummodo nil detrahat ipsa iuribus episcopalibus (2). Quo igitur iure nequit Capitulum conferre beneficia ad liberam solius Episcopi collationem spectantia (3), eodem prohibetur per viam unionis disponere de talibus beneficiis, iura episcopalia tunc diminuentis (4).

X. Episcopum iure ordinario non posse reservata, et affecta Sedi Apostolicae beneficia unire, praeterquam in nonnullis casibus mox edisserendis, iam liquet. Sed ea ipsum posse unire beneficia suae Dioecesis, dummodo non sint exempta, quorum collatio ob suam negligentiam esset devoluta ad Papam, censet Barbosa (5): ea innixus ratione, quod aliud sit ius devolutionis a iure unionis. *Devolutio* enim refertur ad titulum, impediens, ne Episcopus titulum, seu perpetuam beneficii devoluti administrationem conferre valeat: *unio* autem respicit proprietatem, seu originariam, directamque Episcopi potestatem super omnibus suae Dioecesis beneficiis. Propterea negligentiae poenam non extendi a casu devolutionis ad casum unionis opinatur. At S. Congregatio Concilii contra censuit Episcopo ius non esse devoluta ad Sedem Apostolicam beneficia uniendi, tamquam affecta, et reservata in ipso unionis tempore (6).

XI. Ex Tridentino autem decreto *possunt Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati iuxta formam iuris, sine tamen praeiudicio obtinentium, facere uniones perpetuas quarumcumque Ecclesiarum parochialium, et baptismalium, et aliorum beneficiorum curatorum, vel non curatorum cum curatis propter earum paupertatem, et in ceteris casibus a Iure permissis: etiamsi dictae Ecclesiae, vel beneficia essent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta. Quae uniones etiam non possint revocari, nec quoquo modo infringi vigore cuiuscumque provisionis, etiam ex caussa resignationis, vel derogationis* (7). Si plebs autem offerat inopi Ecclesiae parochiali congruam dotem, vel necessarias ad eam restaurandam impensas: tunc non licebit Episcopo ex paupertatis caussa ipsam alteri parochiae unire; sed tempus indicere sufficiens, in quo promissa possit plebs adimplere (8). Et ubi plebs unioni adversetur probabilem caussam exponens, audienda est: quum sua intersit proprium in sua Ecclesia parochum habere (9). Ut autem *iuris forma* servetur, consensus Capituli, et patronorum concurrere simul debet (10). Synodus enim Tridentina cum uniones beneficiorum hoc decreto Episcopis mandaverit *iuxta formam iuris*; ius vero commune praesertim

(1) DD. *in cap. un. de maiorit., et obedient. in VI.*
(2) Rebuff. in *prax. benef. tit. de devolutione num.* 100.
(3) Honor. III. in *cap. illa II. ne Sede vacante.*
(4) Gonzalez in *cit. cap. sicut unire* 8. *de excess. Prael. num.* 4.
(5) Barbosa *lib.* V. *Iur. eccles. cap.* 16. *num.* 31.
(6) S. Congr. Conc. in Sulmonensi 13. Iunii 1711, apud Rigant. *to.* 2. *in comm. ad Reg.* 13. *Cancell. num.* 122, ex plurium DD. sententia.
(7) Trid. in *cap. ut etiam* 5. *sess.* 21. *de reform.*
(8) Ex decreto S. Congr. Conc. in *Aversana* 5. *April.* 1704, apud Rigant. *to.* 2. *commentar. in Reg.* 13. *Cancell. num.* 137.
(9) S. Congr. Conc. in *Fulginatensi* 21. *Nov.* 1722., Wan. Espens. *par.* 2. *Iur. eccl. tit.* 29. *cap.* 3. *num.* 15. Rigant. *to.* 2. *in Reg.* 22. *Cancell. n.* 61.
(10) Ex *cap. novit* 4. *quanto* 5. *tua nuper* 8. et *cap. pastoralis* 9. *de his, quae fiunt a Prael. sine cons. Capituli.*

Clementinarum generatim Capituli consensum in unionibus episcopali auctoritate faciendis exigat (1): colligitur exinde capitularem Canonicorum consensum omnino requiri (2), eumque valere, tam si praecesserit, quam si concomitetur, vel subsequatur unionem (3). Si vero Capitulum sine probabili caussa dissenserit: S. Congregatio Concilii, re cognita, consuevit Episcopis expositam unionem, eo non obstante, permittere (4).

XII. Praeterea pro Seminario episcopali adolescentium substendando, *quia ad collegii fabricam instituendam, et mercedem praeceptoribus, et ministris solvendam, et ad alendam iuventutem, et ad alios sumptus certi redditus erunt necessarii. . . Episcopi cum consilio duorum de Capitulo, itemque duorum de Clero civitatis. . . ex fructibus integris mensae episcopalis, et Capituli, quorumcumque* beneficiorum Dioecesis *partem aliquam, vel portionem detrahent; et cum portionem sic detractam, nec non* beneficia aliquot simplicia *cuiuscumque qualitatis, et dignitatis fuerint, vel etiam* praestimonia; *vel praestimoniales portiones nuncupatas, etiam* ante vocationem *sine cultus divini, et illa obtinentium praeiudicio, huic collegio applicabunt,* et incorporabunt. *Quod locum habeat, etiamsi beneficia sint reservata, vel* affecta: *nec per* resignationem *ipsorum beneficiorum*, uniones, *et applicationes* suspendi *vel ullo modo* impediri *possint: sed omnino quacumque vacatione, etiamsi in* Curia, *effectum suum sortiantur, et quacumque constitutione non obstante*, ex alio eiusdem Tridentinae Synodi decreto (5). Si formam hanc Tridentinam non servaverit Episcopus in unione beneficiorum: ea remanebunt Sedi Apostolicae reservata (6). Itaque in primis consilium quatuor Deputatorum antea exquirat necesse est ad necessitatis caussam expendendam: tametsi illud si fuerit negantium, sequi non cogitur (7): nec poterit idipsum consensus totius etiam Capituli supplere (8) 2, quod erectum revera sit, non erigendum Seminarium (9) 3, quod taxa praeces-

(1) Clement. *si una* 2. *de reb. Eccl. non alienand.*

(2) Ex iteratis S. Congr. Conc. decretis, Rotaeque Romanae decisionibus, et probatis Doctorum auctoritatibus apud Rigan. *loc. cit. num.* 139: quidquid aliter nonnulli senserint.

(3) Gonzalez in *cap. sicut unire de excess. Praelat. num.* 5. Rota *dec.* 318. *num.* 41. *par.* 5., et alibi apud Rigant. *loc. cit. num.* 142.

(4) Praesertim Episcopo Fulginatensi die 21. Nov. 1722, et die 30, Ian. 1723, apud Rigant. *ibidem num.* 143.

(5) Trid. in *cap. cum adolescentium aetas* 18. *sess.* 23. *de ref.*

(6) Rota *par.* 13. *rec. dec.* 307. *num.* 20. *et* 21. Cong. Datariae 21. Decemb. 1703. contra Episc. Ferentinum, apud Rigant. *to.* 1. *in Reg.* 1. *Cancell.* §. 10. *num.* 42. *et* 43. Haec enim Regula I. Cancellariae *cit* §. 10., *et ult.* palam reservat Sedi Apostolicae *beneficia omnia, de quibus per Ordinarios* locorum, *aut alios collatores contra Concilii Tridentini decretorum formam dispositum fuerit.*

(7) Rota in *Nucerina paganorum beneficii* 6. *Iunii* 1702. §. *hoc autem*, et 28. *Novemb. eiusdem anni* §. *paruit coram Crispo dec.* 149. *et* 171. apud Rigant. *to.* 2. *in Reg.* 13. *Cancell. num.* 86.

(8) Rigant. *to* 2. *in comm. ad Reg.* 13. *Canc. num.* 8.

(9) S. Congr. Conc. in *Giennensi an.* 1588. adprobante Xysto V. per litteras in forma Brevis datas 26. Octobris eiusdem anni, et in Nullius 8. Iunii 1595, censuit *unionem beneficiorum ab Episcopo factam Seminario reipsa, et nondum erecto nullam, et irritam esse.* Tum in Nullius 3. Martii 1597. censuit *non posse uniri beneficia Seminario, si iuxta formam ipsius Concilii unionis tempore minime ere-*

serit super ecclesiasticis redditibus mensae episcopalis, et Capituli, et beneficiorum omnium dioecesis (1): 4. quod non omnia dioecesis beneficia, nec maxima eorumdem pars, sed *aliquot* solum uniantur (2): 5, quod unienda beneficia sint simplicia, scilicet sine cura animarum (3), et sine oneribus residentiae (4), vel hospitalitatis (5), nec sint regularia (6): 6, quod alia ad liberam sui collationem pertinentia beneficia non omiserit Episcopus antea unire, quoties reservata, vel affecta uniat (7): 7, quod fixae, et continuae reservationi, vel affectioni obnoxia non sint beneficia (8).

ctum fuerit, utpote nec magistris, nec scolaribus actu existentibus. Idipsum declaravit in *Lyciensi unionis* 19. *Maii* 1171. et Rota saepius apud Rigant. *to.* 2. *in Reg.* 13. *n.* 55. At contra Hieronymus Gonzalez in Reg. VIII. *glos.* 5. §. 7. *num.* 75. cum Gratiano, Amostaz, et aliis putat unionem futuro Seminario siue fraude factam valere, quamvis nec domus empta, vel constructa sit, nec alumni, puerique adhuc inibi alantur. Nimirum si proxima sit adolescentium introductio in communem domum interea praeparandam, instruendamque necessario beneficiorum subsidio, ut ne alimenta pueris, et magistris, ministrisque deficiant in ipso limine: tunc licere unionem definivit Rota coram Merlino *dec.* 837. *num.* 3, Rubeus, et Antonellus laudati a Rigantio *ibidem num.* 58. Huic sententiae favent, ni fallor, ea Tridentini decreti verba: *ad collegii fabricam instituendam . . . et ad alios sumptus certi redditus erunt necessarii*, in cit cap 18. *sess.* 23. *de ref.*

(1) Rot. *dec.* 361. *num.* 7. *par.* 2. *rec. et dec.* 101. *et dec.* 833. *num.* 5. *par.* 15. *rec.* Barbos. *alleg.* 77. *num.* 2. *apud* Rigant. *loc. cit. num.* 61.

(2) Rota in Tudertina beneficii 9. Iunii 1711. §. insuper coram Cerro. Hinc Congregatio Datariae probante Alexandro VIII. rescripsit Episcopo Aretino, ut unio vigintiquatuor beneficiorum ex sexaginta in ea dioecesi existentibus, quam is fecerat Seminario, suum haberet effectum in septem dumtaxat beneficiis; irritaque in reliquis foret, Rigant. *loc. cit. num.* 89. Qui binas litteras refert ad Episcopos Aretinum, et Feretranum datas a Card. Prodatariis de mandato Clementis. IX. et Clementis XI. idipsum firmantes.

(3) Beneficia cum animarum cura non esse huic unioni obnoxia, declaravit S. Congr. Conc. in *Ravellensi* 15. *Iulii* 1645. Rota, *dec.* 165. *num.* 5. *par.* 13. *rec. et dec.* 225. *num.* 1. *par.* 15., Fagnan. in *cap. extirpandae* §. *quia vero num.* 58. *de praebend.* Etiamsi habitu, non actu parochialem curam adnexam habeant, ex decreto Congr. in Catacensi 13, Febr. 1616, et aliis apud Fagnan. *loc. cit. num.* 55. Verum eadem S. Congr. in Burdigalensi die ult. Iulii 1625. rescripsit, posse deficientibus in dioecesi beneficiis simplicibus Vicarium curatum in parochiali Ecclesia institui cum congrua reddituum portione, et reliquos ipsius redditus incorporari Seminario. Praeterea in Eugubina 24. Maii 1601. censuit pensionem perpetuam super Ecclesia parochiali pro Seminario imponi, Rigant. *loc. cit. num.* 93. et 94.

(4) Quod Canonicatus Ecclesiarum cathedralium, vel collegiatarum, praebendasque residentiam requirentes non liceat Seminario unire, monet Rigant, *ibidem num.* 91.

(5) Rigant. *to.* 2. *in Reg.* 13. *Canc. num.* 116. post Fermosin, Pignatell, Gonzal., et Corrad.

(6) Rigant. *ibidem num.* 110. cum Fagnano, Gonzalez, et aliis, Rot. *dec.* 201. *num.* 5. *par.* 2., *et alibi.*

(7) Hospitalia, beneficia nimirum, quae onus habent in hospitium excipiendi infirmos, vel peregrinos, pariter eximunt ab ista unione Doctores, cum Zypaeo *lib.* 1. *num.* 14., et Rota in *Bononiensi hospitalis* 6. *Iun.* 1707. *coram Lancetta*, et 16. *Decem. eiusdem anni coram Omanna*, apud Rigant. *loc. cit. num.* 99.

(8) Regularia beneficia, quamvis collegio regularium sint destituta, et in com-

XIII. Amplam Episcopis largitam a Tridentina Synodo facultatem uniendi Seminariis perinde ante, ac post vacationem reservata etiam, et quomodolibet affecta Sedi Apostolicae beneficia posteriores Romanorum Pontificum constitutiones, ac decreta ad vitandos abusus limitaverunt. A S. Pio V, et Gregorio XIII. decretum ferunt (1), uniones de reservatis beneficiis, quae ante vacationem ipsorum Seminario fierent, valere: post vacationem factas fore irritas, ideoque pontificias eorumdem collationes executioni demandatas. Clemens VIII. die 26. Febr. 1602. probavit sententiam S. Congr. Conc. latam die 22. eiusdem mensis, quod neque ante vacationem beneficia reservationi perpetuae, fixaeque obnoxia ob familiaritatem Cardinalium, vel quamlibet aliam eiusmodi affectionem continuam, Seminariis unirentur amplius ab Ordinariis locorum (2). Dein Urbanus VIII. Cardinalibus etiam apostolico indulto conferendi reservata fruentibus interdixit uniro Seminario beneficia S. Sedi *tempore unionis quomodolibet reservata, et affecta* (3): fixa nimirum, et immota reservatione.

XIV. At Benedictus XIII. constitutione sua recentiori abrogavit pro Episcopis Italiae, Insularumque adiacentium limitationes eiusmodi, eisque restituit in uniendis Seminario beneficiis iurispatronatus etiam ecclesiastici quomodocumque reservatis, et affectis (Concistorialia tantum excipit) auctoritatem a Tridentinis Patribus concessam, antequam ea vacaverint, sed post confectam super universis redditibus mensae episcopalis, Capituli, et beneficiorum dioecesis taxam, non minorem tribus, nec maiorem quinque in centum, a Romana Congregatione Seminarium probandam: quoties revera Seminarii necessitas unionem eiusmodi postulaverit (4).

mendam dari saecularibus consueverint, non subiacere huic Tridentino decreto, neque uniri Seminario posse docet Fagnanus in *cap. in Ecclesiis de capell. monach. num.* 18.

(1) Garzias *de beneficiis par.* 12. *cap.* 2. *num.* 102., et Corradus in *praxi lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 40., et Gallemart in *declarat. ad cap.* 15. *sess.* 25. *de ref. num.* 5.

(2) Apud Fagnan. in *cap. sicut unire* 8. *de excess. Praelator. num.* 7.

(3) Fagnan. *ibidem num.* 48.

(4) Benedict. XIII. in *const. creditae nobis* 6. Idus Maii 1725., *in append.* Conc. Romani *num.* 27. ita sanxit. *Quod si in aliqua dioecesi computatis propriis Seminarii redditibus, si qui sint, nec non beneficiorum antea cum effectu illi unitorum . . . per huiusmodi etiam taxam erectionis, et sustentationis Seminarii ad necessitatem nimirum uniuscuiusque dioecesis, et alumnorum, non autem ad pompam, et voluptatem, sufficienter provideri nequiverit, tunc et eo casu, et in subsidium tantum, ordinarii locorum eidem Seminario unire, et applicare possint, ac debeant beneficia* simplicia *cuiuscumque dignitatis, et qualitatis fuerint, etiam* iurispatronatus ecclesiastici, *vel quomodocumque* affecta, *et dispositioni Sedis Apostolicae* reservata, *sine tamen ullo divini cultus, ac illa obtinentium praeiudicio. Haec porro unio fiat statim, et* ante *eorumdem beneficiorum* vacationem: *nempe uniantur beneficia primo loco vacatura usque ad certam annui redditus quantitatem, in ipsa unione specificandam, quae, computata taxa insufficienti, satis esse possit sustentationi certi numeri alumnorum pro unoquoque Seminario designatorum: ipsaque* unio, *statim ac beneficia praedicta quomodocumque vacaverint, debitum atque integrum sortiatur effectum, fel. rec. Clementis VIII., ac Urbani pariter VIII., necnon aliorum quorumcumque Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum constitutionibus, vel decretis, in contrarium facientibus, non obstantibus.*

Utque hanc Ordinarii locorum constitutionem observent adamussim. idem Pontifex in Concilio Romano decrevit (1). Mox Cardinalis Corradinus Prodatarius eiusdem Papae mandato edixit die 20. Iulii 1727., uniones beneficiorum S. Sedi affectorum, vel reservatorum, quae ante novam pro Seminario taxam ea ipsa constitutione imperatam fiant, nullius foro momenti (2).

XV. Huius quidem Regni mores, ac leges sequo ferunt animo nedum taxam pro Seminario super quibuslibet ecclesiasticis redditibus mensae episcopalis, Capituli, Ecclesiarum, monasteriorum, non vere mendicantium, omniumque beneficiorum dioecesis ad liberam collationem vel Episcopi, vel Sedis Apostolicae pertinentium; sed uniones etiam beneficiorum simplicium liberae item collationis, quae rite fiant ad formam Tridentinam, pontificiarumque constitutionum. Praeterea sunt qui contendunt servandam potius Tridentinam legem Episcopis facultates ampliores largientem in unione beneficiorum reservatorum perinde ante, ac post vacationem, quam limitationes posteriores vario marte superadditas. Nam Benedicti XIII. constitutio nil aperte definit de unionibus, quae fierent post vacationem reservatorum, utrum irritae, seu irritandae forent, au tolerandae: sed iubet solummodo, ut fiant ante vacationem uniones, sine decreto irritante, alias post vacationem futuras. Has enim ipse, abrogatis Clementis, et Urbani VIII., aliorumque praedecessorum decretis, videtur secundum ius Tridentinum, quod ea in re generatim innovavit, iudicandas dimisisse.

XVI. Id vero exploratissimi iuris est, Summum Pontificem et posse, et consuevisse ita Tridentini, ut aliorum generalium Conciliorum decretis derogare (3). Hac ideo supremae qua pollet plenitudine potestatis, consuevit resignationes eiusmodi beneficiorum (quae sint ante vacationem Seminario unita, eique post vacationem incorporandam) in favorem alicuius in manibus ipsius Pontificis factas ex certa scientia admittere, et aliis ea ipsa conferre, suspendens interea effectum unionis cum clausula derogatoria (4): quamvis Tridentinum decreverit, quod *nec per resignationem ipsorum beneficiorum uniones suspendi, vel ullo modo impediri possint.* Quisquis enim ab Apostolica Sede impetrat ex beneficiarii superstitis cessione, vel resignatione tale aliquod beneficium; perspicuis verbis exponat in precibus necesse est illud ipsum illi Seminario esse iam unitum, sed quum vita beneficiario resignanti supersit adhuc, non incorporatum. Id vero si reticitum in litteris pontificiae collationis appareat, vel subdole intermissum: caduca tunc erit collatio apostolica, eamque obreptionis vitio laborantem sustinere generales clausulae derogatoriae nequibunt (5). Nam noluisse tunc praesumitur Papa unionem suspendere, nec Seminario tollere ius quaesitum (6). Verum S. Congregatio Concilii saepius cen-

(1) Conc. Rom. an. 1725. *tit.* 30. *de magistris cap.* 2.
(2) Rigant. *loc. cit. num.*
(3) Ex traditis *lib.* 1. *Inst. Canon. tit.* 12. *num.* 14.
(4) Zypeus *consult.* 6. *num.* 13. Fagnan, in *cap. sicut unire num.* 25. *de excess. Praelator.*
(5) Ex traditis a Rigante in *Reg.* 13. *Cancell. num.* 129., *et seq. to* 2., et decisis a Rota in *Tridentina beneficii* 9. *Iunii* 1721. *coram Cerro:* quidquid aliter censuerat eadem Rota *dec.* 139., *et* 171. *coram Crispo.*
(6) Ex *cap. tibi, qui* 12. *de rescriptis in* VI. Ubi Bonifacius VIII. rescripsit, quod

suit, *si in litteris resignationis a Sede Apostolica expeditis apposita est clausula* cum suspensione quarumcumque unionum, *intelligi etiam suspensas uniones factas Seminario, quamvis nulla illius mentio habita fuerit* (1).

XVII. *In Ecclesiis* cathedralibus *et* collegiatis *insignibus*, insuper decrevit Synodus Tridentina, *ubi frequentes, adeoque tenues sunt praebendae simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci. et personarum qualitate non sufficiant, liceat* Episcopis *cum* consensu Capituli *vel aliquot* simplicia beneficia, *non tamen regularia*, *iis unire, vel si hac ratione provideri non possit, aliquibus ex iis* suppressis *cum* patronorum consensu, *si de iurepatronatus laicorum sint (quorum fructus, et proventus reliquarum praebendarum distributionibus quotidianis applicentur) eas ad pauciorem numerum reducere: ita tamen, ut tot supersint, quae divino cultui celebrando, ac dignitati Ecclesiae commode valeant respondere: non obstantibus quibuscumque constitutionibus, privilegiis, aut quacumque* reservatione *generali*, *vel speciali*, *aut* affectione: *neque praedictae uniones, aut suppressiones tolli, seu* impediri *possint ex quibuscumque provisionibus, etiam vigore* resignationis, *aut quibusvis aliis* derogationibus, *vel suspensionibus* (2).

XVIII. Ex huius decreti littera collige 1., quod uniri beneficia aliquot simplicia possint singulis praebendis Cathedralium, vel Collegiatarum ob earum tenuitatem, non massae Capituli generatim (3), nec massae distributionum quotidianarum (4), nec sacristiae, nec fabricae, neque capellaniis, aliisve officiis earumdem Ecclesiarum ad collegium Canonicorum non pertinentibus (5) 2, quod simul concurrat et praebendarum, et distributionum tenuitas: quum alterutra non sufficiat (6) 3, quod Episcopis, non vero Praelatis inferioribus arbitrium unionis peragendae tribuatur (7) 4, quod eiusmodi arbitrio *liceat*, si velint, Episcopis uti: iis autem nolenti-

collationem praebendae proxime vacaturae non suspendat posterior gratiam collationis.

(1) S. Congr. Conc. die 19. Septemb. 1625., apud Fagnan. *loc. cit. num.* 27., Rota *par.* 1. *rec. dec.* 308. *num.* 2., et coram Merlino *dec.* 717. *num.* 4.

(2) Trid. in *cap. in Ecclesiis* 15. *sess.* 24. *de ref.*

(3) S. Congr. Concil. 29. Novemb. 1601. censuit nullam esse unionem beneficiorum mensae Capitulari ab Episcopo factam. Cuiusmodi sententiam probavit Clemens VIII. die 19. Dec. eiusdem anni, apud Fagnan. in *cap. exposuisti num.* 30. *de praeb.* et Rigant. *to.* 2. *in Reg.* 13. *Cancell. num.* 149. Idque firmatur ex decreto Conc. Vienn. in *Clement.* 2. *de reb. Eccl. non alien.*

(4) Rot. *dec.* 281. *num.* 12., *et dec.* 337. *num.* 33., *et* 34. *par.* 9. *rec.* Sac. Congr. Conc. cum oraculo Smi, quam collaudat et sequitur Rota coram Peutingerio *dec.* 208. *num.* 24., *et* 28. Card. Bellarm. in *declar. ad Conc. Trid. cap.* 15. *sess.* 24. *de ref.*

(5) Gallemart. in *declarat. ad cit. cap.* 15. *sess.* 24. *de reform. num.* 1.

(6) Rigant. *to.* 2. *in Reg.* 13. *canc. num.* 147. Rot. *dec.* 201. *num.* 4. *par.* 9. *rec. to.* 1. *dec.* 53. *num.* 9. *par.* 11., *et dec.* 169. *num.* 4., *et dec.* 200. *num.* 8. *coram Peutingerio.* Distributiones tantum ubi tenues fuerint, sed praebendae pingues, tunc non licebit Episcopo unire beneficia: sed tertiam partem ex fructibus praebendarum detrahet, eamque massae distributionum aggregabit, ex alio Tridentino decreto in *cap. cum benefic.* 3. *sess.* 21. *de reform.*

(7) Gallemart. *ibidem num.* 2., *et* 5.

bus nequeant Canonici unionem eiusmodi a Metropolitano postulare (1) 5, quod non consilium, sed consensus Capituli accedere ad unionem debeat sive factam, sive faciendam: cuius defectum idcirco valeat Capitulum ipsum obiicere, alius praeterea nemo (2) 6, quod reservata, et affecta Sedi Apostolicae beneficia nedum ante vacationem, sed etiam postquam vacaverint, recte uniantur (3) 7, quod beneficia viventium possint sine praeiudicio possessorum uniri eo pacto, ut praebendis tenuibus accrescant, statim ac vacaverint (4) 8, quod Apostolica Sedes valeat scienter suspendere unionis effectum, eique derogare, quoties velit resignationem in alicuius favorem a possessore beneficii factam admittere, beneficiumque resignatario conferre, unione non obstante (5).

XIX. Ex alio Tridentino decreto *in omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri potuerit*, Poenitentiarius *aliquis cum* unione praebendae *proxime vacaturae ab Episcopo instituatur* (6). Quum nihil de consensu Capituli, neque de reservatis, affectisve Sedi Apostolicae beneficiis dixerit Synodus Tridentina: consequitur nullum Capituli consensum in isthac unione requiri (7), nullumque tempore unionis reservatum, vel affectum beneficium posse ab Episcopo uniri praebendae Poenitentiarii, neque hanc ipsam ex reservata erigi praebenda (8). Si vero contigerit Canonici Poenitentiarii, unitaequae ipsi praebendae vacatio in mense apostolico, vel eadem praebenda post unionem evaserit iam reservata, vel affecta: collationem tunc pertinere ad Papam censuit S. Congregatio (9), effectumque unionis legitimae quavis reservatione superveniente impediri (10).

XX. Canonici *Theologi* officium dat insuper locum unioni. Eadem Tri-

(1) Coelest. III. in *cap. sicut unire* 8. *de excess. Prael.* Gallemart. *ibidem c.* 3.

(2) Gratian. *discept. forens. cap.* 278. *num.* 30., apud Gallemar. *ibidem in remiss. lit.* 1. Rigant. *loc. cit. num.* 142.

(3) Fagnan. in *cap. sicut unire num.* 37. *de excess. Praelat.* et Rigant. *loc. cit. num.* 162., tenent largitam Episcopis facultatem uniendi quam Parochialibus Ecclesiis egenis ex 5. *sess.* 21. *de ref.* tum praebendis Cathedralium, et Collegiatarum *ex cap.* 15. *sess.* 24. beneficia Sedi Apostolicae reservata, et affecta unionis tempore, postquam ea scilicet vacaverint, integram remansisse post decreta etiam S. Pii V., et Clementis VIII., quae dum vetant Seminariis dumtaxat uniri vacantia beneficia, seu tempore unionis affecta, et reservata, ut supra dictum est: ad ceteras uniones a Tridentino imperatas non sunt extendenda. Quidquid aliter senserit Gallemart. *loc. cit. num.* 6.

(4) Gallemart. *ibid. num.* 6. *et ult.*

(5) Eodem scilicet iure, quod usuvenit in resignationibus beneficiorum Seminario unitorum, paullo superius expositum *num.* 16.

(6) Trid. in *cap. Apostolus* 8. *sess.* 24. *de reform.*

(7) Gallemart. in *declarat. ad hoc cap.* 8. *sess.* 24. *num.* 1. Idemque monet *ibidem num.* 3., non licere Capitulo, Sede vacante: seu Vicario Capitulari beneficia praebendae Poenitentiarii unire.

(8) Ex decreto S. Congr. Conc. sub S. Pio V., quod collaudant litterae eiusdem S. Congr. iussu Greg. XIII. ad Nuncium Hispan. datis, apud Rigant. *to.* 2. *in comm. ad Reg.* 13. *Cancell. num.* 164.

(9) Apud Gallemart. *loc. cit. num.* 2.

(10) S. Congr. Conc. in Colimbriensi 12. Aug. 1590., et Rota pluries apud Rigar *loc. cit. num.* 164.

A.

dentina Synodus decrevit: *in Ecclesiis metropolitanis*, *vel* cathedralibus, *si civitas insignis, vel populosa fuerit, aut etiam in* collegiatis *existentibus in aliquo insigni* oppido *nullius etiam dioecesis, si ibi Clerus numerosus fuerit*, *ubi nulla praebenda*, *aut praestimonium*, *seu stipendium huiusmodi deputatum reperitur*, praebenda *quomodocumque*, *praeterquam ex caussa* resignationis, primo vacatura, *cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum usum* ipso facto *perpetuo constituta,et deputata intelligatur.Et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla*, *vel non sufficiens praebenda foret: Metropolitanus, vel Episcopus ipse per* assignationem fructuum *alicuius simplicis beneficii*, *eiusdem tamen debitis supportatis oneribus*, *vel per* contributionem beneficiatorum *suae civitatis*, *vel dioecesis, vel alias prout commodius fieri poterit*, *de* Capituli consilio *ita provideat*, *ut ipsa S. Scripturae lectio habeatur* (1).

XXI. Neglectam (2) in multis Ecclesiis huius decreti executionum repetiturus Benedictus XIII. constituit: *ut in Cathedralibus quibuscumque Italiae, Insularumque adiacentium, in quibus* praebenda theologalis *hactenus instituta non fuerit,* praebenda primo vacatura *post eiusdem praesentis constitutionis promulgationem sive ad nos*, ait, *Sedemque Apostolicam*, *sive ad Ordinarios illius collatio, atque provisio pertineat*, ipso iure, *et absque ulla alia declaratione, sit, ac esse censeatur* praebenda theologalis *constituta. . . . Quoties autem praebendae collatio ad S. Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem acta concursus transmittere teneatur. . . Quod si Episcopus primo vacaturam praebendam contra formam in praesenti constitutione praescriptam conferre praesumpserit. . . illius collatio, atque provisio ipso iure nulla, et irrita sit. . . ubi* praebenda theologalis, *computatis etiam distributionibus quotidianis*, *ad annuum saltem redditum scutorum sexaginta monetas Romanae non ascendat, pro summa deficiente iidem Episcopi* unire *possint, et debeant eidem praebendae aliquod* simplex beneficium. *cuius supplemento praedicta summa conficiatur*, primo vacaturum *in quocumque mense*, *et qualitercumque, ac quomodocumque Sedi Apostolicae* affectum, *et* reservatum: exceptis consistorialibus perpetuo reservatis. Eaque omnia observari adamussim voluit etiam in *Canonici Poenitentiarii* institutione in illis Cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus (3).

XXII. *Unius* vero *dioecesis beneficium*, *etiamsi parochiales Ecclesiae*, *vicariae perpetuae*, *aut simplicia beneficia*, *seu praestimoniales portiones fuerint, etiam ratione* augendi cultum *divinum*, aut numerum *beneficiatorum*, *aut alia* quacumque *de* caussa, *alterius dioecesis* beneficia, *aut* monasterio *seu* collegio, *vel* loco *etiam* pro *perpetuo non uniantur* decrevit Synodus ipsa Tridentina suum de unionibus decretum declarando (4).

(1) Trid. in *cap. eadem* 1. *sess. de reform.*

(2) Vel suspensam, seu dilatam ex defectu personae ad Sac. Scripturam exponendam idoneae. Nam a S. Pio V., et Greg. XIII. decretum fert Gallemart. *in declarat. ad istud Trid. cap.* 1. *sess* 5., quod collatio huius praebendae, et Canonicatus, donec reperiatur inter saeculares presbyteros idoneus theologus, suspendenda sit.

(3) Bened. XIII. in *const. pastoralis*, data Romae 14. Kal. Iunii 1725., in *Conc. Rom. append. n.* 2., quam Episcopis observandam imperavit in Conc. Rom. *tit.* 1. *cap.* 6.

(4) Trid. in *cap., et quin.* 9. *sess.* 14. *de reform.*

XXIII. Statuit insuper, ut in *unionibus quibuslibet, Ecclesiae parochiales* monasteriis, aut abbatiis, *seu dignitatibus, seu praebendis Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur, et unitae sunt, revideantur ab Ordinariis* (1). Nam praerogativa curae animarum, quae potior in iure est, non patitur Ecclesias parochiales, velut famulas, et accessorias aliis accrescere tali cura destitutis. Quod vero Ecclesiam iurepatronatus possit religiosae domui dare patronus cum auctoritate Episcopi, scilicet Episcopus cum consensu patronorum unire, Alexander III. rescripsit (2).

XXIV. Beneficia item libera Ecclesiis de iurepatronatus uniri nequeunt, atque uniones tamquam subreptitiae irritantur, quamvis apostolica auctoritate confectae. Ita enim decrevit Synodus Tridentina: *accessiones per viam* unionis *factae de beneficiis* liberis *ad Ecclesias* iurepatronatus *etiam laicorum subiectas, tam ad parochiales, quam ad alia quaecumque beneficia etiam simplicia, seu dignitates, vel hospitalia, itaut praedicta libera eiusdem naturae cum iis, quibus uniuntur, efficiantur, atque sub iurepatronatus constituantur. Hae si nondum plenarium sortitae sunt effectum, vel deinceps ad cuiusvis instantiam fient, quacumque auctoritate etiam apostolica concessae fuerint, simul cum* unionibus *ipsis per* subreptionem *obtentae intelligantur; non obstante in iis quacumque verborum forma, seu derogatione, quae debeatur pro expressa, nec executioni amplius demandentur, sed beneficia ipsa unita cum vacaverint, libere, ut antea, conferantur. Quae vero a* 40. *annis citra factae, effectum, et plenam* incorporationem *sunt consecutae; hae nihilominus ab Ordinariis, tamquam a Sede Apostolica delegatis* revideantur, *et examinentur, ac quae per* subreptionem, *vel* obreptionem *obtentae fuerint, simul cum unionibus* irritae *declarentur, ac beneficia ipsa separentur, et aliis conferantur* (3). Et beneficia de iurepatronatus numquam licebit sine consensu patronorum cuivis conferre, multoque minus unire (4).

XXV. Fraus ut nulla fiat his legibus, debent Ordinarii locorum prospicere. Nam cautum a Patribus Tridentinis est, ut *uniones perpetuae* a quadraginta annis citra factae, *examinari ab Ordinariis, tamquam a Sede Apostolica delegatis possint: et quae per* subreptionem, *vel* obreptionem *obtentae fuerint, irritae declarentur. Illae vero, quae a dicto tempore concessae nondum in toto, vel in parte sortitae sunt effectum, et quae* deinceps *ad cuiusvis instantiam* fient, *nisi eas ex* legitimis, *aut alias rationalibus* caussis *coram loci Ordinario*, vocatis quorum interest, *verificandis factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentae praesumantur: ac propterea nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant* (5).

XXVI. Ad rem hanc etiam pertinet Cancellariae Regula XXII. *de unionibus, et unionum confirmatione* (6), statuens, ut *petentes beneficia ecclesia-*

(1) Trid. in *cap. quoniam* 13. *sess.* 24. *de reform.*

(2) Alex. III. in *cap. quod autem* 5. *de iurepatr.*

(3) Trid. in *cap. siculi legitima* IX. *sess.* 26. *de reform.* Ratio enim postulat, ut eamdem habeant, quoad fieri potest qualitatem unienda beneficia. Huc spectat decretalis Innoc. III. in *cap. tua nuper* 8., *et cap. pastoralis* 9. *de his, quae fiunt a Prael. sine cons. Capit.*

(4) Alex. III. in *cap. ex insinuatione* 14. *de iurepatr.*

(5) Trid. in *cap. uniones* 6. *sess.* 7. *de ref.*

(6) Quas edixit Benedictus XIV. Cancellariae pontificias Regulas, et Io. B. Ri-

stica aliis uniri teneantur exprimere verum annuum valorem *secundum communem aestimationem tam beneficii uniendi, quam illius,cui uniri patitur: alioquin unio non valeat, et semper in unionibus* commissio *fiat ad partes*, vocatis,*quorum* interest.*Et idem voluit observari in quibusvis* suppressionibus, *perpetuis concessionibus, dismembrationibus, et applicationibus, etiam de quibuscumque fructibus, et bonis ecclesiasticis, ac etiam in* confirmationibus unionum, *singularumque dispositionum huiusmodi*. Hanc Regulam in Gallia receptam Rigantius tradit (1), nostrisque regni moribus nil officere palam est. Nam tres omnes ipsius articuli; narratio veri valoris imperata, delegatio iis, qui adsint, ubi unienda beneficia sunt, et conditio eos, quorum interest, vocandi aequitatem iustitiamque undelibet spirant.

XXVII. Alia insuper Cancellariae Reg. XIII. omnes quum uniones, tum suppressiones quorumlibet beneficiorum a Pontifice praedecessore factas *aliis Ecclesiis, monasteriis, et mensis etiam capitularibus, dignitatibus, personatibus, officiis, beneficiis, ac piis, et aliis locis, universitatibus etiam studiorum generalium, et collegiis, etiam in favorem Cardinalium, seu Ecclesiis, monasteriis, et beneficiis per eos obtentis, quae suum non sunt sortitae effectum*, dum idem ipse Pontifex viveret; *ac quascumque concessiones, et mandata super unionibus, adnexionibus, incorporationibus, et aliis praemissis*, Benedictus XIV. exempla Bonifacii VIII., aliorumque Pontificum praedecessorum suorum sectatus *revocavit, cassavit, irritavit, nulliusque decrevit existere firmitatis*, non obstantibus clausulis motus proprii, aut certae scientiae, nec concistorii auctoritate, nec iure quaesito, effectuque nunc pro tunc tributo. Exemptos ab huiusmodi revocatione dumtaxat voluit uniones gestas *Concilii Tridentini auctoritate, nec non pro fundatione, seu dotatione, augmento, vel conservatione collegiorum, et aliorum piorum,et religiosorum locorum ad Fidei catholicae defensionem, et propagationem, bonarumque artium cultum* (2).

XXVIII. Variae tot leges ecclesiasticae pro diversis unionum speciebus, et qualitatibus latae, ac dissentaneis interpretamentis expositae quum negligantur, et violentur saepius: quaestiones inde multiplices emergunt. 1. scilicet, an Episcopus,vel Praelatus ordinarius rite confecerit unionem iuxta constitutiones Tridentinas, et pontificias, moresque regni? 2., an rescindenda sit, vel confirmanda potius Apostolicae Sedis auctoritate unio ab Episcopo gesta de beneficiis praesertim reservatis, et affectis, vel aliis vetitis? 3., an publicae necessitatis, vel utilitatis caussa concurrat ad unionem,vel faciendam, vel confirmandam, vel exequendam? 4., an expediat denegatum vel defectivum Capituli consensum supplere auctoritate Sedis Apostolicae, vel S. Congregationis Concilii? 5., an subreptionis, vel obreptionis vitium irrepserit in pontificiis litteris unionem, vel indulgentibus vel confirmantibus? 6., quinam sint vocandi, seu audiendi vel ante, vel post unionem, et quorum ea intersit?

XXIX. Prima, et secunda quaestio solvitur ex peculiaribus cuiusque unionis adiunctis, quae in facto versantur, ac debent in iudicio ex actis li-

gantius eximiis commentariis illustravit, ex iis abhinc proferam singularum et verba, et numeros ab antiquis aliorum Pontificum Regulis nonnihil discrepantes.

(1) Rigant. *to. 2. comment. in Reg.* 22. *num.* 37.

(2) Regula 13. *de revocatione unionum*, apud Rigant. *to.* 2.

quere; ut ortum inde, quaesitumque ius alterutri litigantium recte iudex tribuat secundum eam Ecclesiae legem ex variis iam recitatis, quae rei controversae congruit.

XXX. Ad tertiam quod spectat quaestionem, *si evidens necessitas, vel utilitas exigat*, unionem fieri canones tunc solum indulgent (1). *Necessitas* occurrit, ubi duo Ecclesiae sint adeo pauperes, ut ad victum duorum, qui eis distincte inserviant, non sufficiant (2), vel populus, plebsve nimium decreverint (3). *Utilitas* concurrit, quoties fructuum tenuitas in caussa est, ut vel si qua ab hostibus destructa, seu desolata Ecclesia sit (4), viros minus idoneos ad serviendum Ecclesiis cogantur Praesules admittere, ad easque non valeant digniores allicere (5); aut vicinitas locorum, et conditio temporum videatur unionem communi bono postulare (6), aut educatio adolescentium in Seminario indigens subsidio; annuorum redituum, aut divini cultus augmentum. His deficientibus caussis, quum exceptio firmet regulam in contrarium: perinde unionem beneficiorum, ac mutationem quamlibet status Ecclesiarum antiqui canones vetant, quam *nec ulla necessitas, nec ecclesiastico prorsus extorquet utilitas* (7), et non alias uniones ratas habet Synodus Tridentina, *nisi factas ex legitimis, aut alias rationabilibus caussis* (8). Hinc non favorabilem, sed odiosam indolem, quae strictam scilicet interpretationem postulat, uniones generatim habent.

(1) Honor III. In *cap. exposuisti* 33. *de praeb., et dignit.* et Innoc. III. in *cap. vacante* 26. *eodem tit.*

(2) S. Greg. M. in *can. postquam* 49. *C.* 16. *qu.* 1. Episcopo Veliterno rescribens, *postquam hostilis impietas*, ait, *diversarum civitatum ita (peccatis facientibus) desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla populo deficiente remanserit . . . ne reliquiae plebis nullo Pastoris moderamine gubernatae* dimittantur . . . . *hoc nostro sedit cordi consilium, ut vicinis eas mandaremus Pontificibus gubernandas. Ideoque fr. t. curam Triumtabernensium Ecclesiae providimus committendam: quam tuae Ecclesiae aggregari, utrique necesse est.* Pariter Conc. Tolet. XVI. in *can. unio* 3. *C.* 10. *qu.* 3. decrevit, *ut Ecclesiae* parochialis, *quae minus decem mancipia* (puta parochianos) *habuerit, aliis coniungatur Ecclesiis.* Et Conc. Viennense in *cap. ne in agro dominico* 1. §. *adhaec de statu monachor.* constituit, *si proventus Prioratuum duobus forte non suppetant* . . . . . *nisi per abbates reddantur locis aliis* vicinioribus *ad eorum monasteria pertinentibus* . . . *cum* consilio, et adsensu abbatum *per locorum ipsorum* Ordinarios *uniantur.*

(3) S. Greg. M. in *can. et temporis qualitas* 48. *C.* 16. *qu.* 1. Benenato Episcopo Misenati rescribens ait: *et temporis qualitas, et vicinitas nos locorum invitat, ut* Cumanam *atque* Misenatem unire *debeamus Ecclesias: quoniam nec longo itineris spatio a se seiunctae sunt, nec peccatis facientibus tanta populi multitudo est, ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes.*

(4) Idem Agapito abati rescribens in *cap. quia monasterium* 2. *de relig. domib.*

(5) Honor. III. in *cap. exposuisti* 33. *de praeb., et dignit.*

(6) S. Greg. M. in *cit. can. et temporis qualitas.* Nam ex gr. *plures baptismales Ecclesiae in una terminatione* (h. e. vicinia loci) *esse non possunt; sed una tantummodo cum suis capellis*, ex Conc. Toletano in *can. plures* 54. *C.* 16. *qu.* 1.

(7) Gelasius inquit ad Episcopos Lucaniae rescribens in *can. et si illa* 23. *C.* 1. *qu.* 7.

(8) S. Cong. Concili in Fulginatensi 21. Novem. 1722. rescripsit *esse locum unioni* parochialium egenarum, cui suum negaverat consensum Fulginatense Capitulum, apud Rigant. in *Reg.* 13. *Cancell. num.* 143. *to.* 2.

XXXI. Quarta quaestio tota in facto consistit. Nam ubi ex probationibus rerum constiterit necessitatem, vel utilitatem Ecclesiae postulare, ut unio in ius delata fiat auditis partibus interesse habentibus: consuevit S. Congregatio Concilii, et Apostolica Sedes rescribere *locum esse unioni* ab Ordinario loci faciendae, non obstante dissensu Capituli sine probabili ratione contradicentis (1). Et versa vice *non esse locum*, quoties re cognita liqueat nullam necessitatis, vel utilitatis caussam concurrere.

XXXII. Quaestio quinta in facto et iure simul versatur. In primis enim executor apostolicus, ubi auditis partibus cognoverit in facto, quod preces veritate nitantur, nullumque mendacium, vel noxium silentium in eis irrepserit, decernet litteras apostolicas fore tunc executioni mandandas. Quoties vero mendaces, vel defectivae preces apparuerint: executionem tunc denegabit. Quae omnia ad factum pertinent rite liquidandum in iudicio auditis partibus. Deinde in iure discutiat, num tacita sine dolo veritas, vel exposita falsitas caussam, an non dederit expeditioni apostolicarum litterarum: decreturus in priori casu, quod *executioni demandentur* apostolicae litterae; secus in posteriori (2).

XXXIII. Tandem quorum interest iura ut examinentur, eos omnes vocari, et audiri oportet, antequam unio fiat, vel executioni ea demandetur, quae facta sit auctoritate Sedis Apostolicae (3). Nimirum citatione speciali sunt personaliter citandi 1. patroni quum laici, tum ecclesiastici (4), quorum consensus nisi accesserit, vel praecedat, vel subsequatur ad unionem beneficiorum iuripatronatus, ea nullius erit momenti (5). His adde Abbates, Praelatosque inferiores quod ad beneficia ad eorum collationem spectantia, et ab Episcopis exempta (6) 2., rectores praesertim curati et, possessores beneficiorum uniendorum (7): tametsi nullus eorumdem con-

(1) Secundum Innoc. III. decretalem in *cap. super. litteris* 20. *de rescriptis*. Confer. hue dicenda inferius *cap.* XII.

(2) Trid. in *cap. uniones* 6. *sess.* 7. *de ref.*

(3) Trid. *loc. cit.* uniones non adprobat, *nisi eas ex legitimis, aut aliis rationalibus caussis coram loci Ordinario* vocatis, quorum interest, *verificandis factas fuisse constiterit*. Recitata etiam Reg. 22. Cancellariae cautum specialim est, ut vocentur ii, *quorum interest*, in executione litterarum pontificiarum de unionibus. Rigant. *to.* 2. *in Reg.* 22. *Cancell.* num. 39.

(4) Trid. in *cap. in Ecclesia* 16. *sess.* 24. *de ref.* decrevit unionem beneficiorum simplicium praebendis tenuibus Cathedralium et Collegiatarum *cum patronorum consensu, si de iurepatronatus laicorum sint*, faciendam esse. Quum de patronis ecclesiasticis nullum fiat verbum in hocce decreto: nonnulli Doctorum inde coniiciunt non requiri eorumdem consensum in eiusmodi unionibus. Sed Tonticellus in *tract. de union. cap* 9. *num.* 40. cui adstipulatur Rigantius *loc. cit. num.* 41. *et seq.* hanc. eorum opinionem reprobat, adstruens necessitatem consensus cuiuslibet patroni quum laici, tum ecclesiastici.

(5) Rigantius *ibidem num.* 45.

(6) Quod sine consensu Abatis nequeat Episcopus dioecesanus unire beneficia Regularium, decrevit Clement. 1. §. *adhaec de stat. monachor*. Nec sine caussa Ecclesiam alicui subiectam subtrahere, rescripsit Alex. III. in *cap. adhaec* 2. *de excess. praelator*.

(7) Rota coram Seraphino *dec* 1078. *num.* 3. *et par.* 18. *rec. dec.* 817. *num.* 14. *to.* 2. Wan-Espen, Sanchez. Hoieda, Kochier, Lotterius, aliique apud Rigant. *loc. cit. num.* 59.

sensus requiritur in ea unione, quae sine ipsorum damno, et praeiudicio fiat, suumque sit effectum sortitura post ipsorum obitum (1); nec diasensus valet vel faciendam impedire, vel factam irritare unionem. 3. Capitulum Cathedralis Ecclesiae, sine cuius consilio, et consensu canones vetant Episcopis negotia eiusmodi generatim perficere(2), nisi vel constitutio aliqua speciatim Episcopis unionem omisso, vel postabito Capituli consensu mandaverit (3), vel denegatum sine caussa consensum capitularem Apostolica Sedes, vel S. Congregatio Concilii suppleverit, unionemque controversam eo non obstante indulserit (4) 4., in unionibus pro Seminario Episcopali faciendis non Capitulum, sed pro eo quatuor deputatos, duos nimirum de Capitulo ipso, totidemque de Clero citari, et audiri solum oportet (5). Praeterea satius erit generali citatione per edictum omnes alios, si qui sunt, interesse habentes requirere, ac monere ad dicendum contra unionem propositam: ut plebs, populusve sua in tempore valeant iura, et vota proferre (6). Plus enim praestat futuram suspendere, quam factam rescindere unionem.

XXXIV. Quoties agitur de unione, vel separatione Ecclesiarum Cathedralium, ea si facta semel sit, quoniam nonnisi post maturam rei deliberationem, caussarumque discussionem fit auditis partibus in supremo consilio Papae, cui soli id ius est, praeterea nemini (7): fere numquam dubitari monet Cardinalis de Luca, utrum ea per subreptionem, obreptionemve obtenta sit; vel an alicuius consensus defectu laboret (8). Nullam sane iuris quaestionem subit suprema Romani Pontificis potestas: voluntas autem ipsius post accuratas ea in re inquisitiones explicita omnem dubitandi locum in facto adimit. Immotae hinc uniones plurium Cathedralium consistunt in hoc regno Neapolitano a Romanis Pontificibus iamdudum confectae.

XXXV. An vero expediat aliquando fieri petitam Cathedralium unionem, vel separationem, quibusve legibus ea indulgenda sit; haud rara quaestio est, prudenti solum arbitrio Pontificis, qui nullo ad id iure cogitur, dirimenda. Ubi pares non fuerint sustendando Episcopo singularum Ecclesiarum redditus, vel alicui plebs defecerit, vel passa desolationem aliqua sit: tunc locum unioni alterius ad alteram viciniorem a B. Gregorio M. datum iam novimus (9). Ut diuturnas, et aerumnosas lites inter

(1) Clementina 2. *et ult. de reb. Eccl. non alienand.* definit unionem Ecclesiae cum consensu Capituli ab Episcopo factam impugnari ex eo non posse, *quod rector ipsius* ad hoc vocatus, vel si vacabat, defensor ei datus non fuerit.

(2) Ex *cap.* 1. 2. 3. 4. 8. *et* 9. *de his quae fiunt a Praelatis sine cons. Capit.* Trid. in *cit. cap. in ecclesiis* 15. *sess.* 24. *de ref.* Videsis dicta superius *num.* 11. *et* 17.

(3) Puta uniones praebendae primo vacaturae ad praebendas vel deficientes, vel tenues Canonici Poenitentiarii, et Theologi, ex supradictis *num.* 19. 20. *et* 21.

(4) Ex supradictis *num.* 32. Quod summus Pontifex possit non vocatis etiam vocandis unionem in *forma gratiosa* concedere, tradit Rigant. *loc. cit. num.* 35.

(5) Videsis dicta superius *num.* 12.

(6) Ex supradictis *num.* 11.

(7) Innoc. III. in *cap.* 1. *ne sede vacante aliq. innov.*

(8) Card. de Luc. *disc.* 8 *adnot. in Conc. Trid. num.* 10. *et disc.* 7. *de praemin.*

(9) Ex supradictis *num.* 31.

archipresbyteralem Ecclesiam Terlitii, et Episcopalem Iuvenacii extingueret Benedictus XIV. eam in Cathedralem erexit, continuoque huic univit aeque principaliter, datis utrique legibus ad pacem deinceps fovendam idoneis (1). Ob hanc ipsam caussam litium inter Praelatos inferiores, et Episcopos consilium eiusmodi unionis comprobavit Cardinalis de Luca (2): quum abusus exemptionum, exemptorumque ab Episcopi iurisdictione remissior disciplina videantur id postulare.

XXXVI. Quae de conficienda unione hactenus dicta sunt, in ea vicissim dissolvenda locum fere obtinent (3). *Nihil tam naturale est*, inquam cum Ulpiano, *quam eo genere quidquam dissolvere, quo colligatum est* (4). Itaque ubi necessitas, vel utilitas Ecclesiae, aliave caussa legitima videatur dissolutionem postulare: ad eam oportet, iis auditis, quorum interest, deveniri (5). Et quoties unio facta sit ob certam caussam, videlicet belli, desolationis, paupertatis], populi deficientis, aliamve id genus: tunc ea caussa cessante, unionem simul cessare, monet Rebuffus (6). Eodemque iure ex una praebenda vacante, ubi suppetant redditus, et adsit caussa probabilis, erigi duas posse, rescripsit Innocentius III. (7).

CAP. V.

De reservationibus et affectionibus pontificiis.

I. Episcopis dioecesanis collationem beneficiorum omnium videntur antiqui canones tribuisse.

II. Sed episcopalem potestatem Primae Sedi Apostolicae Ius divinum subiecit, dein Metropolitis, ac Patriarchis mores, et leges ecclesiasticae.

III. Utriusque primum reservata generatim est collatio Cathedralium cum Episcoporum ordinatione.

IV. Iure stauropegii monasteria quandoque, et Ecclesias Patriar-

(1) Videsis dicta superius *n.* 5.

(2) *Cit. disc.* 8. *annot. in Conc. Trid. n.* 5.

(3) Ex recitatis Cancellariae Regulis 13. et 22.

(4) Ulp. in *l. nihil tam naturale* 35. *D. de reg. iur.*

(5) Innoc. III. in *cap.* 1. *ne Sede vacante aliq. innov.* rescribens Priori, et Conventui Glastonensi ait: *quia tamen haec unio asserebatur a vobis in grave praeiudicium Glastonensis Ecclesiae redundare, quum per ipsam dissolveretur religio, et fraudaretur eleemosyna*, et hospitalitas tolleretur: *ad relevandum Ecclesiae vestrae statum coepimus intendere diligenter . . . Episcopali sede vacante cum non sit, qui Episcopale ius tueatur . . . cum Bathoniensis Ecclesia de Praesule fuerit ordinata, ius vestrum apud Sedem Apostolicam prosequendi facultatem liberam habeatis.* Quod sine consensu Episcopi totam dioecesim detinentis non posset novus Episcopus institui, dudum decreverat Conc. Africanum in *can. multis* 51. *C.* 16. *qu.* 1.

(6) Rebuff. in *prax. benef. tit. de unionis revocatione num.* 1.

(7) Innoc. III. in *cap. vacante* 26. *de praebendis.*

chae ab Ordinariis eximebant, sibi ut subjicerent, ac reservarent.

V. Appellationibus, querelisve subditorum ad Metropolitas devoluta collatio haud temere conjicitur.

VI. Ordinare clericos etiam licuit Patriarchis in provinciis suis, Romano Pontifici per totum Orbem.

VII. Seiunctis vix Ordinibus a collatione praebendarum S. Gregorius M., et successores Pontifices conferre clericis praesertim egenis beneficia vacantia, et vacatura in Occiduis praecipue regionibus consueverunt.

VIII. Carolus M., Patresque Triburienses ea in re supremae Sedis Apostolicae litteris parendum censuerunt.

IX. Pontificias collationes iure praeventionis cum dignitate patriarchali ante Alexandrum III. iamdiu invaluisse liquet.

X. Plurimas beneficiorum collationes mandarunt Episcopis Alexander III; et successores Pontifices litteris suis nunciatas.

XI. Iisque monitionem primum, dein praeceptum, tandem executores dabant.

XII. Devoluta ob negligentiam Ordinariorum beneficia ultra sex menses vacantia, reservavit Alexander III.

XIII. In Curia, et apud Sedem vacantia Clemens IV.

XIV. Intra mensem conferenda haec erant ex decreto Conc. Lugdunensis postmodum abrogato.

XV. Bonifacius VIII. beneficia Curialium, Curiamque Romanam adeuntium, vel ab ea recendentium, qui intra duas diaetas ab ea ipsa dissitas obirent, apud Sedem vacare declaravit.

XVI. Legatoque a latere in manibus ipsius resignata beneficia reservavit, exceptis Cathedralibus, Regularibus, et Collegiatis, primisque ipsarum dignitatibus.

XVII. Parochialia apud Sedem vacantia redire Papa defuncto ad collationem Ordinariorum voluit.

XVIII. Reservationes clausae in Corpore Iuris, quamvis oppugnatae, invaluerunt ex decreto etiam Synodi Basileensis.

XIX. Ad vacatura tantum gratias expectativas, et reservationes mentales Tridentina Synodus abolevit.

XX. Pontificias reservationes obfirmarunt insita Romanae Sedi potestas universalis, prisca numquam intermissa consuetudo, Episcoporum arbitrariae collationes, et necessitas alendi apostolicos ministros.

XXI. Clausae in Corpore Iuris perpetuae sunt, secus aliae.

XXII. Clemens V. in Gallia omnia generaliter beneficia apud Sedem suam toto sui Pontificatus tempore vacantia reservavit.

XXIII. Ioannes XXII Bonifacii VIII, et Clementis V. reservationes firmavit, novasque iis addidit temporaneas.

XXIV. Ipse hinc primus Regularum Cancellariae auctor dicitur.
XXV. Benedictus XII. recensitis Ioannis XVII. reservationibus alias etiam adiunxit.
XXVI. Paulus II. eas perpetuo extendit ad beneficia Collectorum.
XXVII. Reservationes extravagantibus Io. XXII, et Benedicti XII imperatae quum expirassent eorum Sede vacante, a Successoribus indici pariter consueverunt.
XXVIII. Prima Cancellariae Regula innovat earumdem reservationes.
XXIX. Eaque personas, beneficia, et modos vacationum in Curia, et apud S. Sedem spectat.
XXX. Ex persona Cardinalium reservatio quidem habet hoc in Regno executionem.
XXXI. Regula IV, et VII, familiariorum Papae, et Cardinalium beneficia speciatim reservat.
XXXII. Papae familiares enumerantur.
XXXIII. Cardinalium commensales, et stipendiarii omnes familiaritate gaudent.
XXXIV. Brevis etiam familiaritas reservationem parit beneficiorum antea, vel ea durante, non post ipsam dissolutam obtenta.
XXXV. Regula V. reservat similiter Collectorum, unicorumque in singulis dioecesibus subcollectorum beneficia.
XXXVI. Regula VI. insuper beneficia curialium, qui Curiam alio se transferentem sequuntur, ubilibet decedentium.
XXXVII. Regula II. reservat primum episcopales, et superiores Ecclesias.
XXXVIII. Tum monasteria, et abatias perpetuas valorem ducentorum florenorum auri excedentes, quos appellant ducatos auri de Camera.
XXXIX. Cuncta denique vacantibus Sedibus episcopalibus vacantia.
XL. Regula III., et XXV. reservat beneficia in fraudem reservationis resignata, vel dimissa post vacationem incompatibilium, et ipsa dein obtenta incompatibilia, praelaturis exceptis.
XLI. Regula IV. primam in Cathedralibus dignitatem post pontificalem, et in Collegiatis principalem. Excipitur monocularis.
XLII. Regula VIII. beneficia Urbis basilicarum S. Ioannis Lateranensis, et S. Petri, et S. Mariae maioris, titulorumque Cardinalium a Curia absentium.
XLIII. Regula IX. cuncta, quantumvis minora in mensibus reservatis vel octo, vel sex alternis vacantia.
XLIV. Eaque sex alios alternatim menses Episcopis vere residentibus concedit, non aliis collatoribus.

XLV. Prima mensis dies computatur a media, quae praecessit, nocte mensem superiorem terminante.

XLVI. Prior huius Regulae pars odiosa, favorabilis posterior.

XLVII. At intra duos menses mobiles Martium, et Septembrem vacantia beneficia Episcopus iusta etiam ex caussa absens nequit vi alternativae conferre.

XLVIII. Regula XI. reservat ea mobiliter reservata, de quibus Papa praedecessor non disposuerit.

XLIX. Regula LXVIII. item reservat beneficia reservari solita, de quibus ordinarii Collatores, Apostolica Sede vacante, nil disponere consueverunt.

L. Regula XV. revocat concessa quibuslibet indulta disponendi de beneficiis generatim reservatis, et affectis.

LI. Sed Regula XVIII. firmat stylum in litteris pontificiis reservandi suum cuilibet ius, collationem quoque ordinariam, ubi non sit reservatio.

LII. Quae per obitum naturalem Romae, vel intra duas diaetas contingit, unica, et propria vacatio apud Sedem *in Corpore Iuris constituta.*

LIII. Ceterae vacationum species extra Corpus Iuris inductae in Curia Romana vulgo putantur: sed canones antiqui eas etiam comprobant.

LIV. Istarum aliae facti, aliae iuris sunt.

LV. Quae personis Curialium, vel Papae, et Cardinalium familiaribus ubilibet morientibus beneficia vacant, in Curia etiam vacare dicuntur.

LVI. Apud Sedem insuper vacatio contingit, quae fit vigore pontificii decreti de dimittendo.

LVII. Regula XXVI. revocat gratias de beneficiis ex promotione vacaturis motu etiam proprio concessas, irritatque resignationes, et permutationes eorum a promovendis factas.

LVIII. Sententia Curiae Romanae ob crimen positivum infert reservationem, non ob neglectam, vel residentiam, vel promotionem ad Ordines.

LIX. Litigiosa beneficia videntur etiam reservata Iure communi.

LX. Ubi coepta nimirum super titulo, ac pertinentia lis per citationem semel sit.

LXI. Regula XXIX. indulget collitiganti subrogationem in iure defuncti.

LXII. Eaque Iure communi, et canonico innititur.

LXIII. Lis autem non suspenditur cum cedente, donec ad eam subrogatus accesserit.

LXIV. Violatio nedum legis Tridentinae, sed pontificiarum quoque constitutionum parit reservationem.

LXV. Non consumpta vacatio in Curia putatur, quoties provisus a Papa, antequam gratiae consenserit, moriatur.

LXVI. Praeventionis iure non reservata etiam beneficia ubilibet confert summus Pontifex.

LXVII. Qui suam semel manum quoties adposuerit, affecta *Sedi suae ea tunc beneficia reddit.*

LXVIII. Qualia evadunt, quae resignantur in manibus Papae, vel ab eo commendantur, vel ipsius mandato eriguntur.

LXIX. Reservationes ex Cancellariae Regulis vel reales, vel personales perpetuo durant, aliae intuitu loci, et mensium, vacante Sede, intereunt.

LXX. Affectiones numquam evanescunt, vel deficiunt.

LXXI. Patronatus laicorum vel simplicis, vel mixti beneficia, et Regulae ipsae, et Regni mores a cunctis reservationibus eximunt.

LXXII. De patronatu ecclesiastico dubitatur adhuc.

I. Secundum priscos canones Basilicas omnes, et Ecclesias, omnesque iis vel adnexas, vel subiectas Capellas, praebendas, ministeria, officia, et beneficia in Episcopi cuiusque dioecesani potestate consistere, ad eiusque dispositionem pertinere, tritum vetustate proverbium est, a Patribus Concilii Aurelianensis collaudatum saeculo sexto (1). *Principes* idcirco Sacerdotum, et Ecclesiarum (2). *Antistites*, *Praesules*, *Praepositos* in sua quemque Ecclesia singulos Episcopos et habuit, et denominavit Antiquitas, ut hisce titulis ostenderet liberum eorum arbitrium in ecclesiasticis rebus administrandis (3), in clericis praesertim ordinandis, instituendis, alendisque, et praebendarum, officiorumque distributione. Quumque moribus introductam ab Ecclesiae incunabulis divisionem parochiarum, et dioecesium firmassent Nicaeni canones: iure factum est, ut uniuscuiusque tum parochiae, tum dioecesis negotia gerere, clericos ordinare, eosque certae Ecclesiae incardinare, praebendas, ministeria et officia singulis conferre, nonnisi Episcopo dioecesano liceret (4).

(1) Conc. Aurelian. an. 511. in *can. omnes basilicae* 10. *C.* 16. *qu.* 7. Consonant canones plurimi apud Gratianum *C.* 10. *qu.* 1.

(2) S. Hieronym. in *can. Ecclesiarum principes* 4. *dist.* 35. illud Isaiae vaticinium *cap.* 60. *vers.* 17. *dabo* principes *tuos in pace*, *et* Episcopos *tuos in iustitia* explicans B. Hieronymus (*comm. in psalm.* 45, et Isaiam *cap.* 3. *et* 60) ait: *in quo Scripturae sanctae admiranda maiestas*, *quod* principes *futuros Ecclesiae* Episcopos *nominavit*. Ab Optato Milevitano *lib.* 1. *ipsi apices*, *et* principes *omnium Episcopi* dicuntur. Eosdem graeci scriptores pariter appellabant αρχοντες εκκλησιων idest principes, rectoresque Ecclesiarum. Euseb. *lib.* 6. *cap.* 28. Origen. *in Ierem. hom.* 11. Chrysostom. *de Sacerdotio lib.* 3. *cap.* 14. Tum latini eos ipsos *Sacerdotum Principes*, *summos Sacerdotes*, *Pontifices maximos* etiam dixere, Tertull. *de pudicitia cap.* 1. S. Hieronym. *ad Asellam ep.* 90. S. Ambros, *comm. in Ephes.* 4. S. Aug. *quaest. vet. et nov. testam. cap.* 101. Sidon. *lib.* 4. *cap.* 11.

(3) S. Cyprian. *ep.* 27. *Omnis actus Ecclesiae*, ait, *per eosdem* Praepositos *gubernetur*. Et *ep.* 81. *quum habeat in Ecclesiae administratione voluntatis suae* arbitrium liberum *unusquisque* Praepositus. Idipsum liquet ex canonibus vulgo Apostolorum superius recitatis *cap.* 1. *num.* 16.

(4) Ex canonibus, quos laudavi *lib.* 1. *Inst. Can. tit.* 18. *num.* 6.

II. Par nihilominus tot dioecesanorum Praesulum potestas supremae omnium potestati Sedis Apostolicae ab initio subiecta magis est, quam Metropolitis, et Primatibus post eam humano iure institutis. Nam communem praedicandi Evangelii cursum, et Ecclesias plantandi cunctis Apostolis a Christo D. N. traditam sicuti ratio naturalis, vel divina inspiratio ipsos impulit Apostolos ad partiendum inter sese (1): ita Ecclesiae unitas ex uno Capite, multisque membris compacta; regnum sacerdotale ab uno Principe, plurimisque subministris gubernandum, ovile unum uni Pastori supremo concreditum postularunt, ut per os Petri a Deo praeelecti deberent universae gentes audire verbum Evangelii, et credere, suos ipse fratres Coepiscopos fide sua numquam defectura confirmaret aliquando defecturos, et sollicitudinem omnium ubilibet Ecclesiarum sibi, et Paulo Coadiutori suo retentam ad suos transmitteret Successores (2). Tribus martyrum saeculis Ecclesia filios suos in locum Apostolorum suffectos, et constitutos pro iis Patres habuit, omnes quidem Ordinis potestate pares: et alios aliis maiores reipsa effecit dignitas metropolum. Coaevi sane canones vulgo Apostolorum sive moribus, sive collatis priscorum Patrum consiliis constitutum ius ferunt, ut cuiusque gentis Episcopi agnoscerent, *quinam inter ipsos primus esset, ipsumque haberent quodammodo pro capite, neque sine illius voluntate quidquam agerent insolitum (nihil arduum, aut magni momenti praeter illius sententiam*, legitur in versione Dionysii Exigui): *illa autem sola quisque pro se tractaret, quae ad parochiam ipsius, et loca sibi ipsi subdita pertinerent* (3). Prima inde origo Sedium metropolitanarum, et patriarchalium videtur cum ipsa parochiarum, dioecesumque divisione simul emersisse, iurisdictionemque sublimem in Ecclesias totius provinciae, vel regni suffraganeas Metropolitis, Primatibus, ac Patriarchis tribuisse, Nicaenis canonibus (4) obfirmatam secundum antiquos mores, et posterioribus pro conditione temporum, et locorum editis constitutionibus (5).

III. Hinc prima etiam reservatio generalis Ecclesiarum Cathedralium repetenda videtur. Novos enim Episcopos cuiusque provinciae ut Metropolitanus (6), Metropolitanos autem Primas, vel Patriarcha ordinaret (7)

(1) Videsis dicta ibidem eodem *tit.* 18. *num.* 4., *et* 5.

(2) S. Lucas Actor. *cap.* 9. *vers.* 32. loquens de Petro Apostolorum Principe ait: *factum est, ut pertransiret universos.* Haec verba exponens B. Chrysostomus *hom.* 21. *in Acta Ap.* inquit. *Quemadmodum dux in exercitu obambulat, considerabat quae pars esset coadunata, quae ornata, quae suo adventu egeret.* Romanus hinc Pontifex revera est (ut S. Bernardus docet *lib.* 2. *de consid.*) *potestate Petrus, unctione Christus . . . sunt et alii gregum Pastores . . . habent illi sibi adsignatos greges, singuli singulos: tibi, o Eugeni, universi crediti, uni unus. Non modo ovium, sed et Pastorum es unus omnium Pater.*

(3) Ex *can.* 33. *vulgo Apostol.* ad calcem Decreti Gratianaei.

(4) Conc. Nicaen. in *can. mos antiquus* 6. *dist.* 65.

(5) Videsis ad hanc rem dicta fusius *lib.* 1. *Inst. Can. tit.* 14. *de Patriarchis, tit.* 15. *de Primatibus, et Exarchis, et tit.* 16. *de Metropolitanis, et Archiepiscopis.*

(6) Conc. Nicaen. *can.* 6. *Si quis praeter sententiam Metropolitani fuerit factus Episcopus: hunc magna Synodus definit Episcopum esse non oportere.* Conc. Laodic. *can.* 22. *Episcopos non oportere praeter iudicium Metropolitanorum, et finitimorum Episcoporum constitui.*

(7) Conc. Nicaen. eodem *can.* 6. *Antiqua consuetudo servetur per Ægyptum*,

secundum antiquos mores, vel canones a Nicaenis Patribus, et subsecutis Ecclesiae legibus constitutum est. Sed processu temporum ad Romanam Sedem Episcoporum creatio, et ordinatio avocata est.

IV. Specialem alicuius Ecclesiae, vel monasterii reservationem invexit ea ipsa dignitas patriarchalis suo cum iure *stauropegii*, Crucem scilicet erigendi, figendique, ubicumque intra provinciam suam Patriarcha vellet ob aliquam caussam ab Ordinario loci dioecesano eximere aliquam Ecclesiam, vel monasterium, aliamve rem ecclesiasticam (1), praesertim in limine fundationis (2), seu tempore consecrationis, et dedicationis.

V. Ad inferiores quod attinet capellas, praebendas, dignitates, personatus, et officia ecclesiastica, nullam eiusmodi reservationem expressam antiqui canones imperarunt. Quum vero Metropolitis, Primatibus, et Patriarchis curam totius provinciae demandassent cum iure visitandi Ecclesias ipsius, et caussas cognoscendi in gradu appellationis, et suffraganeos Episcopos vocandi ad Synodum, in qua iudicia querelarum, et appellationum discuterentur (3), factum inde est, ut sua Episcopis iurisdictione abutentibus, vel eam negligentibus, praebendas aliquando, et officia litigiosa tunc sibi reservarent Primates, ac Metropolitae, vel neglectam, devolutamque ipsarum collationem sibi sumerent, vel eam Episcopis, nonnisi cum consilio, et voluntate Metropolitani, aut Primatis faciendam permitterent. Nam ex Concilio Antiocheno Episcopo cuique curam gerere suae regionis, *ordinare etiam Presbyteros, et Diaconos* licebat, *et de sin-*

Lybiam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus *Episcopus horum omnium habeat potestatem: quia et urbis* Romae *Episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud* Antiochiam, *ceterasque* provincias *suis privilegia serventur Ecclesiis*. Coelestinus I. Rufo Primati Thessalonicensi rescribens ait: *Cui vicem nostram per vestram provinciam noveritis esse commissam . . . sine eius consilio nullus ordinetur*. Tum Xystus III. Anastasio item Thessalonicensi rescripsit: *Habeant honorem suum Metropolitani singularem, salvo huius* Primatis Thessalonicensis) *privilegio . . . in provincia suum ius habeant ordinandi, sed hoc inscio, vel invito, quem de omnibus Ordinationibus volumus consuli, nullus audeat ordinare.*

(1) Patriarcham Constantinopolitanum eo privilegio potitum eximendi monasteria nonnulla, et possessiones ecclesiasticas ab ordinaria dioecesanorum potestate, suae ut immediatae protectioni subiiceret, Crucemque inibi patriarchalem in monimentum exemptionis perpetuum adfigendi, fert Georgius Pachimera *lib.* 6. *hist. graec. cap.* 11. ex Novella constitutione Michaelis Palaeologi, quam excriptam habet.

(2) Benedictus XIV. in *const. inter plures* 98. §. 19. *to.* 2. *Bullar.* docet consuetum in Ecclesiis Orientalibus patriarchicum ius *stauropegii*, seu figendae Crucis in monasteriorum fundatione in signum exemptionis ab Ordinario, et immediatae subiectionis Patriarchae; illudque inferioribus Metropolitanis numquam concessum.

(3) Tertullian. *lib. de ieiunio contra psychicos: praecepta certis in locis Concilia*, inquit, *universis Ecclesiis, per quae et altiora quaeque in communi tractantur*. S.Cyprian. *ep.* 15. *ad Clerum Roman.* edit. Pamelii: *standum putavi*, ait, *et cum vestra sententia, ne actus noster, qui consentire circa omnia debet, in aliquo discreparet . . . cum plures Praepositi convenire in unum coeperimus, communicato etiam vobiscum consilio disponere singula, et reformare possimus*. Conc. Laodicenum an. 320. *can.* 40. *Episcopos ad Synodum vocatos* coegit adire, *ut doceant, vel discant ea, quae ad correctionem Ecclesiae, vel reliquarum pertinent rerum, can. non oportet* 5, *dist.* 18.

gulis ipsius regionis caussis rite disceptare: *ultra autem nihil agere* permittebatur *citra Metropolitani conscientiam* (1). Et *decreta Nicaena sive inferioris ordinis clericos, sive ipsos Episcopos Metropolitanis suis apertissime commiserunt*, ut in Concilio Africano dictum enarrat N. Alexander (2). Romanam praeterea Sedem etiam vacantem consulere in rebus arduis prisci Patres consueverunt, eiusque auctoritati nimium deferre (3).

VI. Concilium Africanum anno 401. constituit, ut Carthaginensi Episcopo totius Africae Primati, unde vellet, clericum liceret ordinare (4), tametsi canones generatim sanxerunt, ne quis Episcoporum extra suos fines in locis sibi non subiectis ordinationes faceret, subditosque aliorum ordinaret (5). Concessa Primati ordinatio eiusmodi clericorum cuiuslibet dioecesis intra provinciam satis ostendit eum simul consuevisse quum ipsos ab se ordinatos cardinare Ecclesiis totius provinciae, tum praebendas ecclesiasticas iis conferre, ut inde viverent, ubi servirent. Tunc porro non licebat ex Nicaeno canone quempiam ordinare clericum, diaconum, Praesbyterum: nisi uno, eodemque tempore ad inserviendum certae Ecclesiae manciparetur, congruam vitae sustentationem ab ea recepturus (6). Eodem iure Primatis, et patriarchico a Patriarcha quum Alexandrino, tum Romano ordinatos non modo Episcopos, sed plurimos etiam Presbyteros, et diaconos in Ecclesiis per universas provincias, regionesque suas, luculenter ostendit Binghamus (7). S. Gregorius VII. insuper tradit, quod Romanus Pontifex *de omni Ecclesia quemcumque voluerit clericum, valeat ordinare* (8). Idipsum ius patriarcharum agnovit, firmavitque Iustinianus (9). Hinc *praeventionis* ius patriarchicum, et pontificium profluxisse aio.

(1) Conc. Antiochen. an. 341. in *can. per singulas* 2. *C.* 10. *qu.* 3. Consonat Con. Martini Bracarensis in *can. per singulas* 1. *ead. C. et qu.*

(2) N. Alexand. in *hist. saec.* 4. *cap.* 5., *art.* 6. *de Metropolitanis.*

(3) Concilium Labesitanum in Africa an. 245. quum damnasset Privatum haereticum, requisitus S. Fabianus Papa Concilii acta probavit. Hinc S. Cyprianus *ep.* 55. ad Cornelium retulit Privatum illum Fabiani Papae, et Donati Episcopi litteris severissime notatum. Vicissim Clerus Romanus ad Cyprian. *ep.* 30. edit. Pam. *pro tuo more fecisti*, ait, *qui rem nobis sollicitam nunciare voluisses: omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiae . . . excubare.*

(4) In Conc. isto Africano, quod sub Anastasio, et Coelestino Pontificibus celebrandum est, canones 105. editos habet collectio Conciliorum, ex praeteritis etiam Africae Synodis desumptos.

(5) *Can.* 35. vulgo Apostol. haec habet: *ne quis Episcopus audeat extra suos fines facere ordinationes in urbibus, et pagis ei non subiectis.* Conc. Antiochen. *can.* 22. *Episcopus in alienam civitatem, quae ei subiecta non est, non adscendat; nec in regionem, quae ad eum non pertinet, ad alicuius ordinationem, nec Presbyterum, vel diaconum constituat in locis alii Episcopo subiectis, nisi cum voluntate proprii illius regionis Episcopi. Si quis autem tale quid ausus fuerit, infirma sit ordinatio, et ipse a Synodo puniatur.*

(6) Ex supradictis *cap.* 1. *num.* 15.

(7) Bingham. *to.* 1. *orig. lib.* 2. *cap.* 16. §. 23. ex Basnagio *exercit. in Baron.* Launoio, et Valesio *in Socratem.*

(8) S. Gregor. VII. inter *dictata* sua *lib.* 2. *ep.* 76.

(9) Iustin. in *l. sancimus* 29. §. 5., *et ult. C. de Episcopali audientia*, haec Iuliano rescripsit: *quidam sunt sanctissimi* Patriarchae, *qui in provinciis, in quibus*

VII. Post disiunctas a sacris Ordinationibus collationes praebendarum, officiorumque ecclesiasticorum saeculo sexto, continuo apparuit praerogativa Patriarchae, Pontificisque Romani in conferendis Ecclesiis, praebendis, monasteriis, et dignitatibus ecclesiasticis ubilibet vacantibus, vel vacaturis, praesertim in regionibus occidentalibus, et suburbicariis. Quandoquidem S. Gregorius magnus post eversam a Longobardis episcopalem Ecclesiam magnae civitatis in provincia Brutiorum, seu Calabria contulit Paulino illius Episcopo abatiam, seu monasterium S. Theodori in Sicilia, in civitate Messanae, praemonito Episcopo Messanensi, cuius dioecesi, et iurisdictioni suberat (1). Tum cuidam presbytero Dominico parochiam Importuno Episcopo Atellano subiectam contulit, iubens litteris ad eumdem Episcopum datis, ut omnia illius Ecclesiae emolumenta faceret sine mora praestari presbytero illi ab se instituto, una cum fructibus iam perceptis (2). Consuevit praeterea idem Pontifex Episcopis commendare egenos potissimum clericos, quatenus alimen ta ex redditibus ecclesiasticis, velut pensiones alimentarias iisdem subministrarent (3).

VIII. Eodem praeventionis iure subsequutos inde Pontifices in Roma Sede usos, dubitandum non videtur (4). Enimvero in capitulis Caroli magni ad suas omnes provincias datis, et in Concilio Triburiensi anno 895. ab Episcopis Germanis celebrato constitutum legitur: ut *in memoriam B. Petri Apostoli honoremus Sanctam Romanam, et Apostolicam Sedem, et licet vix ferendum ab illa S. Sede imponatur iugum: tamen feramus, et pia devotione toleremus. Si vero (quod non decet) quilibet, sive sit Presbyter, sive diaconus aliquam perturbationem machinando, et nostro* ministerio *insidiando, redarguatur falsam ab Apostolica Sede detulisse* epistolam, *vel aliud quid, quod inde non venerit:* salva fide, *et integra circa Apostolicum humilitate, penes Episcopum sit potestas, utrum eum in carcerem, aut aliam detrudat custodiam, usquequo per epistolam, aut per idoneos suae partis legatos apostolicam interpellet sublimitatem, ut potissimum sua sancta legatione dignetur decernere, quid de talibus iusto ordine* lex Romana statuat *definire, ut et is corrigatur, et ceteris modus imponatur* (5). Isthaec

existunt, Metropolitanorum *officium gerunt: alii per* totam dioecesim *Episcoporum, Metropolitanorum, atque* aliorum, *qui sub eis sunt,* ordinationes *faciunt: ea de caussa illud observari sancimus.*

(1) S. Greg. M. *ep.* 38. *ad Epis. Messanens. lib.* 1.

(2) Idem *ep.* 10. *ad Importunum Episc. lib.* 2., quam exscriptam habet Ughell. in *addit.* Ital. sacr. *to.* 10. *de Episc. Atellan. col.* 17. *num.* 4.

(3) Idem *ep.* 14. *ad Syracusanum Episc. lib.* 3. scribens ait: *Imbecillitati eius, atque necessitatibus consulentes intuitu pietatis in tua Ecclesia Syracusana cum providimus cardinandum, sive ut officium diaconatus expleat, seu ut sola eiusdem officii pro substentanda paupertate sua commoda consequatur, ex tuae fraternitatis volumus hoc pendere iudicio. Quod hortamur, ut tua fraternitas implere festinet, ne vel nostrae commendationis inveniaris tramitem neglexisse, vel minus exhibuisse, quam tuus exigit ordo pauperibus.*

(4) Ex monumentis a Thomassino laudatis *par.* 2. *de benef. lib.* 1. *cap.* 32.

(5) Capitula legis Caroli M., et Conc. Tribur. in *can. in memoriam* 3. *dist.* 19. Huc etiam alludunt Innocentius I. ad Decentium Eugubinum rescribens in *can. quis nesciat* 11, *dist.* 11. Gregorius IV. in *can. praeceptis* 2. *dist.* 12. Paschalis

verba satis indicant caponem hunc spectare ad pontificias collationes Ecclesiarum, beneficiorumque in cunctis Imperii regionibus, praesertim in Germania, quas consueverant Romani Pontifices litteris suis facere, ac nunciare dioecesanis Episcopis (1).

IX. Francisco Florenti eximio canonum interpreti videntur rescripta Romanorum Pontificum de vacantibus, et vacaturis beneficiis auctorem habuisse Alexandrum III., qui sedit ab anno 1159. annos 22., non alium eo antiquiorem (2): in cuius pontificatu Aeram novae disciplinae figunt omnes ad unum. Veritatem scrutantes posthabito partium studio originem huius rei opinione vetustiorem, immo vetustissimam facile iam noverint ex hactenus dictis, coaevam dignitati Patriarcharum, et prospere progressam processu temporum insigni abhinc aevo B. Gregorii M. Vacatura quidem, viventium scilicet beneficia Episcopi contra fas, et ius vel promittere, vel conferre non dubitabant, antequam vacarent. Gelasius Papa hinc rescripsit, *ecclesiastica communione* pellendos fore, qui se paterentur successores, *vivis sacerdotibus* beneficiariis destinari (3). Tum Alexander III. sanxit in Concilio Later. III: ut *nulla ecclesiastica* ministeria, *seu etiam* beneficia, *vel Ecclesiae tribuantur alicui, seu promittantur*, antequam vacent: *ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cuius locum se crediderit successurum* (4).

X. Ipse autem Alexander III. Sedis suae sibi iura vindicans more maiorum nonnullas dedit litteras ad Episcopos Anglos, Gallos, Hispanos, Germanos, Italos, et monentes, et iubentes, ut certa beneficia in eorum dioecesibus, vel vacatura, vel vacantia latoribus earumdem litterarum concederent liberaliter: variasque inde quaestiones in earumdem executione ortas suis diremit decretalibus (5). Verum *si mandatum nostrum*, idem Pontifex declarat, *pro alicuius provisione receperis, qui aliud beneficium habeat, de quo valeat commode sustentari: nisi forte in litteris ipsis de hoc mentio habeatur: aut si non potest ei sine scandalo provideri, aequanimiter sustinemus, si pro eo mandatum nostrum non duxeris exequendum* (6). Eo-

Papa in *cap. significasti* 4. *in fine de elect.* Panormitano Archiepiscopo rescribens, *iustum est*, ait, *ut vos quoque Sedis Apostolicae subiectionis debitae signa solvatis quae vos cum B. Petro tamquam membra de membro habere, et catholici Capitis unitatem servare declarent.*

(1) Id quod praemonuit Thomassinus *loc. cit. num.* 8.

(2) Fr. Florens. *to.* 1. *ad lit.* 3. *de rescriptis lib.* 1. *decretal. pag.* 84.

(3) Gelas. in *cap. qui in vivorum* 1. *de concess. praeb.*

(4) Alex. III. in Conc. Lateran. III. in *cap. nulla* 2. *eod. tit.*

(5) Alexander III. in *cap. ex parte* 2. *de rescriptis* Cantuariensi Archiepiscopo rescripsit conditionem, *si preces veritate nitantur*, intelligi tacite adiectam semper litteris pontificiis, quas impetrantes ab Apostolica Sede beneficia, et praebendas obtinuerint. Tum Eboracensi Archiep. respondit in *cap. inter ceteras* 4. *eod. tit.* alterum ex duobus disiuncto narratis, quod probetur, sufficere, ut impetratam a Sede Apostolica Ecclesiam quis habeat. Et Episcopo Tornacensi in *cap. eam te* 7. *eod. tit.* rescripsit, in Canonicum reciperet, quemdam origine Iudaeum ex *mandato*, et *praecepto* pontificio, quod antea direxerat Capitulo, Sede vacante.

(6) Idem in *cap. cum teneamur* 6. *de praeb., et dignit.* simul Ravennati Archiepiscopo rescribens in *cap. si quando* 5. *de rescriptis* ait: *si quando aliqua tuae fraternitati dirigimus, quae animum tuum exasperare videntur, turbari non de-*

dem iure *praeventionis* in conferendis beneficiis, vel collationibus imperandis postea usos Pontifices successores Lucium III. (1), Clementem III. (2), Coelestinum III. (3), Innocentium III. (4), Honorium III. (5), Gregorium IX. (6), ceteros ostendit Decretalium textus. Et Innocentio III. insuper placuit Legatum a latere posse collationem Ecclesiae primo vacaturae sibi etiam reservare (7).

XI. Pontifices ipsi in ea beneficiorum collatione ad Episcopos ita scribere primum consueverunt cum B. Gregorio magno: *hortamur*, vel *monemus, ut tua fraternitas* id *implere festinet, ne nostrae commendationis inveniaris tramitem neglexisse:* nimirum ad eos litteras *monitorias* primum dabant, dein *praeceptivas*, tandem *executorias* cum destinatione scilicet exccutorum apostolicorum, qui contumaces mandatis apostolicis Ordinarios locorum cogerent ad parendum, et censuris coercerent (8). Praeceptivam eiusmodi litterarum formam habet Franciscus Florens (9). Execu-

bes . . . qualitatem negotii, pro quo tibi scribitur, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem caussam praetendas. Quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum.

(1) Luc. III. in *cap. ad aures* 8., *et seq. de rescriptis.*

(2) Clem. III. in *cap. ex parte* 12. *eod. tit.*

(3) Coelestin III. in *cap. sciscitatus* 13. *eod. tit.* et Cameracensi Capitulo in *cap. proposuit* 4. *de concess. praeb.*

(4) Innoc. III. Mediolani Archiep. in *cap. dum adeo* 17. Senonensi in *cap. constitutus* 19. Delegatis in Gallia magistris in *cap. olim.* 25. Imolensi Episc. in *Cap. dilectus* 26. Veratismensi in *cap. postulasti* 27. *de rescriptis*, Burdigalensi Arch. in *cap. pro illorum* 22. tum Novariensi Capitulo, et Vercellensi Episc. in *cap. dilectus* 27. *de praebendis*, Cameracensi Praeposito, et Capitulo in *cap. proposuit* 4., Basileensi Episc. in *cap. cum nostris* 6. Hildesemensi in *cap. litteras* 9. *de concess. praeb.*

(5) Honor III. Cantuariensi Archiep. in *cap. dilectus* 29. Legionensi in *Cap. Capitulum* 30. Bituricensi in *cap. ad audientiam* 31. et *cap. litteris* 39. *de rescriptis*, Decano, et Cantori Leodiensi in *cap. veniens* 13. *de renunc.* Capuano Arch. pro Eccl. Suessanae praebenda in *cap. illa devotionis* 2. *ne sede vacant. aliqu. innov.*

(6) Greg. IX. Mediol. Arch. in *cap. in nostra* 32. Abati S. Victoris in *cap. ex insinuatione* 37. Noviensi Episc. in *cap. mandatum* 38., tum in *cap. litteris* 39. *cap. abatem* 40. *et cap. si proponente* 42. *de rescriptis*, pro Lucana dioecesi in *cap. cum olim* 38. *de praebendis.*

(7) Innoc. III. *in cap. cum dilectus* 27. *de iure patr.*

(8) Greg. IX. in *cit. cap. ex insinuatione* 37. *de rescriptis* refert litteras pontificias ad Episcopum Ambianensem *praeceptorias*, et postmodum *executorias* contra eum datas ad Abatem S. Victoris pro I. clerico: mandans, ut si nullae *monitoriae* praecesserint, *executoriis* supersedeatur. Tum in *cap. litteris* 39. *eodem tit.* ait: *mandatum nostrum vos exequi volumus, et mandamus: non obstante quod T. subdiaconum nostras litteras* executorias *recepistis, qui a san. m. Honorio praedecessore nostro* monitorias *impetravit.*

(9) *Ad hoc nostrum nos compellit officium, ut Christi pauperibus, prout quemque dignum noverimus, praebeamus adiumentum . . . Clerico latori praesentium de competenti beneficio providere vos monuimus nostro scripto. Quia vero nihil horum factum est praemissis litteris,* commonemus *vos iterum subsequentibus, atque* praecipimus, *ut praebendae primo vacantis in vestra Ecclesia vestituram ei-*

torum delegatio, et potestas patet evidentius in Corpore Iuris Canonici (1). Frequens tum contumacia Ordinariorum in caussa fuit, ut non binas, nec ternas litteras pro collationibus beneficiorum det amplius Apostolica Sedes: sed unam dumtaxat bullam, qua et pontificia collatio nunciatur cum adiunctis conditionibus, et clausulis, et simul destinantur executores ad eam perficiendam cum potestate compescendi contradictores quoslibet iniuros, et contumaces.

XII. In generali autem Concilio Lateranensi III. sub Alexandro III. vacantia beneficia, quae conferre infra sex menses Collatores ordinarii neglexerint, *iure devolutionis* reservata Metropolitanis sunt (2): vel Romanae Sedi ob eorum negligentiam, qui alium non habent Superiorem (3). Spatium id semestris decurrere a die non vacationis, sed notitiae istius contra negligentes tantum, et quovis impedimento vel iuris, vel facti obveniente interea suspendi cursum temporis eiusmodi: Praelatoque suspenso ab sua iurisdictione, et officio, quia tunc deficit ordinarii Collatoris negligentia, non ad alium, nisi ad Romanum Ponficem devolvi collationem, *qui praeter eius desidiam, et negligentiam potest praebendas donare*, Innocentius III. declaravit (4); mox censuit non valere collationem ab ordinario Collatore factam lapso tempore Concilii Lateranensis (5). Honorius III. itidem rescripsit, Episcopali Sede vacante, ad Capitulum non devolvi episcopalem collationem praebendarum *per Superioris negligentiam: quum non fuerit ibi superior, qui eas posset de facto, vel de iure conferre:* eamque ob rem confirmavit Ecclesiae S. Leucini concessionem ab Archiepiscopo Capuano executore apostolico factam (6).

XIII. Vacationibus *apud Sedem* Romanam, et *in Curia* Romana, quae aliud reservationis genus praecipuum invexerunt, viam stravit consuetudo vetustissima creandi, et ordinandi in Synodis oecumenicis novos Episcopos in eorum vacantes Sedes, qui vel mortem in eisdem Synodis obirent, vel se ultro abdicarent renunciantes, vel rite ob crimina deponerentur.

dem clerico concedatis; sin autem, de vestra contumacia *nos poenam cumere sentietis*. Ex MS. codice Ecclesiae S. Albini Andegavensis apud Floreot. *loc. cit.*

(1) Datos ab Innocentio II. *executores* litterarum pontificiae collationis praebendae in Ecclesia S. Florentini in Confluentia memorat Honorius III. in *cap. veniens* 13. *de renunc.* Et Greg. IX. in *cap. cum olim* 38. *et ult. de praeb.* mandavit Priori S. M. *ut diaconum in aliqua Ecclesia civitatis, vel dioecesis Lucanae auctoritate apostolica provideret*. Huiuscemodi exemplis redundant Iuris Canonici volumina toto *tit. de officio, et pot. iud delegati*, et alibi passim.

(2) Conc. Later. III. in *cap. nulla* 2. *de concess. praeb.* ita decrevit: *Cum vero praebendas ecclesiasticas, seu quaelibet officia in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso: sed infra* sex menses *personis, quae digne administrare valeant, conferantur. Si autem* Episcopus, *ubi ad eum spectat, conferre distulerit, per* Capitulum *ordinetur. Quod si ad* Capitulum *pertinuerit, et infra praescriptum terminum hoc non fecerit*: Episcopus *secundum Deum hoc cum religiosorum virorum consilio exequatur: vel si* omnes *forte neglexerint*, Metropolitanus *de ipsis secundum Deum absque illorum contradictione disponat.*

(3) Ex Innoc. III. epistola in *can. licet magister* 3. *de suppl. negl. Praelator.*

(4) Innoc. III. in *cap. quia diversitatem* 5. *cod. tit. et cit.* cap. *licet magister* 3. *de supp. neglig. Praelat.*

(5) Idem in *cap. litteras* 4. *et cap. dilecto* 5. *et fin. de suppl. negl. Praelator.*

(6) Honor III. in *cap. illa devotionis* 2. *ne sed. vac. aliq. inn.*

Nam ex historia, et actis synodicis liquet, quod Nicaena Synodus I. in S. Philogonii Patriarchae Antiocheni apud Synodum ipsam defuncti sedem evexit S. Eustachium Episcopum Bereensem. Costantinopolitana Synodus II. in S. Gregorii Nazianzeni renunciantis locum ordinavit Nectarium. IV. Chalcedonensis degradato Dioscoro, quum alium subrogare decrevisset, iteratis Ægyptiorum Praesulum precibus indulgens eum dispensationis gratia in suam Sedem restituit. Sexta Synodus in locum Macarii Antiocheni Patriarchae ab ea degradati suffecit, ordinavitque Theophanium. Eodem iure Concilium Constantiense exauctorato Benedicto XIII. Antipapa, quum Gregorius XII. papatui iam renunciasset, Martino V. e stirpe Columnensium pontificiam Sedem contulit electo votis consentientibus XX. Cardinalium, et XXX. Electorum a quinque Nationibus deputatorum. Quae res canonicam patefaciunt auctoritatem *vacationis in Synodo* per obitum, renunciationem, et degradationis sententiam, moremque vetustissimum, ut Ecclesiae in ea vacantes a Synodo ipsa conferrentur, et ordinarentur. Similis inde mos vacationes *apud Sedem* Romanam invexit. Quandoquidem Innocentius III. praebendam Ecclesiae Cremonensis, quae apud Sedem ipsius per obitum vacaverat, nepoti H. defuncti contulit, litterasque ad Episcopum, et Capitulum dedit iubentes, ut ei stallum in choro, locumque in Capitulo adsignarent (1). Exinde Clemens IV. ad Romanam Sedem evectus anno 1265. primus omnium iure scripto reservavit suae Sedi Apostolicae omnia beneficia apud eamdem Sedem vacantia, antiquam ea in re consuetudinem Romanorum Pontificum praecessisse adseverans, *Collationem Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, et beneficiorum* apud Sedem *Apostolicam vacantium specialius ceteris antiqua consuetudo* (ait) *Romanis Pontificibus reservavit. Nos itaque laudabilem reputantes huiusmodi consuetudinem statuimus, ut Ecclesias, dignitates, personatus, et beneficia, quae apud Sedem ipsam deinceps vacare contigerit, aliquis praeter Romanum Pontificem quacumque sit auctoritate munitus, sive iure ordinariae potestatis ipsorum electio, provisio, seu collatio ad eum pertinent (nisi ei sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis, et expressa ab ipso Pontifice Summo auctoritas attributa) conferre alicui non praesumat. Nos enim si secus attentatum fuerit, decernimus irritum, et inane* (2). Textus hic vacationes *apud Sedem* quum non limitarit ad casum obitus naturalis beneficiariorum apud eam contingentis, generatim loquens, videtur alias non excludere species vacationum ex resignatione, vel depositione obvenientes, ubi exempla diversarum vacationum *apud Synodos*, et variae inde collationes pontificiae considerentur.

XIV. Gregorius X. in generali Concilio Lugdunensi anno 1274. *statutum Clementis* praedecessoris sui de dignitatibus, et beneficiis *in Curia Roma-*

(1) Innoc. III. in *cap. accedens* 23. *de accusationibus.*

(2) Clem. IV. in *cap. licet.* 2. *de praebendis, et dignitatibus.* Ulgares editiones post Antonium Contium textum hunc alternatim inscribunt Clementi III. alias IV. Cum autem reservatio isthaec ignota fuisset ante Clementem III., qui sedit anno 1188., et Coelestinum III. Clementis successorem, quamvis in eodem *cap.* 2. ad antiquam consuetudinem ea relata sit, constitutio huius *cap.* 2. rectius Clementi IV. (qui Pontificatum assumpsit anno 1265, ut in vetustioribus codicibus legitur), quam Clementi III. inscribitur.

na vacantibus non per alium, nisi per Romanum Pontificem conferendis decrevit *taliter moderandum*, ut ii, ad quos eorumdem beneficiorum, et dignitatum spectat collatio (statuto non obstante praedicto) demum post mensem a die, quo dignitas, seu beneficia ipsa vacaverint, numerandum ea conferre valeant tantummodo per seipsos, vel (ipsis agentibus in remotis) per suos Vicarios generales in earum dioecesibus existentes, quibus id canonice sit commissum (1). Verum in aliis reservationibus limitatum Papae numquam conferendi tempus, quo elapso libertas conferendi ad Ordinarios rediret. Animadvertere heic iuvat Clementem IV, et Gregorium X. promiscuo sensu dixisse *apud Sedem* vacare beneficia, et *in Curia Romana:* ut intelligamus alterutram locutionem unum, idemque sonare, et inanem esse unius ab altera differentiam a nonnullis proprio marte excogitatam.

XV. Dein Bonifacius VIII. anno 1294. creatus Pontifex recitatam Clementis IV. constitutionem declaravit *locum habere in beneficiis, quae* Legati, *aut* Nuntii *Sedis eiusdem, vel quivis alii ad* Romanam Curiam venientes, *vel etiam* recedentes *ab ipsa obtinere noscuntur: si eos in* locis vicinis *ipsi* Curiae *mori contingat: quemadmodum si in loco, ubi eadem* Curia residet, *morerentur. Idem est, si aliquis* Curialis *(etiam Romana Ecclesia vacante, peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quavis caussa ad locum Curiae vicinum recedens, in huiusmodi loco* vicino *decedat: dummodo ibi (etiamsi erat ad ipsam Curiam reversurus, eius* domicilium, *seu* domus propria *non existat. Loca vero intelligantur* vicina ait, *eidem Curiae in praemissis, quae remota ultra* duas diaetas *legales (quas hoc casu sic specialiter volumus computari) a loco, ubi moratur ipsa Curia, non existunt. Sane si quis in loco, ubi degit Curia, suas* originis *domum habens, diem claudat extremum in ea: ipsius beneficia sub praedicto non aliter includantur statuto, quam si* Curialis *esset antea, et ibidem occasione Curiae moreretur. Porro Curiam de loco ad locum transferri contingit: si* Curiales *in itinere (dum Curiam sequuntur eamdem) vel in loco, unde recedit ipsa Curia, forsitan remanentes infirmi, rebus inibi eximantur humanis, praemissum statutum (quantumcumque locus, ubi decedunt, ab ipsa Curia sit remotus) ad illorum beneficia se extendit* (2).

XVI. Mox idem Bonifacius Legato suo a latere in Gallias auctoritatem indulsit *recipiendi resignationem ab obtinentibus beneficia ecclesiastica in iisdem partibus, qui ea vellent libere* in eius manibus resignare, *ac beneficia ipsa personis idoneis conferendi* (3). Ex hoc textu colligitur etiam re-

(1) Greg. X. in *cap. statutum* 3. *de praeb. in* VI. Id vero Bonif. VIII. vetuit Episcopis, dum edixit perpetuam fore, lapso etiam mense, reservationem pontificiam beneficiorum, *apud Sedem*, et *in* Romana *Curia* vacantium: *cap. piae sollicitudinis* 1. *de praeb.* in Extravag. comm. et Ioannes XXII. *in cap. ex debito* 4. *de electione* in eisdem Extravag. Clemens V. pariter sibi reservavit omnia apud Sedem Apostolicam vacantia, et vacatura beneficia, extr. comm. *etsi in temporalium* 3. *de praeb., et dignitatibus.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. praesenti* 35. *de praebendis in* VI. Iure civili quum in singulos dies vicena millia passum dinumerentur a Caio in *l. vicena millia* 1. *D. si quis cautionibus in iudicio sistendi caussa factis non obtemperaverit:* duorum dierum spatium hac ipsa ratione finiendum tradit Gl. *in cit. cap. praesenti* verbo *legales.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. dudum* 14. *eodem tit. in* VI.

signata in manibus Papae beneficia apud Sedem ipsius vacare, non aliter, quam resignatas in Synodo episcopales Sedes, ac dignitates. Verum quoad pendeat una reservatio, quam sibi Legatus a latere statuerit ordinaria suae legationis potestate, aliam in ea ipsa Ecclesia praebendam reservare non posse, constituit idem Pontifex (1). Quemadmodum nec aliquam ex Cathedralibus, vel regularibus, vel collegiatis Ecclesiis, neque primam inibi dignitatem post pontificalem (2). Has omnes hinc etiam Sedi Apostolicae reservatas arguunt.

XVII. Romana vero Sede vacante, parochiales Ecclesias, quae apud eamdem Sedem, et in Curia vacaverint post Papae obitum, vel eo vivo, vacantes collatae non sint, ab Ordinariis locorum posse libere conferri: *ne ipsarum vacatio diutina periculum valeat animabus adferre*, Bonifacius idem statuit (3).

XVIII. Has quidem in *Corpore Iuris clausas* reservationes *generales* beneficiorum in *Curia*, et *apud Sedem* Apostolicam vacantium, nec non *speciales* iure *praeventionis*, et *devolutionis* prospero successu invaluisse palam est ex continuatis Pontificum successorum constitutionibus extravagantibus, et Cancellariae Apostolicae Regulis mox enucleandis, quamvis Galli, et Angli potissimum pro aris, et focis pugnantes studuissent ipsas a se totis lacertis avertere (4). Synodus Constantiensis urgentibus potissimum Galliae Deputatis non aliud decrevit, nisi ut Romanus Pontifex proxime tunc eligendus reformationi Ecclesiae incumberet super propositis Nationum articulis, praesertim *de reservationibus Sedis Apostolicae*, tum *de collationibus beneficiorum, et gratiis expectativis*. At Synodus Basileensis, ubi contendit generalem reservationem Cathedralium, Collegiatarum, monasteriorum, et dignitatum electivarum abolere, excepit semper apertissime, et comprobavit *reservationes in Corpore Iuris clausas, et quas in terris Romanae Ecclesiae ratione directi, seu utilis dominii mediate, seu immediate subiectis fieri contigerit* (5).

XIX. Posthaec instaurata de istis quaestione in Concilio Tridentino, vix *mandata de providendo*, quae *gratias expectativas* ante vacationem beneficiorum indulgebant, et captandae mortis votum fovebant, vetita sunt; simul et *reservationes mentales*, quibus nimirum Papa hoc, illudve beneficium collationi suae reservabat, reticita persona, cui illud esset inde col-

(1) Idem in *cap. praesenti* 3. *de officio legati in* VI.
(2) Idem in *cap. deliberatione* 4. *eodem tit. in* VI.
(3) Idem in *cap. si Apostolica* 35. *de praebendis in* VI. Hoc iure nunc etiam uti Episcopos tradit Rigantius *to.* 1. *in Reg.* 1. *Cancell.* §. 1. *num.* 384. *et seq.*
(4) N. Alexander in *hist. saec.* XIII., *et* XIV. *cap.* 6. *art.* 3. cum Mattheo Parisio querelas, et studia Gallorum, Anglorumque contra pontificias reservationes enarrat. Odoricus Raynaldus ad *an.* 1301. *num.* 59. orationem Anonymi Episcopi Gallicani habitam in actis praeambulis ad Concilium Viennense, qua nimias collationes beneficiorum cum cura, et sine cura clericis plerumque ignotis, vel indignis a Romana Curia imperatas insectatur. Decretum Ecclesiae Gallicanae Parisiis coactae de amovendis reservationibus quibuscumque tam generalibus, quam specialibus Carolus VI. Galliae Rex edicto suo promulgavit anno 1406. Henrici III. Anglorum typis litteras ad Innocentium IV. mox Eduardi III., eiusque Nationis Anglicanae ad Clementem VI. pro pontificiis reservationibus abrogandis fert historia.
(5) Conc. Basileense *sess.* 12. *et sess.* 23. *cap.* 6.

laturos; et *aliae quaecumque gratiae ad vacatura* (1). Ut ista lex Tridentina, quae usu viget, servetur adamussim, nullusque ad eam fraudandam locis pateat, conspirant tres Cancellariae Regulae XLVI, LVIII, et LXII. Celerae autem reservationes, et affectiones immotae steterunt, et stant adhuc. Sed eas Gallis, Germanis, et Hispanis Concordata, et indulta non eodem modo, sed varie reformarunt (2).

XX. Multis quippe rationibus inconcussis firmatum ius istud reservationum agnoscitur. 1. quod singulis Episcopis in sua cuique dioecesi agere licet, id etiam Summo Pontifici licere, eminentem curam, et sollicitudinem omnium Ecclesiarum habenti, sanae mentis nemo dubitat (3). 2: ut alios Patriarchas in regionibus suis, ita Romanum in Occidentalibus praecipue dioecesibus clericos ubilibet, ac presbyteros ordinare tunc etiam consuevisse, quum ex Ordinibus praebendae uno, eodemque tempore conferebantur, iam liquet. 3: ipsi mox Episcopi sacros Ordines a praebendis seiunctos conferre quum coepissent, plerique suo abutentes arbitrio consanguineos, familiares, amicos minus idoneos ecclesiasticis redditibus, et beneficis locupletare studuerunt: egenos autem digniores posthabitos eatenus contemnere, ut eos esurientes ad longinquam peregrinationem adigerent mendicaturos victum. Hinc ratio pietatis urgentissima flagitavit, ut Romani Pontifices praeclara B. Gregorii M. exempla (4) sectantes, clericis pauperibus sine titulo praebendae ordinatis providerent, et auctoritate apostolica destinarent praebendas in dioecesanis ipsorum Ecclesiis, negligentiam Ordinariorum supplendo, et contumaciam retundendo (5): utque presbyteros probitate, ac scientia

(1) Trid. in *cap. decernit* 19. *sess.* 24. *de reformat.* haec habet. *Decernit Sancta Synodus* maodata de providendo, *et gratias, quae* expectativae *dicuntur, nemini amplius, etiam collegiis, universitatibus, senatibus, et aliis singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, nec hactenus cencessis cuiquam uti licere. Sed nec* reservationes mentales, *nec aliae quaecumque* gratiae, ad vacatura, *nec* indulta *ad alienas Ecclesias, vel monasteria alicui etiam ex Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, concedantur, et hactenus concessa, abrogata esse censeantur.*

(2) Galli quidem certum reservationibos pontificiis modum impositom habent ex Concordatis Bononiensibus inter Leonem X., et Franciscum I. initis anno 1515., dein confirmatis in Concilio Lateraoensi V. *sess.* 11. Germani ius aotiquum in electionibus retinuere vi Concordatorum Nicolai V. cum Friderico III. Imp. an. 1448. Hispanis Hadrianus VI. Carolo V. postulante, indulsit, ut Episcopi omnes ad Regis nominationem crearentur, et noperrima Concordia Ferdinandi VI. cum Benedicto XIV. reservationes maxima ex parte abolevit.

(3) Ven. Gersonius *to.* 1. *pag.* 357. ita scribit: *Papa est sic immediatus Praelatus omnium fidelium, quod potest pro libito per se, vel alios commissos omnia exercere licite, quae potest quicumque Praelatus, vel Curatus inferior, etiam, ubi non subest necessitas propter defectum inferiorum, neque rationabilis utilitos.*

(4) Paullo superius exposita *num.* 7.

(5) Vetusta forma litterarum apostolicarum de beneficiis conferendis apud Franc. Florent. *loc. cit.* ita praefator. *Ad hoc nostrum nos impellit officium, ut Christi* pauperibos, *prout quemque* dignom *noverimus, praebeamus adiumentum. Hoc ergo officium timentes transgredi . . . clerico latori praesentium de competenti beneficio providere vos monuimus nostro scripto.* Innocentius III. in *cap. postulasti* 27. *de rescriptis* eamdem providendi formam communem explicans inquit: *cum per*

praeditos, qui *duplici honore* ex Apostoli sententia digni sunt, dum *laborant in verbo, et doctrina* (1), Ordinariis locorum vel invisos, vel abiectos Apostolica Sedes adiuvaret subsidio beneficiorum ubilibet vacantium (2). 4: necessitas etiam distribuendi ecclesiastica stipendia tot, tantisque viris apud Sedem Apostolicam collaborantibus in Centro universalis Ecclesiae, unde mittuntur per Orbem nedum Episcopi, sed operarii etiam plurimi pontificiam curam quaquaversus implentes, iure vindicat Romano Pontifici potestatem Sedi eius insitam in collationibus Ecclesiarum, beneficiorumque totius Orbis ab ipso, vel praeventis, vel sibi reservatis (3).

XXI. *Perpetuam* inesse vim *clausis in Corpore Iuris* reservationibus DD. omnes consentiunt. His unam adde aliam extravagante, seu perpetua constitutione Ioannis XXII. superinductam, omnium beneficiorum, quae ob *retentionem* alterius incompatibilis ipso iure *vacatura* sint, vel *dimittenda* intra mensem post aliud incompatibile ademptum: *quae omnia*, ipse ait, *Nostrae, et Sedis Apostolicae dispositioni reservamus:* cum decreto irritante futuras, quas alii quicumque attentarent de iis collationes (4). *Temporaneas* vero alias esse, quas ad suam quisque vitam dumtaxat duraturas indixerunt singuli inde Pontifices constitutionibus primum *extravagantibus*, mox *Regulis Cancellariae*, crastino cuiusque novi Pontificatus die instar edicti praetorii promulgari solitis, iam liquet.

formam praedictam necessitatibus pauperum *clericorum, qui nullum sunt ecclesiasticum beneficium assecuti, Sedes Apostolica duxerit succurrendum.* Idipsum idem Pontifex fusius edisserit in *cap. accepimus* 13. *de aetat, et qualit. et ordin. praefic.*, sic de promotis sine titulo ad sacros Ordines rescribens: *facimus in litteris nostris apponi, ut si ordinatus, pro quo scribimus*, idoneus *habeatur, et ecclesiastico* beneficio non indignus, *ei ab ordinatore, vel successore ipsius competens beneficium tribuatur: cum etsi tecum de iure agere vellemus, te possemus merito ad* provisionem *eorum* compellere, *quos a te, vel praedecessoribus tuis* ordinatos *esse constaret; eo praesertim, quod ad ecclesiasticum beneficium eos debes idoneos reputare, quos ad Ordines suscepisti.*

(1) *Ep.* 1. ad Timotheum *cap.* 5. *vers.* 17. Quod abusus Episcoporum in conferendis beneficiis caussam reservationibus pontificiis dedissent, prae ceteris disseruit in Conc. Constantiensi Card. Petrus de Alliaco in *opusc. de eccles. pot.*

(2) Innoc. III. in *cap. ad decorem* 5. *de instit.* Patriarcham Constantinop. commonuit; ut *viros litteratos, et alios idoneos, undecumque originem duxerint*, in Ecclesiis institueret. Benedictus XII. in extr. *ad regimen* 13. *de praeb.* ut *ad beneficia ecclesiastica iuxta divinum beneplacitum viri assumantur idonei, qui praesint, et prosint Ecclesiis*, reservavit sibi vacatura per obitum curialium. Synodus Tridentina in *cap.* 3. *sess.* 7. *de ref. grave nimis, et absurdum* esse dixit, *quod quidam Ecclesiarum Praelati ad ecclesiastica beneficia promovere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur.*

(3) Hac ratione inductas reservationes affirmat Card. Pallavicin. et Reding. in *hist. Conc. Trid.*

(4) Ioan. XXII. in extr. *execrabilis* 4. *eod. tit.* §. *quae omnia*. Perpetuam huic reservationi vim esse arguit *Glossa* ex eo, quod *Sedi Apostolicae,* quae numquam moritur, facta ea sit: neque ad illius pontificatus spatium restricta. Ipsam ab usu recessisse aiunt Rebuffus in *prax. benef. tit. de forma signaturae*, et Garzias *de benefic. par.* 1. *cap.* 5. *num.* 47. Sed numquam cessasse, nec mortuo Papa expirare, rectius monet Rigant. *to.* 1. *in proem. ad Reg. Canc. num.* 108. cum Lotterio, et Rosa.

XXII. Clemens V. Burdegalae in Gallia degens an. 1305, *ut providsatur ex merito ecclesiasticis personis, et ne indigni adsumantur ad regimen animarum* (ait): *generaliter* 1: *patriarchales, archiepiscopales Ecclesias*. 2: *monasteria, prioratus, et quoslibet personatus, dignitates, vel officia cuiuscumque ordinis, et conditionis existant*. 3: *canonicatus, praebendas, Ecclesias cum cura, vel sine cura, et alia* quaelibet beneficia *ecclesiastica quocumque nomine appellentur, quae apud* Sedem *Apostolicam* vacare noscuntur *ad praesens, et quae toto* nostri Pontificatus *tempore vacare contigerit in futurum, provisioni, collationi, et dispositioni nostrae, et Sedis eiusdem* hac vice *auctoritate apostolica reservamus* (1). Ista Clementis V. extravagans constitutio non utique novam mobilem, sed antiquam Clementis IV. reservationem in Corpore Iuris clausam Imperasse videtur.

XXIII. Ioannes XXII. praeviis Bonifacii VIII. et Clementis V. reservationibus inhaerens, *nonnulla detrahendo*, ait, *aliqua declarando, et quaedam addendo de novo*, sibi reservavit *(donec universalis Ecclesiae regimini praesideret)* Episcopales primum, superioresque Sedes; dein monasteria et regulares Ecclesiis etiam electivas, prioratus, officia, et administrationes; tum dignitates etiam, praebendas, et alia ecclesiastica beneficia clericorum saecularium, cum vel sine cura, *apud Sedem* Apostolicam vacantia. 2: vacare apud Sedem suam declaravit *Sedes, monasteria*, et *alia praefata beneficia* per *mortem*, vel *depositionem*, ac *privationem*, per *electionum cassationem, postulationem, repulsionem, renunciationem* in Curia, *provisionem, translationem*, sive per *successionem* muneris *consecrationis*, aut *benedictionis* ab Apostolica Sede impensi, vel ubilibet auctoritate ipsius impendendi. 3: easdem Episcopales, aliasque dignitates, et beneficia praedicta *per obitum Cardinalium* S. R. E. voluit *apud Sedem* vacare, sive in Curia Romana, sive *alibi*, *ubicumque* ipsos migrare de hac luce contigerit. 4: similiter per obitum *officialium* Sedis Apostolicae, videlicet Vicecancellarii, Camerarii, Notariorum, Auditoris contradictarum, Correctorum, Scriptorum litterarum, et Poenitentiariorum, nec non Abbreviatorum Curiae Romanae. 5: praeterea *Cappellanorum* Pontificis *commensalium*, et quorumlibet aliorum ratione *officii*, vel ex *caussa legittima* in ipsa Curia *morantium;* eorumque simul, qui inde pro Sedis Apostolicae negotiis *quocumque modo missi*, aut *legati*, aut *nuntii* fuerint, ubicumque durante legatione, aut mandato negotio obierint. 6: hanc ipsam reservationem extendit ad ea omnia beneficia praedictarum personarum, quae vivente Clemente V. praedecessore suo ita vacassent apud illius Sedem: *dummodo in eis ius* in re, *licet* ad rem, *non sit aliquibus adquisitum* 7: *pensiones* vero, et monasteria, ac beneficia regularia eisdem personis *commendata* ab eiusmodi reservatione eatenus oxemit, ut eo non obstante ad Ecclesias, et personas, ad quarum dispositionem Iure communi pertinebant, illis *cedentibus*, vel *decedentibus* libere revertantur (2).

XXIV. Hac extravagante constitutione, quam singuli exinde Pontifices innovarunt, suisque Regulis Cancellariae ampliavere paulatim; factum est, ut Ioannem XXII. Doctores primarium auctorem Regularum Cancellariae agnoverint, et ore uno confiteantur. Pronum cuique est in hac ipsa

(1) Io. XXII. in extr. *ex debito* 4. *et ult. de electione.*
(2) Clemens V. in extravag. *etsi* 3. *de praeb., et dignit.* inter comm.

constitutione dignoscere, quod Ioannes XXII., in primis clausas in Corpore Iuris reservationes beneficiorum apud Sedem vacantium explicaverit, declarans quum *personas* Curiae Romanae inservientes, tum *species vacationum* diversas in ea contingentes: postmodum extenderit reservationes huiusmodi ad obitum earumdem personarum *ubilibet* extra Curiam, et in locis ultra duas diaetas ab ea vel remotissimis.

XXV. Benedictus XII. anno 1335. Avenione sedens constitutionem Ioannis XXII. verbis fere iisdem, vel paullo amplioribus primum innovavit, cunctasque ab eo factas reservationes sigillatim auctoritate sua indixit cum clausula, *donec miserationis divinae clementia nos universalis Ecclesiae regimini praesidere concesserit*. Dein eas insuper extendit ad beneficia omnia *quorumlibet pro quibuscumque negotiis ad Romanam* Curiam venientium, *seu etiam* recedentium *ab eadem, si in locis a dicta Curia ultra* duas diaetas *legales non distantibus obierint. Et quorumcumque* Curialium *peregrinationis, infirmitatis, aut recreationis, seu alia quacumque de caussa ad quaevis loca recedentium, in locis ultra duas diaetas non remotis* decedentium: dummodo proprium eorum domicilium non existat ibidem. Vacantia item, et vacatura quaevis beneficia cuiusque *promoti*, vel *promovendi* ad cathedrales Ecclesias, et monasteriorum regimina. Nec non *per adsecutionem pacificam* cuiusque dignitatis, personatus, beneficiive incompatibilis vacatura (1).

XXVI. Paullus II. an. 1467. ut varias interpretum opiniones dirimeret, *omnia, et singula beneficia ecclesiastica*, etiam electiva, a Romanis Pontificibus per constitutiones in eorum pontificatu solum duraturas cum decreto irritante *reservata*, et *reservanda*, quae Papae, et Cardinalium *familiares* continui commensales *eorum familiaritate durante* obtinerent, quaeque *collectores*, et *subcollectores* Camerae Apostolicae *durantibus eorum officiis* pariter obtinerent, dein Apostolica Sede vacante per obitum eorumdem in *quibuscumque locis* vacaverint; *perpetuas, et irrefragabilis constitutionis edicto* decrevit, et declaravit *remansisse, ac remanere semper affecta, nullumque de illis, cum primum vacare contigerit*, praeter Pontificem Romanum, *ea vice quovis modo disponere potuisse, sive posse* (2).

XXVII. Sicuti haec Pauli II. extravagans ex ipsius legislatoris voluntate vim perpetuae constitutionis habuit, nullaque morte nec ipsius, nec Successorum Pontificum expiravit, vel desiit umquam: ita antedictae Clementis V., Ioannis XXII., et Benedicti XII., extravagantes, ex adiecta iis clausula temporaneae durationis ad vitam cuiusque ipsorum, cum singulorum obitu extinctae suum omne robur pontificia Sede vacante amiserunt, quoadusque novo successoris Pontificis edicto revixere: quid nonnullis aliter visum est. Hinc ratio patet, cur eas ipsas consueverint speciatim innovare singuli Pontifices in suis Cancellariae Regulis, iam nunc recitandis, expendendis.

XXVIII. Regula I. Benedicti XIV. ut sileam ceteros, apud Rigantium, ita se habet. *In primis fecit easdem reservationes, quae in constitutione fel. rec.* Benedicti Pp. XII. *quae incipit* ad regimen (3) *continentur*,

(1) Bened. XII. in extr. *ad regimen* 13. *eod. tit.*
(2) Paul. II. in extr. *ad Romani Pontificis* 14. *et ult. eod. tit.*
(3) Constitutionem Ioannis XXII. extr. *ex debito*, quemadmodum et alias prae-

et illas innovavit, *ac locum habere voluit*, *etiamsi* officiales *in eadem constitutione expressi Apostolicae Sedis officiales* ante obitum *eorum esse desierint*, *quod beneficia*, *quae tempore*, *quo officiales erant*, *obtinebant*. *Declarans nihilominus beneficia*, *quae dictae Sedis officiales*, *qui ratione officiorum suorum huiusmodi eiusdem Sedis* Notarii *erant*, *etiam* dimissis *ipsis* officiis, et quandocumque *assequuti fuerint*, *sub huiusmodi reservationibus comprehendi*. *Ac reservavit beneficia*, *quae per constitutionem pine mem.* Ioannis Papae XXII., *quae incipit* execrabilis (1) *vacant*, *vel vacare contigerit*. *Quam constitutionem*, *et reservationem S. S. tam ad beneficia obtenta*, *quam alia quaecumque*, *de quibus* Ordinarii, *et alii* contra Concilii Tridentini decreta *disposuerunt*, *et disponent in futurum*, *extendit*, *et ampliavit*, *et ea etiam beneficia omnia dispositioni suae reservavit*, *de quibus per dictos* Ordinarios, *aut alios* collatores contra *eiusdem Concilii decretorum* formam *dispositum fuerit*. *Decernens irritum etc.* (2).

XXIX. Tria versat generatim haec Regula cum extravagantibus iam dictis constitutionibus, videlicet *personas*, *beneficia*, et *modos vacationum*. 1, *personae* reservationem procreantes sunt Cardinales, Officialesque Sedis Apostolicae a Ioanne XXII. designati, Scriptores, et Notarii Apostolici, Capellani Papae commensales, Legati, Nuntii, Gubernatores, Praelatique mandata, munia, vel negotia S. Sedis ubilibet gerentes, et subcollectores Camerae, Curiales Romae degentes, aut illuc, vel inde dimigrantes, promoti ad Cathedrales, et Abatiales Ecclesias. 2, *beneficia*, quae reservantur, sunt episcopales, superioresque Sedes, monasteria, regularesque dignitates, officia, et administrationes, Clerique saecularis Ecclesiae cum cura, vel sine cura, dignitates, personatus, canonicatus, officia, praebendae. 3, *modi vacationum* apud Sedem Apostolicam, et in Curia Romana sunt obitus beneficiariorum naturalis in Urbe, locisque ab ea intra duas diaetas dissitis, cessio, seu dimissio, renunciatio seu resignatio, solemnis regularium votorum professio, legitima dispensatio, sententia privationis, cetera id genus gesta apud Sedem Romani Pontificis, et in Curia ipsa, vel ubilibet auctoritate Sedis Apostolicae delegata.

cedentes Clementis V., et Bonifacii VIII. siluit; quia singulas earumdem reservationes recensuit, instauravitque posterior Benedicti XII. constitutio.

(1) Hanc Ioannis XXII. reservationem de beneficiis ob retentionem incompatibilium vacantibus, de qua supra dictum est *num.* 21. ideo expressit, qui eam non expresserat Benedictus XII.

(2) Regulam hanc in decem articulos, seu paragraphos distribuit Rigantius Regularum interpres omnium peritissimus, et numquam satis laudandus, totidem ut reservationum species in ea strictim contentas explicaret. 1. nimirum de reservatione beneficiorum apud Sedem vacantium. 2. de vacantibus per depositionem, privationem, translationem, consecrationem auctoritate apostolica susceptam. 3. per electionem cassatam, postulationemque reiectam, et utriusque renunciationem. 4. de beneficiis Cardinalium, et Sedis Apostolicae officialium. 5. de adeuntibus Romanam Curiam, vel ab ea discedentibus, qui intra duas diaetas obierint. 6. de curialibus quavis caussa inde secedentibus, et duas etiam intra diaetas, at extra suum domicilium morientibus. 7. de promotis ad Ecclesias Episcopales, et Abatiales. 8. de vacantibus per assecutionem incompatibilium a Sede Apostolica. 9. de duobus incompatibilibus auctoritate ordinaria non retinendis. 10. de beneficiis per ordinarios collatores contra Tridentinam formam provisis.

XXX. Ad *personas* quod attinet reservationem foctantes, iam sigillatim enumeratas, huius Regni Neapolitani mores, ac leges consentiunt in primis reservationi Apostolicae beneficiorum ex obitu Cardinalium ubilibet vacantium. Nam Carolus Utr. Sic. Rex primum noster, nunc Hispaniarum, ad Regalem Cameram S. Clarae die 10. Aprilis 1756. rescripsit, ut regium placitum in aliis eiusmodi casibus concessum impertiret collationibus pontificiis beneficiorum in Aversana dioecesi vacatis per obitum Cardinalis Cosciae, qui suum Neapoli clausit diem extremum.

XXXI. Regula IV. Cancellariae speciatim reservat *quaecumque beneficia, quae familiares* Papae, *etiam dum Cardinalatus is fungebatur honore*, et Cardinalium *continui commensales obtinent*, *et in posterum obtinebunt eorum* familiaritate durante, *ac in quibus, seu ad quae ius eis competit, aut competierit, etiamsi ab ipsa familiaritate per obitum Cardinalium eorumdem. vel alias recesserint* (1). Praeterea cubiculariorum etiam honoris, et cursorum Papae beneficia reservat Regula VII. (2).

XXXII. Veri ex mente, ac dente familiares Papae itaque sunt cubicularii etiam honoris, scutiferi, cursores, milites S. Petri, S. Pauli, Pii, Lauretani, conclavistae, commissarius Camerae, thesaurarius Datariae, auditor confidentiarum, referendarii, et alii officiales panem ex palatio habentes, subdiaconi, auditores Rotae, acholyti, secretarii, litterarum apostolicarum scriptores, et protonotarii participantes (3). Paulus III. *protonotarios* etiam *non participantes*, et alios *officiales*; quamvis in palatio non habitantes, nec inservientes, nec ab eo panem habentes declaravit in classe familiarium, et continuorum commensalium fore connumerandos: iis tantum exceptis, quos Legati a latere, ac Nuncii crearent (4), aut collegium XII. participantium, aut Episcopi solio pontificio adsistentes, aliique apostolica facultate creandi protonotarios fruentes. Isti propterea videntur nullam suis beneficiis reservationem inferre (5). Praeterquam

(1) *Reg. IV.* apud Rigantium §. 5. *et* 6.

(2) Cubicularios Papae honorarios in consortio familiarium commensalium iamdiu aggregaverat Paulus V. in *const. sanctissimus*, quam edidit die 10. Febr. 1618. apud Rigant. in *comm. ad hanc Reg.* 7. *n.* 17.

(3) Ex Rigantio *ibidem* §. 5. *num.* 2.

(4) Paul. III. in *const.* 3. die 18. Martii 1734. apud Rigant. *loc. cit. n.* 3. *et* 6. Quos Papa extra numerum protonotarios creat indulto speciali, eos proculdubio afficit Paulina constitutio. Quemadmodum et alios obtinentes officia, quibus fuerit protonotariatus ex apostolico privilegio adnexus; puta scriptores Palatii Apostolici, milites S. Petri, milites de lilio. Et qui dignitates, vel canonicatus adnexum pariter protonotariatum habentes adipiscuntur: cuiusmodi sunt Canonici trium basilicarum Urbis. Eodem privilegio potiri Canonicos Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae ex bulla S. Pii V. tradunt Canonicus de Magistris in *sylv. eccles. lib.* 2. *cap.* 9. *num.* 92. Capon. *discept.* 226. *num.* 24. *et* 227. *num.* 14. Rigant. in *Reg. I. Canc.* §. 4. *num.* 45.

(5) Id quod sentit Lotterius *lib.* 3. *qu.* 11. *num.* 141. Rigantius autem in *cit. Reg. I.* §. 4. *num.* 97. *et* 98. tametsi contendit protonotarios ab aliis creatos aequiparare hac etiam in re iis, qui a Papa creantur extra numerum: tamen fatetur ipsis, si intra menses tres neglexerint in Secretaria Brevium privilegii sui sumptum authenticum exhibere, id privilegium nil suffragaturum, nullaque reservatione prorsus affici eorum beneficia. Simplices vero notarii apostolici quum praerogativis, et honoribus protonotariorum expertos omnino sint, eorum beneficia reservationi subiicere nemo umquam contendit.

quod hoc in Regno Neapolitano privilegiis protonotariorum regium *exequatur* hac conditione *quoad honores tantum* dari mos fuit. Tum Iulius III. Praelatos Ecclesiarum Papae domesticos, qui ex personali privilegio, et sine officio non aliud, nisi panem ex palatio apostolico habent quotidie, vel possunt habere, inter domesticos Papae Praelatos, et continuos commonsales accensuit, ut Regulae Cancellariae eos insimul complecterentur (1). *Cantores Capellae pontificiae* iis adiecit Xystus V. (2). Res inde iudicatae, ac stylus insuper addidit *minutantes* secretariae status, scriptores in bibliotheca vaticana, secretarium inferiorem S. Inquisitionis, notarium S. Poenitentiariae, dapipheros conclavis, qui ex privilegio fiunt veri familiares (3).

XXXIII. Cardinalium pariter familiares ii omnes habentur, qui et inserviunt Cardinali in quovis honesto munere quum ordinario, tum extraordinario, quod ipsius personam, dignitatem, splendorem, litterarum cultum, officia religionis, ac dignitatis, curam rei domesticae, ac reddituum quomodolibet spectaverit, sive sub eodem domini tecto, sive extra commorantes; et vicissim ab eo victum vel ex communi coenaculo, vel ex diurno, aut menstruo, aut annuo stipendio sive congruo, sive tenui recipiunt: nimirum singuli famulantes qua nobiles, qua ignobiles stipendio conducti, atque in albo stipendiariorum descripti (4). Ab istorum hinc numero excludunt tam *consanguineos* Cardinalis licet commensales, et munus praefecti cubiculo, aliudve id genus quandoque obeuntes, in elencho stipendiariorum nullatenus descriptos; quam Vicarios generales, aliosque etiam stipendiarios subministros Ecclesiarum episcopalium, vel feudorum: quia non personam, nec munia Cardinalis tangunt, sed dignitatem alienam (5): nisi in una, eademque domo commorentur.

XXXIV. Dum simulatio, et fraus procul fuerit, brevis etiam dierum aliquot vera familiaritas cum Papae, tum Cardinalium hanc reservationem producit (6): quamquam Canc. Regula XXXII. *de impetrantibus beneficia per obitum familiarium Cardinalium* declaraverit speciatim, *quoad effectum dictae constitutionis*, quae scilicet consensum Cardinalis patroni in Curia Romana praesentis exigit in eiusmodi impetrationibus, *familiares eorumdem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales ad minus per* quatuor menses, *computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum fuisse probarentur*. Ea enim verba *quoad effectum dictae constitutionis* sat indicant quadrimestrem familiaritatem non requiri ad effectum reservationis beneficiorum regula VI. imperatae, quae de veris dumtaxat familiaribus loquitur sine ullo temporis adiuncto. Ea vero beneficia solum, quae ante familiaritatem, eaque durante, non alia post eam dimissam, dissolutamque obtenta sint, hac reservatione affici, plane disponit ipsius Regulae littera.

XXXV. Quinta Regula reservat *omnia, et singula beneficia ecclesiastica*

(1) Iul. III. in *const.* 21; apud Rigant. *in Reg. IV.* §. 5. *num.* 8.
(2) Xystus V. *const.* 38. §. 3. ibidem *num.* 66.
(3) Rigant. *loc. cit. num.* 66. *ad* 143.
(4) Idem *ad cit. Reg. IV.* §. 6. *num.* 101. *et seq.*
(5) Idem *loc. cit. num.* 113. *et* 141.
(6) Rigant. *ibidem* §. 6. *num.* 87.

quorumcumque Collectorum, et unicorum *in quacumque civitate, vel dioecesi, qui suo tempore officia exercuerint*, subcollectorum *fructuum, et proventuum Camerae Apostolicae debitorum: illa videlicet beneficia dumtaxat, quae* durante *eorum* officio *obtinebant, et in quibus, seu ad quae ius eis competebat.* Hoc in Regno Collectoris munus exercet Nuntius pontificius (1), qui ex decreto S. Congregationis Concilii die 27. Februarii 1677. singulos in singulis 85. dioecesibus Episcopalibus, et viginti locis exemptis, nulliusque dioecesis inibi enumeratis, deputat subcollectores; duos in singulis 38. dioecesibus amplis (2), non plures, quam tres in singulis aliis dioecesibus amplioribus (3), decem vero in civitate, ac dioecesi Neapolitana. At Innocentius XI. dum probavit eiusmodi decretum, expresso voluit, quod *ea derogatum, sive praeiudicatum minime censeatur reservationibus, et affectionibus beneficiorum eorumdem collectorum, et subcollectorum, resultantibus ex Regulis Cancellariae Apostolicae* (4). Quoniam vero unicorum dumtaxat subcollectorum beneficia haec Regula V. in singulis dioecesibus (quum separatis, tum unitis) reservat post eiusmodi decretum, et ubi unus in civitate, alter in dioecesi, seu plures in una, eademque dioecesi adsint subcollectores, neutrius, nulliusque beneficia reservata putantur (5): iure hinc dubitat Rigantius, an beneficia duorum, vel trium subcollectorum in memoratis huius Regni dioecesibus amplioribus reservationi subiaceant, quamvis Rota semel in Brictoriensi parochialis anno 1712. censuerit ea subiacere (6). Si enim Regularum auctores Pontifices ipsi voluissent post antedictum decretum beneficia plurium in una dioecesi subcollectorum sibi reservare, eo abhinc tempore *unicos* subcollectores in Regula V., et XXXII. dicere destitissent. Quoties vero Camerarius Papae alterum in singulis dioecesibus subcollectorem generalem *decimarum*, aliorumque proventuum Camaerae Apostolicae destinaverit seiunctim ab eo munere colligendi spolia, fructusque vacantes beneficiorum, quod Nuntio demandatur, huius etiam alterius beneficia fieri tunc reservata, Rigantius monet.

XXXVI. Regula VI. reservat *omnia, et singula beneficia ecclesiastica quorumcumque Curialium, quos dum Curia Romana de loco ad locum transfertur, eam sequendo decedere contigerit in quovis loco, quantumcumque etiam a dicta Curia remoto.* Idipsum a Bonifacio VIII. declaratum in Cor-

(1) Ex iam traditis *lib. 1. Inst. Canon. tit. 22. de Legatis, et Nuntiis num. 11. et 26.*

(2) Scilicet Aprutii, Aversae, Ariani, Amalphiae, Alexani, Aquilae, Barii, Boiani, Bisiniani, Cavae, Capuae. Campsae, Catacii, Hieracii, Hidrunti, Iserniae, Larini, Licii, Marsorum, Nolae, Neriti, Neocastri, Oppidi, Policastri, Potentiae, Rhegii, Sorae, Siponti, Sulmonae, Squillacii, S. Severinae. S. Marci, Teates, Termularum, Triventi, Tarenti, Tricarici et Tropeae.

(3) Nimirum Acheruntiae cum Materana, Anglonae, Beneventi, Cosentiae, Caputaquei, Cassani, Mileti, et Salerni.

(4) Integrum hocce decretum S. Congr. ab Innoc. XI. confirmatum exhibet appendix ad Conc. Roman. Bened. XIII. *art.* 7.

(5) Ex rebus iudicatis a Rota Romana *dec.* 789. *num.* 16.; *et dec.* 857. *num.* 11. coram Molines, et in *Albensi Prioratus* 24. *Apr.* 1733. coram Calcagnino, et communi DD. sententia apud Rigant. in *Reg. V. num.* 26, 27, *et* 42.

(6) Idem *loc. cit. num.* 30. *et seq.*

pore Iuris, iam supra vidimus (1): ubi canonicam constitutionem de vacantibus *apud Sedem* beneficiis reservatis ipse vel explicuit, vel extendit. Nam ibi Roma quum sit, ubi Papa est, fit exindo, ut curiales sequentes Papam Roma demigrantem aliorsum animo redeundi (relicta Romae Cancellaria, et audientia causarum cum tribunalibus pontificiis) puteotur *apud Sedem* ipsius, ut munia vivi gerere, et mortem obire: quemadmodum et alii curiales in Urbe relicti, donec sua non intermiserint officia exercere, vita fungi apud eamdem Sedem in ea immotam dicuntur. Utrorumque curialium plane sunt idcirco reservata beneficia: quia utrique unam, eamdemque Romanam Curiam, sicuti membra diversa corpus unum sub uno capite constituunt, licet actum, et locum non eumdem habeant, sed diversum (2). Quisquis autem Romanae Curiae addictus vel *officio*, vel *famulatu*, vel alio quolibet *munere* fuerit, adeo ut eam sequi debeat, vel ad eam sequendam adigi possit, appellatione *Curialium* continentur. Curiales ab *officio* sunt in primis *Cardinales* omnes, tamquam Papae collaterales, consiliarii, et comministri, dein Praelati, et iudices, officialesque omnes Apostolicae Sedis in antedicts Ioannis XXII. constitutione descripti, Rotae insuper Auditores, et contradictarum (3), Legati et Nuntii, Vicelegati, et Gubernatores civitatum Status pontificii (4), Nuntiaturae Apostolicae itidem Officiales (5). Secus indicatur de Protonotariis honorariis nullum habentibus cum Curia nexum (6), et iis, quos creare Comites Sfortii solent (7), nec non de militibus Pii, aliisque obtinentibus venalia officia, qui emolumenta exinde percipiunt sine curiali exercitio, vel administratione (8). *Famulatu*, seu *servitio* Curiales dictitantur, qui actu inserviunt Papae, Cardinalibus, Praelatis, ceteris iam dictis Romanae Curiae Officialibus aulici famulantes, et sectari suos coguntur dominos Curiam sectantes (9). *Munere* tandem, seu *exercitio* Curiales nuncupantur caussarum

(1) Bonif. VIII. in *cap. praesenti* 34. *de praebendis in* VI., cuius verba superius exscripta sunt *num.* 15.

(2) Id plane declaratum a Pio II., Paulo III., Clemente VII., et VIII., et Benedicto XIII., dum Roma discesserunt, fert Rigantius in *comm. Reg. IV. num.* 10. *Tam eos, qui nos sequentur*, Clemens VIII. ait *const.* 54. apud Rigantium, *quam eos, qui in Urbe remanserint*, unam *tantum, et non duas Curias Romanas constituere. Nec non eamdem Curiam censeri etiam volumus* quoad *beneficia, quae tam in dicta Urbe, et in civitatibus, et locis, ad quae accedimus, et in quibus itinere eundo, et redeundo pro tempore moram trahemus, quam per obitum illorum, qui nos, et Curiam nostram sequentur, seu ad nos, et eamdem Curiam pro eorum negotiis accedent, et in itinere sive eundo, sive redeundo diem claudunt extremum, quomodolibet vacabunt, neminemque de illis, praeter nos disponere posse.*

(3) Rot. *dec.* 523. *num.* 45. *et* 47. *par.* 19. *rec. to.* 2. Card. de Luca *de procem. disc.* 28. *num.* 10. *et seq* Rigant. *to.* 1. *in Reg.* 1. *Canc.* §. 4. *num.* 143.

(4) Rota coram Cassadoro *dec.* 4. *de const.* Rigant. *ibidem num.* 164.

(5) Rigant. *loc. cit. num.* 170.

(6) Rota in Romana Capellaniae 20. Nov. 1628. coram Pirovano, apud Rigant. *ibid. num.* 133. Videsis dicta superius *num.* 32.

(7) Rota coram Falconerio *dec.* 17. *num.* 5. *de beneficiis*, apud Rigant. *in* §. 4. *Reg.* 1. *num.* 129.

(8) Rota *dec.* 14., *et dec.* 174. *par.* 12. *rec.*, Card. de Luca *de beneficiis disc.* 142. *num.* 9. *et in summa num.* 37. Rigant. *in* § 1. *Reg.* 1. *n.* 134.

(9) Ex communi DD. sententia, quam firmavit Rota *dec.* 373. *par.* 4. *rec. to.* 3.

patroni, advocati, procuratores, negotiorum gestores, quos vulgo agentes, sollicitatores, expeditores appellant, sine officio, et famulatu adhaerentes Curiae Romanae ex suscepto in ea, vel patrocinio caussarum, vel munere aliena negotia gerendi (1).

XXXVII. De personis hactenus: beneficia ipsa reservata inspicere nunc oportet. Secunda Cancellariae regula Papae reservat *generaliter omnes Ecclesias patriarchales, primatiales, archiepiscopales.* Varias temporum vicissitudines in eligendis, et ordinandis Episcopis ab initio ad hodiernam usque disciplinam; suffragia populi, mox honoratorum nobilium civium, consensum Principis, dein electiones ad Capitula Cathedralium devolutas, longaevas electorum confirmationes, et consecrationes ab Episcopis provinciae, synodis provincialibus, et metropolitanis gestas, sacrilegas laicorum investituras, multiplices earum devolutiones ad primam Romanam Sedem, et varias Principum concordias cum Romanis Pontificibus, quae regiam nominationem ad viginti quatuor Cathedrales huius Regni Ecclesias invexerunt reliquas vero omnes electioni, et collationi liberae Sedis Apostolicae addixerunt, sat alias indicavi (2) (*). Ævo suo Bonifacius VIII. electiones capiturales Episcoporum adhuc vigentes firmare, quam abolere maluit, vetans ne Legati Apostolici Ecclesias, cathedrales, regulares, collegiatas, earumque dignitates maiores, quae *per viam electionis* conferebantur, sibi reservarent, vel quomodolibet de iis disponerent (3). Benedictus XI. anno 1340. solum constituit, quamdiu civitates, ac dioeceses quatuor Patriarcharum ditioni schismaticorum, et infidelium sublacebunt,

et dec. 429. *par.* 5: Card. de Luca *de benef. disc.* 20. *num.* 6., *et disc.* 142. *num.* 9. Rigant. *loc. cit. num.* 137. *et seq.*

(1) Rnt. *cit. dec.* 429. *num.* 16. *par.* 5. *rec.*, *et dec.*14., *et* 174.*par.* 12. Card. de Luca *de benef. cit. disc.* 142. Rigant. *ibidem n.* 146., *et seq.*

(2) *Lib.* 1. Inst. Cannn. *tit.* 19. *de Episc. elect.*, *et nominat. et tit.* 20. *de confirm; et consecr.* Rigantius in *Reg. IV.* §. 1. *num.* 2. scribit, quod *provisio Episcopatuum, et aliarum dignitatum maiorum olim ad Summum Pontificem tantum pertinebat*, *can.* 1. *dist.* 22. gl. in *can. quamquam* verb. *devolvatur de elect. in* VI. Sed Nicolaus II. in *can.* 1. *dist.* 12. id utique non probat; non enim aliud Mediolanensibus inibi rescripsit, nisi quod Romana Ecclesia omnes metropoles, primatus, cathedras episcopales, Ecclesiarumque dignitates fundaverit, primatumque super omnibus idcirco habeat, et omnes eam propterea sequi tamquam magistram, et matrem teneantur. Altera vero, quae citatur Glossae auctoritas nullius ad rem momenti est. Addit idem *num.* 2. quod *indulserunt postea Pontifices, ut in Cathedralibus, et Collegiatis Ecclesiis ius eligendi Praelatum esset penes Canonicos.* At historia ex rebus gestis, et Conciliorum etiam actis affatim ostendit Cleri praesertim urbani, in cuius iura successerunt Capitula Cathedralium, electionem antiquissimas.

(*) Concordatorum lege an. 1818. art. XXVI. Summus Pontifex Pius VII. Ferdinando I. olim Utriusque Siciliae pientissimum Regem, atque Eiusdem Successoribus in perpetuum potestatem concessit Episcopos nominandi ad singulas. Regni Ecclesias. Quamobrem ex vigenti disciplina Clementissimus Rex Noster Ferdinandus II. Apostolicae Sedi Episcoporum nominationem dirigit, et instruuntur iuxta canones processus, ut ii titularem recipiant institutionem. Indultum istud Litteris Apostolicis ab eodem Pontifice latis sub die IX. Mart. d. an. 1818. apertissime confirmatur. Videsis animadversiones, quas Commentar. de Iurepat. intexuimus Cap. VIII. de Privilegiis §. 10.

(3) Bonifacius VIII. in *cap. deliberationem* 4. *de officio legati in* VI.

Canonicos earum Sedium *ad electionem*, *postulationem*, *seu quamvis provisionem de praeficiendo sibi Patriarcha* procedere nullatenus debere, *quousque ad Apostolicae Sedis notitiam deducatur* (1). Et quamquam vacantes apud Sedem Romanam Episcopatus antiquis moribus, et Iure communi iamdudum reservatos fuisse abunde liqueat: nulla tamen lex prostat in Iure communi, neque in pontificiis constitutionibus perpetuis, quae illos extra Romanam Curiam vacantes generatim reservasset, antequam Ioannes XXII. eiusque successores consueverint ista Regula Cancellariae sibi reservare. Callixtus III. anno 1456. electum a Canonicis Vercellensibus Episcopum Gregorium Gallicum, ipsius Ecclesiae archidiaconum confirmavit (2): quum reservatio Cathedralium nondum invaluisset ex temporaneis, et mobilibus Cancellariae Regulis. At Clementis V. in generali Concilio Viennensi vetuit omnibus quamvis dignitate praeditis Episcopos eligere, ordinare, promovere ad cathedrales Ecclesias Clero, et populo christiano carentes sine speciali Sedis Apostolicae auctoritate (3): id quod reservationem in Corpore Iuris clausam plane ostendit.

XXXVIII. Eadem secunda Regula reservat *omnia monasteria virorum, valorem annuum ducentorum florenorum auri communi aestimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, et in posterum vacatura. Et voluit, quod excessus huiusmodi in litteris exprimatur. Monasteria virorum* heic dicuntur *abatiae*, *et praelaturae* regularium, quae in titulum *perpetuum*, vel commendam conferuntur ad vitam irrevocabiliter. Ad abatias itaque monachorum triennales, mobiles, manuales, quae a Capitulis generalibus cuiusque Ordinis obtinet monachi professi, haec Regula nihil pertinet (4). Utque hoc in Regno libertas Capitulis Regularibus integra servetur in canonicis eorum electionibus, id se velle Carolus Utr. Sic. Rex optimus rescripsit suo apud Apostolicam Sedem legato Cardinali Aquaevivae die 26. Septembris 1741: tum Benedictus XIV. Pontifex O. M. se in eadem sententia esse reposuit die 7. Octobris eiusdem anni (5). Sed reservatione procul dubio afficit monasteria *conventu* fratrum, vel mona-

(1) Bened. XI. in extravag. *sancta Romana* 3. *de electione*. Sed Graeci constitutioni huic non adquieverunt. Nam defuncto Floriae Constantinopolitano Patriarcha Iosepho, qui illuc ad Florentinum Concilium pro conciliandis Graecis cum Latinia accesserat, quum Eugenius IV. anno 1439. Graecos Episcopos hortatus esset ad eligendum inibi successorem a Summo Pontifice ordinandum, et confirmandum, abnuentes respondere: *moris nostri est eum Constantinopoli ab universa nostra Provincia eligi, et in maiori nostro templo consecrari, nec Imperator noster aliud faciet, cui nota est Ecclesiae nostrae consuetudo*. Liquet id ex actis Florentinae Synodi. At Pius II. an. 1459. mortuo Romao Gregorio Patriarcha Constantinop. post eam urbem a Turcis occupatam, Isidorum Ruthenum suffecit: huic deinde Sedes Apostolica Bessarionem, et gradatim isti Cardinalem Riarium Sixti IV. nepotem successores ordinarunt, ex traditis a Raynaldo ad an. 1459. et Thomassino *to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 26. *n.* 9. *et* 10.

(2) Ex traditis a Cusano in *vit. Episcop. Vercellens. disc.* 98.

(3) Clemens V. in *cap. in plerisque* 5. *de electione* in Clementinis.

(4) Rota coram Coccino *dec.* 1023. *num.* 13., et alibi, Tamburin. *de iure abatum to.* 1. *disp. qu.* 2. *num.* 4. *et seq.* Kochier, et Cortiada apud Rigant. *to.* 1. *in Reg. II. Canc.* §. 2. *num.* 90: *et* 96. Wan-Espen. *to.* 1. *par.* 1. *tit.* 31. *cap.* 8. *num.* 15.

(5) Videsis iam dicta *lib.* 1. *Inst. Canonic. tit.* 32. *et ult. num.* 42.

corum *carentia* (1), quae solet Papa clericis saecularibus ad vitam commendare cum decreto revertenti in titulum (2). *Perpetuas* etiam *abatias* monasteriorum, in quibus adest religiosa fratrum, et monachorum familia, Sedi Apostolicae reservare haec ipsa Regula videtur ex rebus in Curia Romana pluries iudicatis (3), quamvis Pontifices Iure communi monachis, et fratribus professis, eorumque congregationi, seu capitulo facultatem eligendi abatem iamdiu concesserint (4), eamque dioecesanis Episcopis ademerint (5). Nam hodierna disciplina et stylus Cancellariae Apostolicae non alias Capitulorum, qua saecularium, qua regularium electiones adprobat, nisi quae indultae speciatim sint, usuque vigeant ex Concordatis locorum, vel immemorabili consuetudine, vel privilegio speciali (6). Reservata isthaec monasteria, et nuncupantur, et revera sunt *concistorialia*: quia in Concistorio Cardinalium instar Episcopatuum conferuntur. Quae vero in libris taxarum Camerae Apostolicae descripta inveniuntur monasteria, quamvis eorumdem valor concistorialem summam 200. florenorum non attingat, sed longe minor sit, eaque consueverint a Papa extra Concistorium conferri: ipsa etiam omnia pro concistorialibus habentur in Curia Romana (7). Scilicet Apostolicae Sedi reservata sunt non (ut opinor) per hanc Regulam II, sed per XLVIII inferius explicandam (8), aut per immediatam Sedis Apostolicae protectionem huic, et illi monasterio gratia olim speciali concessam, quum sese Regulares a dioecesana Episcoporum lege eximere quovis pacto ambirent, et contenderent, annuum censum in libris Camerae Apostolicae taxatum, ac descriptum offerentes ultro in signum adeptae protectionis (9): antequam generalem exemptionem cunctis cuiuslibet Ordinis monasteriis, et Regularium personis Apostolica Sedes largita esset. Ut valor 200. florenorum liqueat, Regula XXV. declarat, *quod* libra *Turonensium parvorum*, *et* florenus *auri de Camera pro aequali valore in concer-*

(1) Hanc reservationem monasteriorum conventu carentium a Clemente V. in *cit. cap. in plerisque de elect.* imperatam scribit Rigantius *loc. cit. num.* 46. At in eo textu Clemens V. episcopales tantum Sedes, Ecclesiasque subditis carentes Apostolicae Sedi reservavit, ut supra monui: verum *circa provisionem quarumlibet aliarum facultatum superiorum, nec coarctare intendimus*, ait, *nec ultra Iuris communis limites ampliare*.

(2) Rigant. *loc. cit. num.* 77. *et* 79.

(3) Rigant. *to.* 1. *in Reg. II. Canc.* §. 2. *num.* 19. *et seq. num.* 27. *et* 93.

(4) Pelag. I. in *can. abatem* 4. et S. Greg. M. in *can.* 2. *et* 3. *C.*18. *qu.*2. Id etiam rescripsit Hadrianus II. ad Carolum Calvum in epistola, quam refert Thomassin. *to.* 2. *lib.* 1. *cap.* 35. *num.* 7. Videsis dicta *lib.* 1. *Inst. Canon. tit.* 22. *et ult. num.* 41. *et lib.* 3. *tit.* 12. *num.* 10 *et* 12.

(5) Episcopis fuisse olim ius eligendi monasteriorum abates, ac praesules, liquet ex *can. hoc tantum* 1. *et can. monasterium* 17. *ead. C. et qu.*

(6) Rigant. in *cit. Reg. II. Canc.* §. 2. *n.* 58. post Mandosium.

(7) Rigant. *loc. cit. num.* 15. *et seq.* Card. *de* Luca *de benefic. disc.* 4. *num.* 5. Rota *dec.* 791. *num.* 2. *par.* 3. *recent.* Taxam monasteriorum, abatiarumque concistorialium habet Tamburinus ad calcem *to.* 1. *de iure abatum*, ex libro Camerae antiquo, in quo describitur valor beneficiorum concistorialium ad annatas solvendas obstrictorum ex constitutione Ioannis XXII.

(8) *Num.* 49.

(9) Videsis dicta *lib.* 3. *Instit. Canon. tit.* 12. *num.* 26.

nentibus litteras, *et Cameram Apostolicam computari*, *et aestimari debeant.* Florenus idem valet, quod ducatus unus auri de Camera, ex uno scuto auri in auro, unoque iulio argenteo constans: nimirum ex iuliis decem, et septem cum dimidio manualis monetae Romanae (1). Itaque floreni ducenti conflant scuta Romana 350, ducatos vero neapolitanos 437, et asses 50. quum intimus nunc valor centum scutorum ex iuliis decem monetae romanae aequipolleat centum vigintiquinque ducatis neapolitanis. Externus autem mobilis valor ex permutatione pecuniarum inter campsores (quam *cambium* appellant) pro varia temporum conditione, vel paullo minorem, vel paullo maiorem summam expediendis litteris apostolicis, et exprimenda quantitate redditunm minime spectatur. Sed praesens triplo maior, quam antiqua aestimatio auri efficit, ut antiqua in libris Camerae taxa florenorum 66 *2/3* ter ducta nunc aequet valorem 220. florenorum (2). Si qua igitur monasterii abatia in titulum perpetuum conferenda in libris Camerae taxata non fuerit, eiusque redditus annui florenos 200. nunc excedant: ea reservationem Regulae II. subire quidem videtur (3).

XXXIX. Reservat insuper secunda Regula *dignitates*, *et beneficia omnia ad collationem*, *praesentationem*, *electionem*, *et quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum*, *Primatum*, *Archiepiscoporum*, *et Episcoporum*, *necnon Abatum*, *ac aliorum quorumcumque collatorum*, *et collatricum saecularium*, *et regularium quomodolibet* (*non tamen ad* collationem cum alio, *vel* electionem *pertinentia*) *quae* post illorum obitum, *aut Ecclesiarum*, *seu monasteriorum*, *vel aliarum dignitatum suarum* dimissionem, *vel* amissionem, *vel* privationem, *vel* translationem, *vel alias* quomodocumque *vacaverint*, *usque ad* provisionem *successorum ad easdem Ecclesias*, *aut monasteria*, *vel dignitates* Apostolica *auctoritate faciendam*, *et ademptam ab eisdem successoribus pacificam illorum possessionem*, *quomodocumque vacaverint*, *et vacabunt in futurum* (4). Sensus verborum quum sit perspicuus: quae tamen consequuntur ex quatuor eorumdem articulis, ea praestabit cursim explicare. Omnes personas quavis dignitate, vel episcopali, vel minori praeditas, quae habeant ius conferendi beneficia integrum, et liberum, spectat in primis haec reservatio: at eos palam excipit, quibus ius idem non privativum, sed

(1) Ex traditis a Rigantio in *Reg.* 25. *Canc. num.* 8. *et seq. to.* 3. post Corrad., Amayden., Mandos., Gratian., Germon., Rotam.

(2) Rigant. *ibidem num.* 50. cum Kochier, Rebuffo, Zabarella, et Rota contra Sotum, Gomesium, et Rosam.

(3) Rigant. *to.* 1. *in Reg. II. Canc.* §. 2. *n.* 51.

(4) Hanc reservationem a S. Pio V. primum usurpatam, a Gregorio XIII. intermissam, a Xysto V. in Regulis Cancellariae insertam, et a subsecutis inde Pontificibus, monet Rigantius in *comm. huius Reg. II.* §. 3. *n.* 3. *ad* 7. Si viventibus Episcopis Pontifex Romanus vacantia in eorum dioecesibus ius conferendi obtinet, cum iis defunctis eodem iure, vel magis potiri, ad Fridericum II. rescripsit Gregorius IX. apud Thomassin. *to.* 3. *lib.* 1. *cap.* 47. *num.* 2. Praestat enim providere *cito*, ne diuturnam beneficia vacationem patiantur, ex Bonif. VIII. in *cap. quam sit.* 6. *de elect. in VI.* Tum fructus Ecclesiarum vacantes Sedi Apostolicae reservati collationem quoque beneficiorum, quae in fructu est, ad eamdem Sedem avocarunt. Rigant. *ibidem n.* 3.

commune cum aliis, neque liberum, sed obnoxium alicuius praesentationi, vel electioni sit. Igitur Capitulum, et quivis alius, cui communis cum Episcopo sit collatio, vacantia, Episcopali Sede vacante, beneficia libera confert iure accrescendi, seu non decrescendi (1). Et Vicarius Capitularis ad beneficia iurispatronatus instituit a patronis praesentatos, vel electos (2) ex translata in eum tota Episcopi iurisdictione. Excipitur nihilominus praebenda Poenitentiarii, quam reservatio afficit in iis etiam Cathedralibus, ubi Capitulum una cum Episcopo praebendas conferat (3). 2., declarat eorum sedes, ac dignitates vacare non modo per obitum, sed etiam per dimissionem, seu voluntariam renunciationem, per sententiam privationis, per translationem, aliove quovis modo. Ipso igitur die, quo Ecclesiae, vel dignitatis dimissio, seu cessio, seu renunciatio a Papa in Concistorio admittitur, statim incidit vacatio (4), vel privationis, et depositionis sententia profertur (5), vel translatio decernitur in Concistorio (6) 3., statuit omnia beneficia, quae a die vacationis eiusmodi usque ad provisionem successoris, et pacificam ipsius possessionem quomodolibet vacaverint ad Sedis Apostolicae collationem dumtaxat pertinere. Quae igitur ante vacassent beneficia, et praedecessor Episcopus non contulisset, eorum collatio successori adempta non est (7): etiamsi devoluta ob semestrem illius negligentiam fuerint (8). Et ubi ordinarius collator gaudeat indulto cum clausula excludente *omnes*, *et quascumque* reservationes: tunc vacante Sede, ipsius vacantia etiam successori conferenda relinquuntur (9). Quemadmodum et Cardinalibus, quibus indulta speciatim sit collatio beneficiorum *ante* possessionem quoque suam vacantium (10) 4., aperte limitat id ad earum Sedium, et dignitatum vacationes, quae *auctoritate apostolica* providentur: quia ex reservatis tantum vacantibus dignitatibus, et Ecclesiis beneficia vacantia heic reservantur (11). In monasteriis, et abatiis regii quoque patronatus beneficia liberae collationis huic Regulae subiecta putat Rigantius (12), quemadmodum et in Ecclesiis regiae nominationis: quoties praesentatus a Rege, vel nominatus debeat canonicam institutionem ab Apostolica Sede obtinere. Secus ergo iudicatur in Ecclesiis, et dignitatibus regiae collationis, quales hoc in Regno ex. gr. sunt Archipresbyteralis Altimurana, Prioralis S. Nicolai Barensis, Abatialis Altaevillae.

(1) Rigant. *loc. cit. n.* 339; Card. de Luca *in summa de benef. n.* 89. Huc redeant responsa prudentum in *l.* 1. *et seq. D. de usufructu adcrescendo.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. etsi Capitulum un. de institut. in VI.*

(3) Rigant. *loc. cit. num.* 322.

(4) Rigant. *ibidem n.* 10. 13. 77. *et* 117.

(5) Idem *num.* 15.

(6) Idem *num.* 27. Qui monet *num.* 107. effectus vacationis, quod ad Capitulum, habere locum a die notitiae. Et *num.* 335. praeconitationem habere vim provisionis.

(7) Ex probabiliori sententia, quam tenet Rigantius *ibidem n.* 356.

(8) Idem *num.* 141. *et seq.* Nam alienae culpae successor innoxius poenam non contrahit, *l. crimen* 26. *D. de poenis.*

(9) Idem *num.* 421.

(10) Idem *num.* 342.

(11) Idem *num.* 370. *et* 374. *et seq.*

(12) Idem *num.* 382.

XL. Regula III. reservat beneficia post vacationem beneficiorum incompatibilium in fraudem reservationis ab eis resignata, vel dimissa, qui pacificam sint possessionem incompatibilium adepturi: nec non incompatibilia ipsa, quae obtinuerint auctoritate apostolica. *Si qui de beneficiis ecclesiasticis*, ait Regula, *praesertim curam animarum habentibus, seu alias personalem residentiam requirentibus* . . apostolica auctoritate *provisi, seu providendi* ante *illorum* assecutionem, alia *cum eisdem* incompatibilia *per eos tunc obtenta in fraudem reservationis* resignarent, *seu* dimitterent... intra *vacationis, et provisionis, seu assecutionis eorumdem beneficiorum* tempora... *nulla speciali, et expressa de eisdem in provisionibus praedictis facta* mentione, *simpliciter, vel caussa permutationis, ac alias quomodolibet, sive in Romani Pontificis, aut Legatorum, vel Nunciorum dictae Sedis, sive Ordinariorum, vel aliorum collatorum quorumcumque manibus* resignare, *seu* dimittere, *aut iuribus sibi in illis, vel ad illa competentibus* cedere *contigerit: omnes, et singulas concessiones, collationes, provisiones, et quaevis aliae dispositiones . . . irritae, nulliusque roboris, vel momenti extant: sed beneficia, et iura, ut praefertur,* resignata, dimissa, *et* cessa *eo ipso vacent, ac* sub reservatione . . . *comprehensa censeantur . . . Ac ulterius voluit* beneficium, de quo *resignans fuerit auctoritate apostolica provisus, et per cuius assecutionem beneficia vacare debebant, ut prius vacare, perinde ac, si collatio favore resignantis facta non fuisset* (1). Tum Regula XXVI. statuit, quod *quaecumque collationes, provisiones, et dispositiones* beneficiorum, *quae per promovendos, vel assumendos ad quascumque praelaturas*, quum saeculares, tum regulares interea *resignari, vel alias dimitti contigerit, sint cassae, et irritae, nulliusque roboris, vel momenti* (2). Sed praelaturas exinde simul vacare nec dicit, nec vult. Itaque beneficia maiora, episcopatus, praelaturas quasi episcopales, et monasteriorum concistorialium abatias perpetuas non afficit Regula III: eaque idcirco non vacant ex fraudulenta resignatione, ac dimissione quorumlibet beneficiorum, quam promovendi antea fecerint (3). At resignata, et dimissa *in fraudem* ante promotionem beneficia semper vacare, atque in reservationem incidere, palam est ex littera utriusque Regulae: quamvis resignans, ac dimittens incertam incompatibilis adipiscendi spem habuisset ex dubio puta eventu concursus ad parochialem Ecclesiam, dummodo hanc reipsa nactus postea fuerit cum pacifica ipsius possessione (4). Qui vero ignorans vacationem incom-

(1) Paulus V. *const.* 62. *to.* 3. *Bull.* primus omnium reservationem beneficiorum, quae per assecutionem pacificam aliorum incompatibilium vacaverit, in extr. *ad regimen* imperatam, ad ea etiam extendit, quae ante incompatibilium assecutionem resignarentur, vel dimitterentur. Exinde Gregorius XV. hanc extensionem in suis Cancellariae Regulis inseruit, mox Urbanus VIII; ceterique successores. Innocentius X. autem addidit vacationem ipso iure, ac reservationem incompatibilis postea obtenti.

(2) De hac Regula XXVI. sermo redibit inferius *num.* 57.

(3) Id quod pluribus firmat Rigantius in *comm. eiusdem Reg. III. a n.* 9. *ad* 98., elidens quae contra faciunt, argumenta, et opiniones.

(4) Rota *dec.* 241. *par.* 12. *dec.* 117. *par.* 14. *rec.* et coram Ubaldo dec. 251. apud Rigant. *loc. cit. n.* 77. Explorati enim Iuris est beneficium antea obtentum non vacare per assecutionem alterius incompatibilis, hoc nisi pacifice possideatur, ex traditis a Card. de Luca *de benef. disc.* 100. *in supplem.*

patibilis bona fide resignaverit beneficia sua, tum illud a Sede Apostolica obtinuerit, vix evadit iacturam incompatibilis: quum isto etiam casu resignata, ac dimissa remaneant vitio nullitatis, et reservationi subiecta (1). Quae tamen ante vacationem incompatibilis resignentur, ac dimittantur beneficia, ea procul dubio nil afficit eiusmodi reservatio: etiamsi resignans foveat spem adipiscendi futuram canonicatus successionem titulo coadiutoris (2). Et quoniam loquitur aperte Regula de incompatibilibus *auctoritate apostolica* provisis, vel scilicet ab ipso Romano Pontifice, vel ab eius delegatis, vel etiam a locorum Ordinariis, non ordinaria, et communi, sed delegata potestate vigore specialis indulti: consequitur eam plane locum non habere, quoties resignans, vel dimittens beneficia post vacationem incompatibilis hoc idem ab Episcopo, aliove collatore obtinuerit auctoritate ordinaria in mensibus etiam alternatis cum Sede Apostolica (3). Episcopus enim dum alternis cum Papa, mensibus utitur in collatione beneficiorum ad formam Regulae IX. inferius exponendae: eum iure ordinario tunc beneficia conferre in singulis sex mensibus pleriquo Doctorum consentiunt cum Rota Romana (4). Nil porro ex pontificiis iuribus perpetuis Regula IX, speciatim indulget: sed amoto solum impedimento mobilis reservationis, ut ordinariis collatoribus quibuslibet, etiam non residentibus vacantia in quatuor mensibus, ita residentibus tantum Episcopis vacantia in sex alternis mensibus libere conferenda relinquit. Secus rem se habere in Cardinalibus Episcopis indulto fruentibus conferendi beneficia, quae uni sint reservationi obnoxia, monet Rigantius (5): quia non communi solumRegula IX. illi utuntur, sed indulto etiam speciali, quo fit, ut ipsi auctoritate quum ordinaria, tum apostolica dicantur in octo mensibus reservatis beneficia conferre.

XLI. Regula IV. reservat *omnes dignitates* maiores *post pontificalem in* Cathedralibus *etiam Metropolitanis, et Patriarchalibus; nec non valorem* decem floronorum *auri communi aestimatione excedentes* principales *in Collegiatis Ecclesiis... Prioratus etiam, Praepósituras, ac alias* Dignitates conventuales, *et* Praeceptorias *generales Ordinum quorumcumque, sed non militarium.* Declaratque Dignitates, *quae in Cathedralibus etiam Metropolitanis post pontificalem* non maiores *existunt, quae ex Apostolicae Sedis indulgentia, vel ordinaria auctoritate, aut consuetudine praescripta, vel alias quovis modo in* collegiatis *quibuscumque Ecclesiis principa-*

(1) Ex traditis a Rigant. *ibidem num.* 78. *ad* 82.

(2) Rigant. *ibidem num.* 83. *ad* 91.

(3) Rigant. in *comm. Reg. I.* §. 9. *num.* 173., *et in Reg. III. num.* 94.

(4) Rot. *dec.* 117. coram Otthobono, et in *Compostellana parochialis* 17. Febr. 1690. coram Card. Caccia, apud Rigant. *in Reg. I.* §. 8. *num.* 174. et Antonius de Flore apud Rigant. *in Reg. III. num.* 72. Igitur vacantia beneficia ob assecutam auctoritate ordinaria episcopali possessionem incompatibilis Episcopus confert, quoties in mensibus etiam episcopalibus collatio, si haec acciderit in mensibus Pontifici reservatis Rigant. *in Reg.* 1. §. 8. *n.* 176. *et* 184.

(5) Rota coram Coccino *dec.* 2300. *num.* 13. coram Dunozetto *dec.* 487. *n.* 7. coram Otthobono *cit. dec.* 197. apud Rigant. *in Reg.* 1. §. 1. *nu.* 181. *et seq.* Qui tamen monet *ibidem* n. 185., *et seq.* provisionem beneficii etiam vacati ob adeptum alterum incompatibile ad Cardinalem Episcopum istius collatorem indultarium ut eiusdem indulti pertinere.

lem praeeminentiam *habere noscuntur sub reservatione praedicta comprehendi debere* (1). *Dignitatem* esse praeeminentiam in Ecclesia cum aliquantula iurisdictione, seu administratione coniunctam: eamque differre a *personatu*, qui praeeminentiam habet sine iurisdictione, explorati iuris est (2). Ut maior autem Dignitas post episcopalem in Cathedralibus, et principalis Collegiatarum huic subiaceat reservationi, sat erit, si ea praefecturam in choro, seu aliquam in divinis officiis inchoandis, terminandisve curam, aliudve munus in promotione, ac famulatu clericorum obtineat, aut saltem Dignitatis nomen ex Ecclesiae suae statutis, vel moribus obtineat. Nil enim hic refert, quod eam revera expertem iurisdictione, ad Vicarios Episcoporum mobiles nunc translata, qua olim archidiaconi, decanique urbani, archipresbyteri, praepositi, abates, priores, primicerii, protopapae, archimandritae potiebantur, *ventosam, inanemque dignitatem* appellent, ac aestiment (3). Inter Primicerium, et Cimiliarcham Cathedralis Ecclesiae Neapolitanae disputatum quum esset, uter primam Dignitatem haberet, post varias pro alterutro decisiones, tandem Rota censuit nullam in Cathedrali Neapolitana Dignitatem existere, istiusque Capituli dignitatem esse, quod nullam habeat Dignitatem maiorem (4). Hac re iudicata factum est, ut Canonicatum Neapolitani Cimiliarchae nil etiam afficiat ista reservatio: quum Primicerii alterum iamdiu ab ea subtraxerit laicale iuspatronatus, quod oneroso superdotationis titulo quaesitum equestri clarissimae familiae de Ianuario e Sedile portus Leo X. indulsit die 1. Maii 1521. (5). Nam ubi maior, vel principalis Dignitas patronatui laicorum sit obnoxia, eam a reservatione tunc immunem pronuntiant ore uno Doctores. Quumque Bonifacius VIII, tam a praeventivis Papae collationibus (6), quam a reservationibus Legati apostolici pa-

(1) A Ioanne XXII. hanc reservationem primo inductam Rigantius observat, varias refellens opiniones eorum, qui auctorem eo vel antiquiorem, vel posteriorem effingunt: eamque iam narravi superius *num.* 23. Bonifacius VIII. in *cap. deliberatione 4. de offic. legati in VI.* tantum invenitur Legatis apostolicis vetasse, ne *maiores* Episcopos *dignitates* in Cathedralibus, vel regularibus, vel collegiatis Ecclesiis existentes, quae *per viam electionis* provideri consueverint, sibi reservarent, nullumque obstaculum eligendi ius habentibus darent. Hinc arguunt iure communi eas Romano tantum Pontifici reservatas: idque in animum induxi meum *lib.* 1. *Inst. Canon. tit.* 29. *n.* 4. At vero Bonifacius hoc in textu nullum de reservatione apostolica, quae praecesserit, vel ab ipso imperata sit, verbum facit, quin eam videtur potius exclusisse, dum ius eligendi ad maiores dignitates violare Legatis suis vetuit. Id solum coniicere inde licebit, quod Papa maiores, et electivas dignitates alicubi vacaturas quandoque iure praeventionis, aut sibi conferendas reservasset speciatim, Legatique apostolici idipsum quoquo sibi olim arrogarent.

(2) Ex iis, quae dixi *lib.* 1. *Instit. Canon. tit.* 11. *de iure personarum n.* 4. *et* 5. *et tit.* 29. *n.* 2. *et seq.*

(3) Rota *dec.* 30. *n.* 4. *par.* 19. *rec.*, et passim Doctores apud Rigant. *in Reg. IV.* §. 1. *n.* 11. *et seq.*

(4) Rota *dec.* 536. coram Crispo, et *dec.* 1354. coram Lancetta die 11. Decembris 1722. apud *Rigant. loc. cit. num.* 30.

(5) Ex traditis a Caesare Eugenii Caraccioli in *Napoli sacra pag.* 3.

(6) Bonif. VIII. in *cap. cum in illis* 16. *de praebend. in* VI: *illis vero*, ait, *pro*

Iam eas exemerit maiores Dignitates, quae conferantur *per viam electionis* (1), subiectas patronatui ecclesiastico eo magis ipse videtur implicito sensu excepisse. Nam ecclesiastico eligendi iure ius praesentandi, quod ex fundationis lege obtinet ecclesiasticae personae, est hac in re potentius. Sunt qui contendunt, reservationem hisce casibus a prima, vel principali Dignitate ob patronatum immune ad secundam liberae collationis transferre (2). At quia maiori tantum, et principali dignitati reservationem figit Regula IV. iam recitata: ea idcirco Ius commune transiliens restringenda potius est, quam de uno ad alium casum extendenda, ne ordinaria Episcoporum iura amplius, quam Papa dixerit, deminuantur (3). *Omnes dignitates maiores* in Cathedralibus, et *principales* in Collegiatis plane dicit haec Regula reservare: tamen pluralis eiusmodi locutio, quae ad Ecclesias tantum refertur, hunc procul dubio sensum habet, ut unicam, eamque primam in singulis Ecclesiis dignitatem, non plures in una reservet (4). Quinimmo *si monocularis* ea ipsa dignitas fuerit, videlicet ita unica, ut non aliud in eadem Ecclesia supersit beneficium, quod Ordinarius dioecesanus Inibi conferat: eam tunc optimo iure immunem ab ista reservatione censuit Rota etiam Romana (5). Summa enim asperitas esset ordinario Praesuli collationem, seu institutionem unius beneficii, quod ei subsit, adimere: non secus quam oculum monoculo excoecare. Quae in Collegiatis dignitas non excedit valorem decem

quibus scribimus, ut provideatur illis de personatibus, vel dignitatibus . . . provideri nequibit de praelaturis, personatibus, vel dignitatibus, ad quos, seu quas per electionem ii, *qui eis debent praefici, assumuntur.*

(1) Idem in *cap. deliberatione* 4. *de offic. leg. in* VI., quod superius exposui *num.* 16.

(2) DD. apud Rigant. *in Reg. IV. num.* 16.

(3) Videsis dicta *lib.* 1. *Inst. Canon. tit.* 29. *num.* 6.

(4) Rota *dec.* 99. *par.* 4. *rec. num.* 4. Mandos., Leuren., Castropal., Barbos., Corrad. apud Rigant. *in Reg. IV. num.* 47. Sunt qui putant cum Io. Andrea in *cap. deliberatione* 4. *de offic. legati in VI.* posse in eadem Cathedrali duas dignitates ita ex aequo maiores existere, ut nequeat omnino discerni, utra earum praecellat: si nimirum ambae in solidum, et coniunctim, vel alternatim praerogativas maiores exerceant in muniis, et functionibus ecclesiasticis: et ambas tunc reservatas iudicari. At quia monstruosum est duo capita simul esse in uno, eodemque tum corpore, tum collegio, et Ecclesia, ut Rota dixit apud Nicolaris in *Concordat. German. pag.* 43. *num.* 2. iure meritissimo censuit S. Congr. Concili die 23. Augusti 1582., probante Sanctissimo, Praepositum in Ecclesia Cremensi primam dignitatem, et maiorem habere: salvis Archidiacono muniis, et functionibus ad eum spectantibus: suamque priorem sententiam correxit, quae ambas dignitates aeque principales vi concordiae declaraverat. Dein Rota *dec.* 331. *par.* 12. *rec.* pariter definivit an. 1658. Praeposito Ecclesiae Placentinae maiorem inesse dignitatem contra Archidiaconum pro sua coaequali contendentem, apud Rigant. *loc. cit. num.* 51. *ad* 58.

(5) Rota *dec.* 219. *num.* 5. coram Durano, Corad., et Clericat. cum Rigantio *loc. cit. num.* 42. Talis esse videtur abatialis unica dignitas in Terra Paduli Beneventanae dioecesis. In ea enim Collegiata insigni Ecclesia S. Bartholomaei decem, et septem Canonici sunt, ex aequo distributiones quotidianas, in quibus tota eorum praebenda consistit, percipientes: qui sacristae munus ad annum prius obi-

florenorum, parem scutis romanis manualibus 17. 1/2, ducatis vero neapolitanis 21; et assibus 87. 1/2, eam quoque a reservatione palam excipit ipsamet Regula IV. Quod vero ad dignitates Cathedralium maiores valor reddituum, quamvis exiguus reservationem non excludit. Dubitari saepe contingit, an haec, vel illa Ecclesia, cuius principalem dignitatem a Sede Apostolica velut reservatam quispiam impetraverit, uti liberam alius maluerit ab Ordinario obtinere, sit reapse Collegiata insignis, an non? Quaestionem hanc in facto versantem oportet ex rerum adiunctis definire in iudicio rite probandis. Quandoquidem et nomen, et natura, et qualitas Collegiatae insignis, quoties non pateat ex bullis, seu litteris fundationis, et erectionis, ab Apostolica Sede, aut ipsius Legato, aut ante annum 1625. ab Episcopo dioecesano (1) datis, quae iniuria temporum fortasse deperierint: eam tunc coniecturae probabiles, monimenta, et signa permanentia indicabunt. 1: scilicet consuetae pontificiae collationes tam principalis dignitatis in controversa Ecclesia, tamquam reservatae vigore huius Regulae, quam praebendarum, et canonicatuum in mensibus apostolicis vacantium, spatio annorum longissimo effectum sortitae (2). 2: convocatio Capituli Collegiatae ad Synodum dioecesanam, eiusque vel Deputatorum in ea interventus (3): statuta pro bono Ecclesiae regimine ab ipso Canonicorum collegio confecta, et iuramentum ea servandi praestitum a singulis in suo ipsorum ingressu (4). 4: communis opinio, seu denominatio Collegiatae, eiusque recensio inter insignes dioecesis Collegiatas in publicis his, privatisque scripturis, apud scriptores, etiam historicos (5) quidem urgentibus signis, aliae superadduntur coniecturae leviores, quae singula si non prosunt, unita cum prioribus maxime iuvant ad comprobandam veram Collegiatae qualitatem, quamvis parochialibus etiam Ecclesiis vulgo receptitiis congruant. Cuiusmodi sunt collegium beneficiariorum negotia Ecclesiae instar Capituli in communi gerentium, qui choro simul inserviant, conventualem Missam quotidie concelebrent, praebendam quisque suam e communi massa reddituum Ecclesiae, portionemque distributionum quotidianarum obtineant, possessionem praebendae ritu capitulari cum destinatione loci in choro, seu sedis in collegio ingrediantur, pecuniam Ecclesiae, collegiique in communi arca servent, oeconomum, seu syndicum, seu procuratorem de gremio sibi constituant quotannis, sigillo pro-

verit ex originariis clericis, primus omnium in vacantem quemque locum sufficitur ab ipsis Canonicis sine Ordinarii collatione, et sine bullis. Abbas collegii caput, et praelatus inferior cum iurisdictione quasi episcopali minuta solum beneficia clericis concivibus confert, Archiepiscopus Abatem ipsum dumtaxat instituit, quem rite Canonici elegeriut, servata forma statutorum illius Ecclesiae pontificiis Pauli IV. litteris anno 1558., et Benedicti XIV. die 30. Iunii 1742. confirmatorum.

(1) Confer hoc dicta superius *cap.* 3. *num.* 19.

(2) Card. de Luca *de benef. disc.* 14. *num.* 18. Card. Petra, Piton., Rota apud Rigant. *in hanc Reg. num.* 46.

(3) Videsis dicta *lib.* 1. *Instit. Canon. tit.* 6. *cap.* 4. *num.* 4. *et ult.*

(4) Rota apud Rigant. *loc. cit. num.* 78.

(5) Rigant. *ibidem num.* 81., *et seq.*

prio in collegii scripturis, et actis utantur (1). Pro diversis inde coniecturis modo univocis, et concludentibus, modo ambiguis, vel inter se pugnantibus diversas protulit sententias Curia etiam Romana (2): quae in dubio praevalere signa qualitatem collegialem excludentia censuit (3).

XLII. Regula VIII. reservat *generaliter quoscumque canonicatus, et praebendas, ac dignitates, personatus, et officia in* S. Ioannis Lateranensis, *et* Principis Apostolorum, *ac* B. Mariae maioris *de Urbe Ecclesiis, nec non ad collationem, provisionem, et praesentationem, seu quamvis aliam dispositionem S. R. E.* Cardinalium *a Romana Curia* absentium *ratione suorum Episcopatuum Cardinalatus, ac ipsorum Cardinalium titulorum, et diaconiarum spectantia, quamdiu absentia huiusmodi duraverit, canonicatus, et praebendas, dignitates, personatus, administrationes, et officia, ceteraque beneficia ecclesiastica cum, et sine cura vacantia, ac in antea vacatura tam in eadem Urbe, quam in Ecclesiis, civitatibus, ac dioecesibus dictorum episcopatuum consistentia.* Prior huius Regulae reservatio a Martino V. inventa primum est, ut Cardinales Archipresbyteri simul, et Commendatarii trium Basilicarum Urbis, et earumdem Capitula, quibus Apostolica Sedes indulsit ius insimul conferendi, ac providendi earum beneficia, diviso inter has, et illos tantum exercitio per hebdomadas, ad maiora beneficia, dignitates, canonicatus, personatus, praebendas, Papae Urbis Episcopo conferenda, manum non extenderent suam, sed inferiora dumtaxat conferrent (4). Nicolaus V. posteriorem addidit reservationem, ut Cardinales alliceret omnes ad residendum in Urbe, in diaconiis, et Ecclesiis titulorum suorum, ac Episcopatibus suburbicariis. Nam Sedes Apostolica eis hoc pacto, et conditione speciatim indulget collationem beneficiorum omnium qua maiorum, qua inferiorum in suis titularibus Ecclesiis, quolibet mense vacantium: si praesentes revera in Urbe adsint, vel suis in Ecclesiis suburbicariis resideant tempore vacationis (5).

XLIII. Regula IX. de reservatione mensium apostolicorum, eorumque alternatione pro Episcopis residentibus ita se habet. *Cupiens* SS. D. N. *pauperibus clericis, et aliis benemeritis personis providere, omnia beneficia ecclesiastica cum cura, et sine cura, saecularia, et quorumvis Ordinum regularia qualitercumque qualificata, et ubicumque existentia, in singulis* Ianuarii, Februarii, Aprilis, Maii, Iulii, Augusti, Octobris, et Novembris

(1) Rota in Thelesina coram Crescentio, apud Scarfantonium *dec.* 36. *num.* 7. Rota, Card. Petra, aliique DD. apud Rigant. *loc. cit. num.* 57. *et seq.* 89. *et seq. Quibus permissum est habere corpus collegii*, ait Caius, *proprium est habere res communes, arcam communem, et actorem, sive syndicum, l.* 1. *D. quod cuiusque universit. nomine.*

(2) S. Congr. Conc. in Trivicana collegialitatis 1. Septembris 1631. re cognita declaravit, Ecclesias S. M. de Fracta Terrae Castelli, et S. Io: Baptistae Terrae Carisi non esse Collegiatas, sed parochiales, et receptitias: quum unicam in ea dioecesi collegiatam in Terra Flumeri Ughellius recenseat *tom.* 8. *de Episc. Trivican*, et conjecturae hinc, et hinc productae inter se mutuo pugnarent.

(3) Rota apud Rigant. *loc. cit. num.* 93. et 94.

(4) Rigant. *in Reg. VIII. num.* 2. *ad* 26.

(5) Rigant. *ibidem num.* 27. *et seq.*

mensibus (1) *usque ad suae voluntatis* (2) *beneplacitum extra Romanam Curiam* (3),*alias, quam per resignationem* (4) *quocumque modo vacatura, ad collationem, provisionem, praesentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem quorumcumque collatorum* (5), *et collatricum saecularium, et quorumvis Ordinum regularium, non tamen S. R. E.* Cardinalium (6),

(1) Martinus V. Columnensium stirpe, prudentia, virtutibusque multis clarissimus sedato autem schismate, ac decennali Sedis suae felicitate praeclarior, diuturnas Nationum querelas de frequentibus beneficiorum reservationibus pontificiis composuit divisis inter Apostolicam Sedem,locorumque Ordinarios mensibus hoc pacto, ut vacantia in binis primum mensibus beneficia Romanus Pontifex, in tertio quoque mense Ordinarii conferrent, ut liquet ex constitutione ipsius anno 1418. promulgata in Conc. Constantiensi, apud Labbacum *collect. Conc. to.* 16. et acceptata ab omnium Nationum deputatis, penes Blondeau ad Bouchel in *biblioth. can. to.* 1. verb. *collation.* §. *chaque nation.* Eamque innovavit Eugenius IV. anno 1431: mox Nicolaus V. attexuit postremis Cancellariae Regulis a se primum collectis, et digestis an. 1447. ex traditis a Gomesio ad *Reg. Canc. qu.* 1. *prooemiali*, et Rigantio. Eam ipsam inter Regulas S. Pii V., et Gregorii XIII. sexagesimam nonam fuisse numeratam tradit Gonzalez *gl.* 1. *num.* 5. Tum Gregorius XIV. an. 1590. Regulam octavam ex ea conflavit, ut tradit Hieronymus Gonzalez in *comm. eiusdem Reg. VIII. glos.* 1. *num.* 6.

(2) S. Pius V. *const.* 164. et Greg. XIII. *const.* 6. aliique Pontifices ad quinquennium, aliudve tempus limitatum hanc edicere mensium reservationem consueverant. Xystus V. eam *ad beneplacitum* suum duraturam primus edixit: unde fit, ut ea ab edicente Pontifice, quoad vixerit non abrogata, ad obitum ipsius protrahatur, et non ultra.

(3) Nam quae in Romana Curia, et locis ultra duas dietas non remotis quolibet Ordinariorum mense vacaverint beneficia, eorum collationem ad Apostolicam Sedem ex Reg. I. pertinere, iam supra diximus *num.* 29. Beneficia Urbis, intra Romae districtum fundata, proprio quidem iure Pontificem ipsum, ut Episcopum dioecesanum conferre palam est. Quae tamen iu ipsa Urbe ad inferiorum collationem pertinent, puta ad Capitula Basilicarum, dum vacaverint per obitum intra Urbis districtum, vel intra duas ab ea diaetas in mensibus apostolicis: ea tunc reservatione huius Regulae IX. simul affici, p'uries iudicatum sub Alexandro VII, Clemente X, et XI, ac ab eisdem Pontificibus comprobatum, fert Rigautius ad *huius Reg.* §. 3. *num.* 25. *ad* 29.

(4) Haec exceptio sat innuit beneficia quolibet mense etiam apostolico dimissa libere, ad nullius scilicet favorem in manibus Episcoporum resignata, posse ab Ordinariis ipsis conferri, dummodo formam a S. Pio V. imperatam *const.* 38. pro resignationibus rite peragendis adamussim observent, ut recte notat cum Gonzalez *ad hanc Reg. gl.* 14. *num.* 31. et aliis Rigantius *ad* §. 3. *num.* 31. *et seq.* Additque *num.* 35. ex communi DD. sententia licere permutationes etiam beneficiorum canonicas, in quibus permutantes sua mutuo resignant beneficia, in mensibus apostolicis auctoritate Ordinariorum perficere. At resignationes in favorem perpetuo, et communi iure vetitas numquam licebit Ordinariis locorum admittere.

(5) Videntur ista verba tacito sensu excipere beneficia, quae ad *patronorum* nominationem, praesentationem, electionem pertinent, iure conferendi expertium.

(6) Cardinales ordinarios collatores plane excipit haec Regula, qui possunt vacantia in quibuslibet mensibus beneficia conferre, quoties ea duplici reservationi coaequali non sint obnoxia, ex rebus a Rota saepe iudicatis apud Rigant. *loc. cit. num.* 38., *et seq.* Olim Cardinales vigore huius exceptionis, quae obstaculum reservationis amovens ordinariam iis collationem integram servat in cunctis mensibus, dicebantur iure ordinario in mensibus apostolicis etiam conferre: quum antiqua Cardinalium indulta conferendi beneficia vel generaliter, vel specialiter reser-

aut aliorum sub Concordatis *inter Sedem Apostolicam, et quoscumque alios initis, et per eos, qui illa acceptare, et observare debuerant, acceptatis, et observatis, quae laedere non intendit comprehensorum quomodolibet pertinentia.* Mox iubet mensem, in quo vacatio contigerit, exprimendum esse in litteris pontificiis, alioquin eas irritas fore. Consuetudines autem, quamvis immemorabiles *optandi* maiores, pinguioresque praebendas (1), et quodvis privilegium, seu indultum contra eiusmodi reservationem nil suffragari (2).

XLIV. Posterior eiusdem Regulae IX. pars *ad gratificandum Patriarchis, Archiepiscopis, et Episcopis* (3), *ipsis quamdiu apud Ecclesias, aut dioeceses suas vere, et personaliter resederint dumtaxat* (4), *de omnibus, et quibuscumque beneficiis ecclesiasticis cum cura, et sine cura, saecularibus, et regularibus* (5), *ad liberam ipsorum dumtaxat* (6), *non autem alio-*

vata, nullum de reservatione mensium verbum facerent, ipsos non afficiente. Postquam vero Urbanus VIII. *const.* 59. in eisdem indultis expressit mensium quoque reservationem, declarans ea non suffragari Capitulis communem habentibus cum Episcopo Cardinale collationem: invaluit sententia, quod Cardinales Episcopi in mensibus apostolicis nedum ordinario, sed delegato etiam iure conferant, Rigant. *ibidem num.* 45. *ad* 51., adeo ut qui collationem a Cardinale obtinuerint beneficiorum in mensibus reservatis vacantium, cogantur nunc apostolicas etiam litteras novae provisionis intra quatuor menses impetrare, solutis de more taxis, quoties beneficia valorem 24. duo. auri de Camera excedant. Id quod in singulis indultis imperari palam consuevit sub Inn. XI. an. 1681, et motu proprio sanxit Bened. XIV. in *const. cum sicut accepimus to.* 1. Bull. apud Rigant. *loc. cit. num.* 153.

(1) Primus omnium Xystus V. derogasse consuetudini optandi, fertur a multis, et Rigantio *ad* §. 5. *huius Reg. num.* 1. qui multa edisserit de iure optionis. Verum non adimit haec Regula optandi, quod in limine fundationis patronus laicus adsentiente Papa statuerit, vel Papa speciali privilegio indulserit: neque illud enervat, vel impedit in futuris vacationibus, quae in mensibus Ordinariorum acciderint, ex traditis a Rigant. *ibidem num.* 36., *et seq.*

(2) Ea scilicet privilegia, et indulta, quae ordinariis collatoribus quibuscumque in limine etiam fundationis Apostolica Sedes concesserit. Secus alia, quae ius passivum certo personarum generi ad beneficia quovis tempore vacatura tribuant, tamquam *patrimonialia*, praesertim in limine fundationis, aut ex caussa onerosa, ut monet Rigant. *ibidem num.* 45., *et seq.*

(3) Quum residentibus *Episcopis* nominatim sex alternos menses indulgeat Regula: hos ipsos tacito quidem sensu denegat quibuslibet Praelatis inferioribus, locorumque Ordinariis, Capitulis etiam cathedralium, tam episcopali Sede vacante, quam communem cum Episcopo collationem habentibus. Nam *alius alterius privilegio speciali prohibetur uti*, ab Alexandro III. in *cap. sane* 9. *de privilegiis.*

(4) Quisquis ergo Episcoporum ab Ecclesia sua, vel dioecesi abest qualibet ex caussa vel iustissima publicae necessitatis vel utilitatis, pro exequendis etiam Sedis Apostolicae mandatis, vel fortuito ad quodvis vel modicum tempus, alternatio mensium ei nil suffragatur, sed post acceptationem ipso facto amittitur. Nam vacantia, dum abest, beneficia in mensibus alternatis prohibetur ipse conferre, ex communi DD. sententia post Gonzalez *Gl.* 43. *num.* 25., et Card. de Luca *de benef. disc.* 93. *num.* 13., *et* 16.

(5) Omnia dum beneficia Episcopo residenti conferenda mensibus alternis haec Regula indulget, paulo post palam excipit ea, quae sint Sedi Apostolicae alio quovis modo reservata, et affecta.

(6) Ad liberam collationem Episcopi beneficium pertinere iam liquet, in qua nullum alius habeat ius activum eligendi, nominandi, praesentandi, nec consen-

rum cum eis dispositionem, seu praesentationem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum (1), *aut alias pertinentibus, quae in antea in mensibus* Februarii, Aprilis, Iunii, Augusti, Octobris, et Decembris (2) *extra Curiam ipsam vacare contigerit (dummodo alias dispositioni Apostolicae reservata, vel affecta non fuerint), libere disponendi facultatem tempore sui pontificatus tantum duraturam concessit* (3).

sum, consilium, interventum, aliamve communem dispositionem. At ius passivum alicui personarum generi, puta civibus originariis, laureatis doctoribus, studentibus clericis, egenis, orphanis, ceteris eiusmodi reservatum in limine fundationis, vel Ecclesiae statuto non adimit quidem Episcopo collationis libertatem, arbitriumque inter plures eiusdem generis ei, quem ipse maluerit, gratificandi: Card. de Luca *de benefic. disc.* 93. *num.* 5. Rota, et alii apud Rigant, *in par.* 2. *Reg. IX.* §. 4. *num.* 9., *et* 16. Parochialia item beneficia cum animarum cura, quamvis dignioribus praevio concursu, et examinatorum iudicio conferre Episcopus cogatur, liberae collationis Episcopalis esse dicuntur a Rota *dec.* 619. *num.* 16. coram Cerro, et *dec.* 600. *num.* 9. *par.* 2. *rec.* apud Rigant, *ibidem num.* 10., *et seq.* Secus est in iure *optionis* passivo, non ad multos simul, sed antiquiorem dumtaxat Canonicum spectante, quod liberam adimit collationem Episcopis, eosque obstringit ad conferendum optanti solum, praeterea nemini. Rigant. *ibid. num.* 14.

(1) Consonat haec exceptio cum textu Bonifacii VIII. in *cap. cum in illis* 16. §. *ult. de praeb. in* VI. Hinc sequitur beneficia, quorum collationem habet Episcopus communem insimul cum Capitulo suo, aliove inferiore Praelato, in mensibus alternatis vacantia ab Apostolica Sede conferri, non ab Episcopo, qui alternationem mensium acceptaverit. Ea vero ipsa quoties in quatuor mensibus ordinariis vacaverint, Episcopus una cum Capitulo confert ordinario iure communionis, et societatis. At ubi collationem utrinque communem, puta proprietatem iuris conferendi inter se cum adsensu apostolico per vices diviserint, et vacatio vicis Episcopalis contigerit in aliquo sex mensium Episcopalium alternato: solus tunc Episcopus sine mixtura iuris capitularis beneficium conferre non prohibetur. Secus erit, ubi nudum exercitium conferendi pro utriusque partis commodo fuerit sine auctoritate apostolica divisum: quia unius collatio tunc perinde putatur, ac si ab omnibus consortibus fiat simul. Cuiusmodi distinctionem multis Rotae decisionibus, probatisque Doctorum sententiis firmat Rigantius *cit.* §. 4. *num.* 24., *et seq.*

(2) Post promulgatam mense Martio constitutionem Martini V. de divisione mensium inaequali, Patres Constantienses die 5. Maii eiusdem anni 1418. censuerunt, *de quibuscumque dignitatibus, officiis, et beneficiis medietas sit in dispositione collatorum, patronorum, et constituentium Ordinariorum*, et alternatis *vicibus unum cedat Apostolico, et aliud collatori patrono, aut provisori*: apud Labbaeum in *collect. conc. to.* 26. Quod canones tantum dogmaticos Synodi Constantiensis probaverit Martinus V., decreta vero reformationis reiecerit semper Apostolica Sedes, explorata res est. Attamen Martinum V. an. 1421. cum Episcopis Gallicanis, et Germanis convenisse de alternatione mensium, eamque Nicolaum V. exinde firmasse in Concordatis Germaniae an. 1447, ferunt Thomassinus *to.* 2. *lib.* 1. *cap.* 49., *et cap.* 53., et Rigant. *in part.* 2. *Reg.* IX. §. 1. *num.* 8., *et* 9. Innocentius VIII. eam Episcopo Placentino, aliis alii speciatim indulserunt. Leo tandem X. cunctis Episcopis, qui ipsam vellent sub conditione residendi, largita generatim est.

(3) Haec verba pridam faciunt gratiam alternationis mensium continuo expirare in morte cuiusque Pontificis, eamque non reviviscere, nisi Episcopus ipsam cum successore Pontifice suis acceptationis litteris innovaverit. Id quod rescripserunt speciatim Cardd. Corradus, et Ottobonus Prodatarii, apud Rigant. *loc. cit.* §. 6. *num.* 12., *et* 13.

Firmam vero aliorum sex mensium adeo vult una cum aliis quibuslibet reservationem, ut Episcopos, qui eas quomodolibet violaverint, ipso facto privatos gratia eiusmodi alternationis, irritasque eorum collationes declaret (1). *Illi vero, qui gratiam alternativae praedictae acceptare voluerint, acceptationem huiusmodi per patentes litteras manu propria subscriptas, suoque sigillo munitas, et in sua quisque civitate, vel dioecesi datas declarare, et litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis suae transmittere teneantur, quibus ab eo receptis, et recognitis, ac in libro ad id deputato registratis, tunc demum, et non antea uti incipiant gratia supradicta* (2). *Et post factam acceptionem, et admissionem in Dataria, neutri parti liceat, nisi concordi consensu ab ea recedere* (3). *Quod si Episcopus pluribus Ecclesiis quomodocumque* unitis *praesit, teneatur huiusmodi alternativae gratiam utriusque Ecclesiae nomine explicite acceptare* (4). Tandem declarat *exce-*

(1) Ratio sane postulat, ne cui sua sit malitia lucrosa, ex Ulpiano in *l. 1. D. de dolo malo*. Et *ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus est impugnare*, ait Bonif. VIII. in *cap. ex eo* 38., *et cap. frustra* 75. *de Reg. Iur. in VI.* Consonat Alex. III. in *cap. dilecti* 4. *de privileg.* Qui ergo sciens prudens reservata, vel affecta Sedi Apostolicae beneficia conferre non dubitaverit, vel pontificias de iis provisiones impedire, iure merito gratiam alternatorum cum Papa mensium ipso facto amittit. Secus iudicatur de illo, qui bona fide, scilicet reservationem, affectionemque ignorans probabiliter suas extenderit manus ad reservata, et affecta, quum ignorantia tam facti, quam iuris dubii, et obscuri valeat a poena eiusmodi excusare, ex multis Rotae decisionibus apud Rigant. *loc. cit. n.* 30., *et seq.*

(2) Naturam contractus ultro citroque obligantis alternationi mensium inesse, hinc recte colligitur, eam Rota *dec.* 494. *num* 6. coram Bichio, et *dec.* 289. *num.* 7. *par.* 3. *rec.* Quamobrem ea suum non sortitur effectum, nisi postquam fuerit mutuo Episcopi, et Papae consensu acceptata, 2: dat re integra locum poenitentiae, arbitrium scilicet Episcopo post anunciatam eius acceptationem, antequam a Datario admittatur, ipsam revocandi, atque ad quatuor menses ordinarios redeundi: secus re non integra. 3; ad successorem Episcopum non transit, unoquoque sibi, non aliis ipsam acceptare. 4. residentiae legem iure communi strictiorem Episcopis imponit, et poenam conventionalem.

(3) *Nihil enim tam naturale est, quam eo genere quidquam dissolvere, quo colligatum est*, ait Ulpianus in *l. nihil* 35. *D. de Reg. Iur.*

(4) Disputant heic Doctores, an acceptatione alternorum mensium expleta in apostolico mense Februarii, Aprilis, Augusti, Octobris iam incoepto, in reliquis eiusdem diebus contingentes vacationes ad Episcopum pertineant? Et versa vice, an dies ordinariorum mensium Martii, et Septembris post acceptationem decurrentes ad Papam illico spectent? an potius pars reliqua mensis ei remaneat, cuius fuit initium? Alii cum Gonzalez vim alternationi coaequalem tribuunt ab ipso die acceptationis in Dataria perfectae: alii cum Rota Romana, quibus adhaeret Rigantius *in par.* 2. *Reg. IX.* §. 3. *n.* 3., *et* 4., tenent partem mensis apostolici posteriorem Papae non decrescere, sed eandem in mense ordinario ei statim accrescere. Commonet idcirco Episcopos, ut mensium alternationem expleant in mensibus Ianuarii, et Iulii semper pontificiis, integros exinde lucraturi menses Februarii, et Augusti mobiles, vel in fine Martii, et Septembris mensium ordinariorum mobilium, integros Aprilem, et Octobrem adepturi: quum noceat eis initio Martii, et Septembris id agere, aut in mensibus Februarii, et Augusti. Nam Papa tunc mensibus tribus continuis frueretur. Ceteris autem sex mensibus idipsum Episcopis nec prodest, nec nocet. Clausulam hanc Alexander VII. attexuit anno 1655, ne locus dubitationi superesset amplius, utrum Episcopus duarum Cathedralium ex aequo unitarum deberet explicito alternationem mensium pro utraque dioecesi acceptare,

ptionem positam in Regula favore S. R. E. Cardinalium, *et indultum conferendi beneficia reservata concessum* Cardinali Episcopo *non suffragari* Capitulo *ratione communionis, et consortii iuxta declarationem fel. rec. Urbani VIII. editam die* 10. *Septembris* 1626 (1).

XLV. *More Romano dies a media nocte incipit, et sequentis noctis media parte finitur.* Paulus tradit (2): dies nimirum civilis, et legittimus. Nam ecclesiasticum pro rebus liturgicis, et sacris a vespera ad vesperam procurrere, definiunt sacrae utriusque testamenti Litterae (3). Itaque mensis quum apostolicus, tum ordinarius Romano more civili incipit a media nocte diei, qui mensem superiorem terminat (4). Et quoties in facto dubium emerserit, utrum ante, an post mediam eiusmodi noctem extremam beneficium vacaverit, ut inde definiatur utri mensium apostolico ne, an ordinario sit referenda: quaestio erit in iudicio aliquando horologiis bene instructis citra fraudem, et gallicinio, testibus nimirum idoneis, qui pulsatas in Paroecia, vel vicinia horas, et gallos cantantes audiverint, vel horarum indices mutos inspexerint (5). Quod si probatio erit ambigua ex discordibus, vel horologiis, vel testibus: pro Ordinariis iudicandum fore tunc tenent Doctores (6).

XLVI. Quandoquidem huius Regulae IX. pars prima, limitans Ordinariis locorum ex dodrante potestatem conferendi beneficia Iure communi largitam sine ullo mensium discrimine, videtur cunctis odiosa, ideoque restringenda in casibus ambiguis reservationis, odio et favore iurisdictionis Ordinariorum. Alteram vero partem, alternos cum Papa menses dimittentem Ordinariis, favorabilem aestimant: et idcirco ampliandam, quia removet in sex mensibus ex aequo reservationis obstaculum, dimidiamque restituit collationem ordinariam. Hac ratione favoris fit, ut pos-

an acceptatio unius nomine generalim subscripta suffragaretur alteri? Negantem sententiam quum firmet nunc Regula: consequitur Episcopo, qui pro una Ecclesiarum acceptaverit alternationem, licere alternis sex mensibus huius ipsius beneficia conferre, alterius vero in quatuor mensibus ordinariis, ut consentiunt DD. cum Rigantio *par.* 2. *Reg. IX.* §. 2. *num.* 22. Idemque monent §. 5. *num.* 32., et *seq.* alternationem pro ambabus conventam non suffragari Episcopo in una dioecesium residendi pro conferendis beneficiis, quae in altera, unde abest, vacaverint in mensibus alternis. Hinc expedit eam non pro utraque acceptare, sed pro ea solum, ubi revera, et saepius resideat.

(1) Quemadmodum Capitulis Cathedralium ex *const.* 59. Urbani VIII, non suffragantur, ita vicissim non nocent Cardinalium indulta, propterea que eis non deminuunt ius conferendi, quod vel derivatum, vel commune cum Episcopo habeant, beneficia in quatuor mensibus ordinariis vacantia, aliunde non reservata, nec affecta, ex traditis a Rigantio *in part.* 1. *Reg. IX.* §. 3. *num.* 140., *et seq.*

(2) Paul. in *l. more Romano* 8. *D. de feriis.* Morem istum ab Ægyptiis accepisse Romanos ferunt. Alius aliis gentibus mos fuit. Babylonii, et Persae ab orto sole initium diei sumunt. Umbri a meridie, Athenienses a solis occasu.

(3) Genesis *cap.* 1. *vers.* 5. dicitur *factum vespere: et mane dies primus.* Levitici *cap.* 23. *vers.* 32. *a vespera ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra.* Matthaei *cap.* 28. *vers.* 1. *vespere autem sabbathi, quae lucescit in prima sabbathi.*

(4) Ex traditis a Rigant. in *par.* 1. *Reg. IX.* §. 1. *num.* 4.

(5) Rigant. *ibid. num.* 8. ad 15.

(6) Rota, Barbos., Leurent, Zypaeus, Nicolaris: ceteri apud Rigant. *loc. cit. num.* 10., *et* 17.

sit Datarius arbitratu suo episcopales acceptatae alternationis litteras etiam extra dioecesim datas admittere (1): iisque admissis valeant inde collationes beneficiorum in mensibus alternatis vacantium, quas Episcopus fecerit, quamvis ignorans admissas iam, et relatas in Datariae codicem suas acceptationis litteras (2). At onerosa contractus natura eidem alternationi mensium insita strictam postulat interpretationem in ambiguis residentiae articulis. Hinc in primis ea si hora, vel die mensis alternati, alias apostolici, puta Februarii, Aprilis, Augusti, et Octobris, in qua beneficium vacaverit, Episcopus ab sua dioecesi absit qualibet caussa, vel iustissima, quamvis quum ante, tum post vacationem resederit assidue: illud id conferre tunc prohibetur ob interruptam tali absentia gratiam alternationis (3), ipsumque Papa, tamquam vacans in mense sibi reservato confert: quia reservationem mensium non solvit, nec extinguit, sed solum suspendit in gratiam Episcoporum vere residentium alternatio conventionalis (4). 2: veram, et personalem residentiam non implere ad rem hanc iudicantur Episcopi extra suam dioecesim necessaria, vel utilia Ecclesiae suae, aut reipublicae negotia gerentes, vel sacra Apostolorum limina visitantes, vel synodum provinciae adeuntes, vel mandata Sedis Apostolicae, aut Regis obeuntes, vel curandae saluti non ultra bimestre vacantes, vel inviti, externaque vi detenti, vel in altera unitarum dioecesium residentes (5): quos aliis in rebus fictio Iuris veluti praesentes habet. 3: quoties initio mensis alternati contigerit Episcopum abesse, licet ipso vacationis die praesens is fuerit, et residere alias consueverit, collationem is toto illo mense amittit, iam tum regresso ad pontificiam reservationem (6).

XLVII. *Mobiles* propterea menses quatuor apostolicos, Februarium, Aprilem, Augustum, et Octobrem, duosque ordinarios Martium, et Septembrem, qui alternatione commutantur, maxime oportet a duobus *immotis, et fixis* Ordinariorum mensibus Iunio, et Decembre distinguere, nullam sive facti, sive iuris mutationem subeuntibus. Nam vacantia in his duobus beneficia semper ad ordinariam pertinent collationem Episcopi etiam non residentis post condictam in Dataria mensium alternationem: eiusque absentia in eisdem mensibus alternationi non officit (7). Quae vero in mensibus mobilibus eo die vacaverint, quo praesens in dioecesi non adesset Episcopus, aut initio mensium eorumdem ipse abfuisset, ad pontificiam spectare collationem, ex iam dictis constat.

XLVIII. Per regulam XI. reservantur novo cuique Pontifici ea beneficia, quae sibi Papa defunctus reservasset, et ante ipsius obitum vacantia

(1) Rigant. *in par.* 2. *Reg. IX.* §. 2. *num.* 7. *ad* 11.

(2) Rot. *dec.* 144. *num.* 9. *par.* 2. *rec.* Card. de Luca, et alii apud Rigant. *loc. cit. num.* 17., *et in Reg.* 2. §. 3. *num.* 115.

(3) Rigant. *in par.* 2. *Reg. IX.* §. 5. *num.* 13., *et* 14.

(4) Ex recepta DD. sententia contra Hieron. Gonzalez, quam firmat Rigant. *in par.* 2. *Reg. IX.* §. 4 *num.* 40., 48., *et seq.*

(5) DD. ore uno apud Rigant. *loc. cit.* §. 5. *num.* 5. *ad* 14.

(6) Corradus, Card. de Luca, ceteri apud Rigant. *ibidem num.* 23., *et* 24.

(7) Card. de Luca *de benefic. disc.* 99. *num.* 13. Corradus in *praxi benefic cap.* 6. *num.* 2., *et seq.* ceteri id usu receptum contestantes apud Rigant. *ibid. num.* 28, et 29. contra Lotterium, Gonzalez, et Rotam aliter opinantes.

non providisset. *Item declaravit*, Regula inquit, *omnium et singularum Ecclesiarum* Cathedralium (1), et monasteriorum (2) *provisiones, quas praedicti praedecessores sui ordinationi, et dispositioni eorum nec non omnia, et singula* beneficia *ecclesiastica, quae dicti praedecessores etiam praedictae dispositioni cum interpositione* decreti (3) *reservaverant* (*quae quidem Ecclesiae, monasteria, necnon sic reservata beneficia* tempore obitus *eorum praedecessorum vacabant* (4), *aut Ecclesiae ipsae, vel monasteria huiusmodi, si commendata, vel eius administratores deputati non fuissent, etiam tunc vacassent*) *remansisse, et remanere per huiusmodi reservationem, et decretum* affecta, *nullumque de illis praeter Romanum Pontificem ea vice se intromittere, vel disponere potuisse, sive posse quoquo modo.* Pauli II. perpetua constitutio quamvis extravagans anno 1464. iam declaverat, *effectum reservationis, manusque appositionem Pontificum praedecessorum in beneficiis* familiarium Papae, et Cardinalium, collectorum, subcollectorum, et officialium Romanae Curiae *in esse productum per obitum ipsorum* pontificum *nequaquam censeri debere revocatum* (5). Mox Innocentius VIII. anno 1484., primus huius Regulae XI. conditor eam generatim extendit ad Cathedrales, et monasteria, et omnia beneficia quomodolibet reservata *cum interpositione decreti* scilicet irritantis. Et quoniam singulis Cancellariae Regulis beneficia reservantibus, quae sunt hactenus expositae, adponi iamdudum consuevit clausula huiusce irritantis *decreti*: patet cur beneficia omnia quomodolibet reservata ratione vel personarum, vel dignitatis, vel loci, vel mensium afficiat haec Regula, quae nimirum vacaverint ante obitum Pontificis reservantis, ab eoque sint collata nemini.

XLIX. Regula LXVIII. demum reservat beneficia temporaneis Regulis, et constitutionibus reservari solita, quae vacante Sede Apostolica va-

(1) Cathedralium reservationem generali, et perpetua constitutione non imperatam, superius monui *num.* 37. Adde quod Bonifacius VIII. in *cap. si eo tempore* 45. *de elect. in VI.* speciatim consuevit sibi non omnium, sed alicuius dumtaxat cathedralis Ecclesiae provisionem reservare cum decreto irritanto non praecedentia, sed subsecuta post reservationem acta electionis, et confirmationis. Tum Synodus Tridentina in *cap.* 1. sess. XXIV. *de ref.* nihil innovandum censuit, quod ad eos *omnes, et singulos. qui ad promotionem* Episcoporum *quodcumque ius quacumque ratione a Sede Apostolica habent.* Hinc Sotus Cancellariae Regulam II., eas reservantem exponens putavit Capitulis cathedralium licere novum Episcopum eligere, si praedecessor mortem papali Sede vacante obiret. At usu praevaluit sententia vim perpetuam reali Cathedralium reservationi, quam Regula II. statuit, adiudicans, ex traditis a Rigantio *in Reg. IX. n.* 13., *et seq.* Proficua inde videtur dispositio huius Regulae XI.

(2) Videsis dicta superius *num.* 38.

(3) *Decreti* puta *irritantis* quaslibet aliorum provisiones de reservatis, et affectis, quod ita concipitur: *decernentes ex tunc irritum, et inane, si secus super praemissis, et quolibet eorum per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.* His enim verbis expressum legitur in Ioan. XXII. *extr. debito* 4. *de electione.* Benedicti XI. *extr. ad regimen.* 13. *de praebendis*, et in Cancellariae Regulis.

(4) Scilicet ante obitum Pontificis reservantis, secus vacantia post eius obitum, et Sede ipsius vacante.

(5) Paul. II. in *extr. ad Romani Pontificis* 14., *et ult. de praebendis* in extr. comm., de qua dictum superius *num. XXVI.*, et *XXVII.*

caverint, Ordinariique locorum, vel neglexerint interea providere, vel non iure providerint: *Intendens tam conclavistis , quam pauperibus clericis, et aliis benemeritis personis providere: omnia, et singula beneficia* (inquit) *per Regulas Cancellariae Apostolicae, aut quaslibet alias apostolicas* constitutiones temporales *Romani Pontificis pro tempore existentis dispositioni quomodolibet, et ex quavis caussa reservari solita, quae die obitus praedecessoris sui usque ad diem* novae promulgationis Regularum *vacaverunt, et de quibus per quoscumque Ordinarios collatores tunc dispositum non fuerat* (1), *seu minus valide dispositum fuerat, suae provisioni, ac dispositioni reservavit.* Quum temporaneae reservationes obeunte Pontifice statim expirent, ipsoque iure ad Ordinarios tunc redeat libertas conferendi beneficia mobiliter reservata, quae interim vacaverint, hanc ipsis vel negligentibus, vel male abutentibus rursum adimit haec Regula. Parochiales autem Ecclesiae curam animarum habentes videntur ex utraque Regula LXVIII., et XI. excipiendae: quippe quas etiam in Curia, et apud Apostolicam Sedem vacantes Ordinarii locorum possunt eadem Sede vacante in utroque casu conferre ex Bonifacii VIII. constitutione superius exposita (2), quamvis beneficia etiam cum cura animarum sint expresse reservata. Nam Rota censuit, quod generalis quaelibet omnium beneficiorum reservatio curata beneficia non complectitur, nisi haec nominatim exprimantur (3): in ambabus autem Regulis silentio praeterita quidem sunt. Sunt vero qui curata etiam hisce duabus Regulis, perinde ac cetera omnia subiiciunt: quamquam consentiant ordinariis ex laudato Bonifacii textu adhuc licere, donec pontificatus vacuus erit, reservatas conferre parochiales (4).

L. Facultates conferendi reservata, et affecta, quas quibuslibet Ordinariis praedecessores Pontifices indulserint, Cardinalibus tantum exceptis, revocat Regula XV. his verbis concepta: *Item revocavit quascumque facultates, et litteras desuper confectas, per quas quicumque sui praedecessores Romani Pontifices* (5) *quibusvis personis* ordinariam collationem, *seu aliam dispositionem* (6) *beneficiorum ecclesiasticorum de iure, vel* consuetu-

(1) *Mora sua cuilibet est nociva*, inquit Bonif. VIII. in *cap. mora 25. de Reg. Iur. in. VI.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. si Apostolica 35. de praeb. in VI.*, supra laudatus *n. 17.*

(3) Rota in *Maioricensi parochialis 10. Ian.* 1681. coram Ursino, et DD. apud Rigant. *in Reg. XI. num., 25., et seq. et in Reg. LXVIII. num. 14., et seq.*

(4) Gonzalez *in Reg. VIII. gl. 6. num. 17, et seq.* Card. de Luca *de benefic. disc. 25. num. 4., et 5.* Lotterius *de re beneficiaria cap. 27. num. 74.* Rota in *Milevitana parochialis* 13. *Martii* 1684, coram Rondinino, apud Rigant. *loc. cit.*

(5) Quum par in parem non habeat imperium: patet cur Supremus quisque Pontifex, perinde ac Princeps legibus praedecessorum suorum solutus est: *l. princeps 31. D. de legibus.* Et quoniam indulta, et privilegia sunt *leges privatorum, quasi privatae leges*, ex definitione S. Isidori in *can. privilegia 3. dist. 3.* iure merito receptum est, quod Successor sive Pontifex, sive Princeps valeat indulta, et privilogia a decessoribus concessa abrogare, *Rot. dec. 200. num. 16. par. 9. rec.*, et alibi, et Doctores passim. Proptera *constitutiones tempore posteriores potiores sunt his, quae ipsas praecesserunt*, ex textu Modestini in *l. 4., et ult. D. de constit*, et Bonifacii VIII. in *cap. 1. de const. in VI.*

(6) Extraordinariis ergo collatoribus concessa indulta heic non revocantur: dum eos tantum, qui *iure*, vel *consuetudine ordinariam* habent conferendi potestatem,

dine (1) *habentibus*, *et quavis etiam patriarchali archiepiscopali*, *vel alia* dignitate (2), *vel alia, non tamen* Cardinalatus (3) *honore fulgentibus*, *quavis consideratione, vel intuitu* (4), *etiam motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine cum quibusvis clausulis*, *etiam derogatoriarum derogatoriis, ac irritantibus, et aliis decretis, quorum tenores haberi voluit pro expressis* (5), *concesserant*, *ut quamdiu viverent, vel suis Ecclesiis, vel monasteriis praeessent, aut ad* aliud tempus (6) *de beneficiis ec-*

Regula haec palam afficiat. Capitula Cathedralium, et Collegia Canonicorum inter ordinarios collatores accensenda videntur ex voto Fagnani apud Rigant. *in Reg. XV. num.* 40., *et seq.* Alia vero Collegia, et universitates inter extraordinarios ab hac ipsa Regula exemptos, ex adverso voto D. de Vecchis apud eumdem Rigant. *loc. cit. num.* 31., *et seq.* quale est collegium Auditorum palatii, de quo loquitur Gonzalez *ad Reg. VIII. gl.* 37. *num.* 21. Kochier, Rebuf., ceteri a Rigantio laudati *num.* 33. Et quoniam de *personis* loquitur haec Regula, non de Collegiis, personaeque appellatio collegia, et universitates fere non complectitur in odiosis. Card. de Luca *de benefic. disc.* 13., cum iam dicta de Vecchis, et Ludov. Engel. *iur. canon. lib.* 3. *tit.* 5. *de praeb.* putat indulta Capitulorum Germaniae speciatim inter alia huic generali revocationi minime subiacere.

(1) Consuetudinem puta communem, seu generalem, qualis est ea Capitulorum Cathedralium, Praelatorumque inferiorum nullius dioecesis. Secus profecto iudicatur de variis locorum consuetudinibus particularibus, et statutis. Nam Bonifacius VIII. in *cap.* 1. *de constit. in VI. licet Romanus Pontifex*, ait, *constitutionem condendo, posteriorem* (*quamvis de ipsa mentionem non faciat*) *revocare noscatur: quia tamen locorum specialium*, *et personarum singularium consuetudines*, *et statuta*, *cum sint facti*, *et in facto consistant*, *potest probabiliter ignorare: ipsis*, *dum tamen sint rationabilia*, *per constitutionem a se noviter editam* (*nisi expresse caveatur in ipsa*) *non intelligitur in aliquo derogare.*

(2) Legatos Apostolicae Sedis *instar proconsulum, et praesidum, quibus certae sunt decretae provinciae moderandae*, *ordinarios* reputavit, eorumque officium idcirco per obitum Pontificis non expirare declaravit Bonifacius VIII. in *cap. legatos* 2. *de offic. legat, in VI.*, quamvis eos nullam conferendi beneficia potestatem habere sine speciali Sedis Apostolicae indulto, idem statuerit in *cap.* 1. *eod. tit. in* VI.

(3) Cardinales non modo Episcopatuum administratores heic exceptos puto, sed a latere etiam Legatos, qui indulto speciali opus non habent, ut Legati simplices, ad conferenda in provinciis suis beneficia ordinario suae legationis munere, ex *cap.* 1., *et* 3. *de off. legat. in* VI.

(4) *Intuitu* etiam meritorum. Nam indultum Religioni Hierosolymitanae concessum ex merito laborum in bello contra Fidei hostes quam huic, tum aliis Cancellariae Regulis subiectum censuit Rota *dec.* 626. *num.* 45. coram Molines, et *dec.* 673. *num.* 12. coram Caprara. Secus iudicandum videtur de indultis, quae Ecclesiarum fundatores, ac dotatores ex caussa onerosa, et quasi contractu obtinuerint in limine fundationis, ac peculiari statuto: quum generali quavis constitutione isthaec revocata fere numquam censentur, ex iuris axiomate in *cit. cap.* 1. *de const. in VI.*

(5) Istae quamvis graviores, et redundantes clausulae generales ad specialia fundatorum indulta, et conventionalia, seu onerosa privilegia, quorum sanctior est fides, extendere durum negotium est, ac difficillimum. His porro casibus *decet concessum a Principe beneficium esse mansurum*, ex Bonif. VIII. *cap. decet* 16. *de Reg. Iur. in VI.*

(6) Personalia quidem perpetua, seu ad vitam alicuius personae duratura, hisce verbis revocari, non item *realia* certis Sedibus, Ecclesiis, locis, dignitatibus, col-

clesiasticis generaliter reservatis, seu affectis (1) *ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem communiter*, *vel* divisim (2) *spectantibus disponere libere*, *et licite valerent* (3), *aut etiam ad id per eosdem praedecessores* vicarii *perpetui*, *vel ad tempus constituti forent*.

LI. Stricti quidem Iuris quum sint omnes, et singulae reservationes, eisque non raro abutantur impetrantes ab Apostolica Sede beneficia tamquam reservata, et affecta, quae reapse talia non fuerint, in fraudem Ordinariorum: cautum est Regula XVIII: ut quibuslibet Sedis Romanae litteris, *commissionibus*, *mandatis*, *declarationibus*, *motu* etiam *proprio* factis, vel faciendis tollatur nemini *ius* suum *quomodolibet quaesitum*. Stylus inde invaluit in apostolicis litteris suum cuilibet quaesitum ius reservandi, collationem quoque ordinariam, ubi non sit reservatio per has nimirum consuetas clausulas: *dummodo collatio ad nos hac vice pertineat*, vel *dummodo tempore datarum praesentium non sit alteri ius quaesitum* (4).

LII. Incudi nunc reddenda est varietas reservationum hactenus expositarum, ut earumdem vis, et usus in hoc praesertim Regno dissentaneis opinionibus obscuratus inclarescat, et quoad fieri possit, ambagibus extricetur. Unicam in Corpore Iuris clausam vulgo dictitant reservationem beneficiorum *apud Sedem* Romanam vacantium per cuiuscumque beneficiarii nedum curialis, sed nullo nexu Romanae Curiae obstricti naturalem obitum Romae, vel in accessu ad eam Urbem, aut regressu intra duas inde diaetas contingentem, ex Clementis IV., et Bonifacii VIII. consti–

legiis in perpetuam concessa indulta, non temere observat Lud. Engell. *loc. cit.* Et nonnisi personis congruunt ea alia huiusce Regulae postrema verba: *vicarii perpetui*, *vel ad tempus*. Nam Clemens IV. in *cap. ne aliqui* 5. *de privilegiis in* VI. a limitationibus indultorum apostolicorum excipit expresse privilegia ratione *Ordinum*, vel *locorum* concessa.

(1) Quum Regula IX. revocet specialia indulta disponendi de beneficiis, quae in quatuor, vel sex mensibus apostolicis vacaverint, ex supra iam dictis *num.* 43: isthaec Regula XV. latius patens revocationem extendit ad quaevis indulta de quibuslibet generatim reservatis ratione loci etiam, et personarum, et dignitatis, et quovis alio modo affectis.

(2) Collineant quidem haec vocabula ad complectendum Capitula Cathedralium.

(3) Quoties ergo libertatem disponendi ad libitum suum non habeant ordinarii collatores de beneficiis passivo iuri obnoxiis, quod indultum ex. gr. sit civibus alicuius loci originariis ea lege, ut extranei ab eiusmodi beneficiis arceantur: locum non esse huic Regulae, pluries a Rota definitum fert Rigantius *ibidem num.* 30. ius *optionis* itidem passivum, quod fundationis lex, vel statutum Ecclesiae Canonicis senioribus reservaverit, an ista revocatione similiter exemptum videtur. At illud *optandi* ius, quod *indulto speciali*, seu privilegio Sedis Apostolicae concessum fuerit, revocationi huius Regulae subiiciunt DD. cum Rota penes Rigant. *loc. cit.* num. 21., *et seq.*

(4) Cum Iure id communi consonat. Nam Innocentius III. in *cap. causam* 18. *de rescriptis* decrevit *viribus* omnino *cariturum*, quidquid constiterit *in alterius praeiudicium attentatum* occasione pontificii rescripti. Idipsum firmat Honorius III. in *cap. quia intentionis* 29., et Greg. IX. in *cap. dudum* 31. *de privilegiis*. Huc spectat Bonifacii VIII. regula in *cap. indultum* 17. *de Reg. Iur. in VI:* indultum *a Iure beneficium non est alicui auferendum*.

tutionibus superioribus recitatis, quae prostant in Sexto Decretalium (1): *Haec est vera, et propria vacatio* apud Sedem, *quae etiam est unica, et sola clausa in Corpore Iuris*, scribit Rigantius (2). Hanc ipsam propterea esse ubique receptam, et usu apud nos etiam vigere, dubitandum non est.

LIII. Vacare *apud Sedem*, vel *in Curia Romana* promiscuo sensu dictum a Clemente IV., et Gregorio X., paulo ante iam observavimus (3). Causidicis autem, ac ministris in eo foro versatis placuit discrimen inducere, alteramque ab altera vacatione distinguere, velut speciem a genere. Nam vacatio *in Curia*, tamquam genus ab iis dicitur ea esse, quae obvenit nedum ex beneficiariorum naturali morte in Urbe, vel intra duas ab ea diaetas, sed morte etiam civili, puta professione regulari, et quovis alio actu in ea expleto, nimirum transitu clerici ad statum coniugalem, laicamve militiam, aut promotione ad dignitates incompatibiles, aut ex resignatione voluntaria, aut ex depositionis, ac privationis sententia, insuper ex qualitate personarum, quae Sedi Apostolicae, ipsiusque Curiae adhaerent, mortem ubivis oppetentium (4). Diversa haec notio usu iam invaluit: sed plurimum in ea negotii est ex variis vacationum speciebus, quas generatim *vacatio in Curia* complectitur, alias antiquis etiam canonibus, et quotidiano usu concordi postulantes collationem pontificiam, placitumque regium inoffenso pede obtinentes, alias regii placiti offendiculum incurrentes. Plane vindicant Papae iura communia receptissima collationem in resignationibus beneficiorum, quae favore alicuius fiunt in manibus ipsius Papae, suique Legati a latere (5), in vacantibus per assecutionem incompatibilium ab Apostolica Sede impetratorum, vel ob fraudolentam eorum resignationem (6), aut per sententiam privationis in Curia Romana, vel Apostolica delegatione prolatam (7), aut lite inibi pendente (8), aut in commendis, et pontificiis erectionibus (9). Beneficia Cardinalium ubicumque procul ab Urbe morientium *in Curia* utique vacant, eorumque pontificiae collatio-

(1) Clementis IV. in *cap. licet.* 2., et Bonif. VIII. in cap. *praesenti* 34. *de praebendis in* VI., de quibus supra *num.* 13., *et* 15.

(2) Rigant. in *Reg.* 1. *Canc.* §. 1. num. 35., *et* 361. *to.* 1.

(3) *Num.* 14.

(4) Rigant. *loc. cit. num.* 37., *et seq: Videntur differre*, ait *vacatio* apud Sedem, *et vacatio* in Curia, *tamquam genus, et species... Nam vacatio* in Curia *est genus, quod continet sub se duplicem vacationis speciem, nempe eam, quae sequitur per obitum* naturalem et *eam, quae contingit per quemlibet actum completum in Curia, quaeque assimilatur morti* civili. Addit *num.* 43. Improprie *igitur, et nonnisi lato modo vacantia* apud Sedem *accipi potest pro quacumque vacatione* in Curia. . . *Quemadmodum extravag.* ex debito de elect. *inter comm.*, *dum*, ait, *quod* apud Sedem *ipsam* vacare *intelligantur beneficia*, *quae* . . . per privationem . . . *vacare contigerit: aliter intelligi non debet*, *quam de vacatione* impropria, *et lato modo sumpta*. Ideoque addit *num.* 74, quod reservata Regulis Cancellariae, et apostolicis constitutionibus beneficia generatim dicantur lata notione in Curia vacare.

(5) Ex supradictis *num.* 16., *et* 40., et infra dicendis *num.* 68.

(6) Ex *cit. num.* 40., et inferius *num.* 57., *et* 62.

(7) *Num.* 58.

(8) *Num.* 59.

(9) *Num.* 68.

nes liberam cum regio placito sortiuntur executionem (1). Idipsum consuevit iamdudum servari in beneficiis familiarium, et officialium Romanae Sedi, vel Curiae revera adhaerentium. Secus autem in aliis, quae *in Curia* simul vacare beneficia dicuntur ex adventitia qualitate personarum, seu ex privilegio puta *protonotarii* extra numerum, collegiumque participantium (2), vel adsistentis pontificio solio Praelati, qui extra Urbem residens inter domesticos Papae cooptetur, aliusve id genus honorifici tituli. Adde quod stylus in Cancellaria Romana adhuc vigeat expediendi pontificias collationes beneficiorum ex decreto, vel resignatione, vel matrimonio in Urbe contracto, ceteris ex caussis eiusmodi vacantium cum expressione *vacationis apud Sedem* (3).

LIV. Et *iuris*, et *facti* vacatio *in Curia* quum saepe indicavit, et varios effectus alterutra seiunctim ab utraque simul pariat pro diversis casibus: oportet peculiarem vacationis speciem vel simplicem, vel mixtam, quae sit in litteris pontificiae collationis expressa, dispicere. Beneficium *de facto* vacare per obitum beneficiarii, vel per puram ipsius, liberamque dimissionem, seu renunciationem ideo dicitur: quia omnino vacua manet illius possessio naturalis, et corporea, quae *plus habet facti, quam iuris* (4). Et vicissim vacans *de iure* dicitur, quod per vitiosam, irritamque collationem quispiam obtinuerit, vel rite, ac recte obtentum audeat post adeptum aliud incompatibile, aut post sententiam privationis a lege, vel iudice rite prolatam retinere contra ius, iniustam illius possessionem animo, et corpore non dimittens. Indulta pontificia Cardinalium de conferendis reservatis locum fere habent in vacationibus *de facto* extra Curiam: non *de iure* in Curia contingentibus (5). Illius beneficia, qui promovetur in Curia ad Episcopatus, vel dignitates quasi Episcopales, aliasque incompatibiles, eo ipso vacant *de iure* in Curia (6) ex decreto eiusmodi vacationem declarante, quod singulis incompatibilium collationibus adiicitur. Quoniam vero in cedula Concistorii consuevit provisio Episcopatuum decerni *cum retentione compatibilium* (7): haee olim retentio vacationem iuris in Curia impediens caussa erat, ut retenta sic beneficia vacarent exinde per obitum, vel cessum de facto (8). Nunc autem vacant eo ipso in Curia de iure, *suspenso usque ad obitum effectu vacationis* ex clausula id ita declarante, quae de stylo adiicitur abhinc aevo Clementis X., quoties Apostolica Sedes promovendis indulgeat compatibilium retentionem (9). Hinc pronum est iudicare, quando *iuris vacationis in Curia* postulent collationem pontifi-

(1) Ex supra iam dictis *num.* 30.
(2) De his dictum superius *num.* 32.
(3) Id quod Rigantius tradit in *Reg. I. Cancell.* §. 1. *num.* 47.
(4) Inn. III. in *cap. cum nostris* 6. *de concess. praeb.*
(5) Rota *dec.* 13., *et* 14. post Novarium, et Rigant. *in Reg.* 1. *Cancell.* §. 7. *num.* 249., *et seq.*
(6) Gl. in Clement. 1. *ut lite pendente* verb. *collatio* Rota *dec.* 599. *par.* 18. *dec.* apud Rigant. *loc. cit. num.* 189.
(7) Ex traditis a Parisio *de resignat. benefic lib.* 3. *qu.* 1. *num.* 85.
(8) Rot. *dec.* 599. *par.* 18. *rec. to.* 2. apud Rigant. *loc. cit. num.* 205., *et seq.*
(9) Rota *dec.* 673. *num.* 4. coram Caprara, Card. de Luca *de benefic. disc.* 143. *num.* 16. Rigant. *loc. cit. num.* 223. *et seq.*

cium, posthabitis Ordinariorum etiam Cardinalium provisionibus, quae sint per obitum extra Curiam.

LV. Curialium insuper omnium, et familiarium Papae, ac Cardinalium reservata generatim beneficia dicuntur *in Curia* vacare, etiamsi mors ipsis extra eam obvenerit (1): quia Curiae nexu eos non solvit temporanea inde absentia. At Cardinales vigore communis indulti mandatam obtinent potestatem conferendi vacantia *extra Curiam* (2) beneficia reservata etiam *ratione mensium, aut quod illa obtinentes fuissent familiares ficti praedecessorum Pontificum, aut Sedis Apostolicae notarii, subdiaconi, archipresbyteri, capellani, litterarum apostolicarum scriptores, abbreviatores, cubicularii, nuncii apostolici, et subcollectores, seu quicumque alii dictae Curiae, et Sedis officiales praesentes, et futuri quocumque nomine nuncupati fuerint* (3). His ergo officialibus, et curialibus extra Curiam morientibus beneficia eorum Cardinales ex indulto conferunt: quamvis fictione iuris dicantur in Curia vacare, ob fictam Papae familiaritatem eis adpositam. Sed non item vacantia per obitum aliorum Apostolicae Sedi, et Curiae adhaerentium vel dignitate Cardinalatus, vel nexu vere familiaritatis pontificiae (4), qui extra Curiam obiverint.

LVI. Eorum beneficia, qui Romae ad minores dignitates promoverunt, dimittenda *ex decreto* pontificio, sive in Corpore Iuris, sive extra illud reservata putaveris, eatenus aestimantur *in Curia*, et *apud Sedem* vacare (5), ut Cardinales nequeant ea vi communis indulti umquam conferre (6). Idipsum eadem ratione iudicatur in aliis antedictis Iuris vacationibus in Curia, nonnihil mox relegendis.

LVII. *Resignationes* porro, quae ab ipsis promovendis quomodocumque ubilibet fiant in fraudem reservationis, eamdem *in Curia* vacationem *iuris* producunt (7), quae limitat Cardinalibus indulti usum. Cuiusmodi vacatio quum in ipso promotionis die contingat ex decreto iam supra exposito: per Regulam XXVI. idcirco revocantur in primis *quaecumque concessiones, gratiae, et mandata, etiam motu proprio, et cum derogatione huius constitutionis*, *quae ab* ipso Pontifice *pro quibusvis personis emanave-*

(1) Ex Io. XXII. extrav. *ex debito* 4. *de elect.*, *et* Bened. XII. extr. *ad regimen* 13. *de praebendis*, iam supra expositis *num.* 23., *et* 25.

(2) Rota *dec.* 599. *n.* 12., *et* 13. *par.* 19. *rec.* Card. de Luca *de benefic. disc.* 103. *num.* 5, Rigant. *loc. cit. num.* 75., *et* 77.

(3) Ipsa indulti verba sunt, quae tradit Rigant. *in Reg.* 1. §. 4. *num.* 14. 18., *et* 251.

(4) Sicuti observat Rigant. *ibidem num.* 15. 23. 26. *et seq. Non enim huiusmodi mandata*, seu indulta apostolica, *quorum fines diligentes servari oportet, debent ad casus alios, quam expressos, extendi*, ait Bonifacius VIII. in *cap. cui* 27. *de praebendis in VI.*

(5) Rota coram Coccino *dec.* 1448. *in fin.* in voto apud Capon. *discept.* 10, Rosa *de execut. lit. apost. in addit. ad cap.* 6. *num.* 172.

(6) Rota *dec.* 599. *par.* 18. *rec.* et *dec.* 673. coram Caprara *to.* 2. apud Rigant. *in Reg.* 1. §. 1. *num.* 83: quidquid secus antea sensisset pro Cardinalibus eadem Rota in Mediolanensi beneficiorum 13. *Martii* 1673. coram Albergato penes Novarium, et in Neapolitana benefic. 29. *Ian. et* 26. *Nov.* 1683, Gonzalez *ad Reg. VIII. gl.* 13. *num.* 60., *et seq.*

(7) Ex antedictis *num.* 50.

rint, *de providendo eis de quibusvis beneficiis* vacaturis per **promotionem** *quorumcumque ad Ecclesiarum, et monasteriorum regimina*, si huiusmodi *concessiones*, *et mandata* diem promotionis *promovendorum ipsorum* praecesserint (1). Dein irritantur *quaecumque collationes, provisiones, et dispositiones pro tempore faciendae de praemissis, et quibusvis aliis beneficiis ecclesiasticis saecularibus*, *quae* per promovendos, *et assumendos ad quascumque praelaturas* inter *illarum vacationis, et huiusmodi promotionis, vel assumptionis*, tempora *simpliciter*, *vel ex caussa permutationis*, ubicumque (2) *resignari, vel alias dimitti contingerit* (3). Quoties Apostolicae Sedi videlicet per dolosam obreptionem reticeatur a resignantibus vacatio ex decreto promotionis, et collatio inde fiat ex vacationis per cessum. Permutatio insuper beneficii liberi cum reservato, vel affecto nonnisi coram Summo Pontifice facienda est: quum in ea commisceantur mutuae permutantium resignationes, et mixtura isthaec reservationem, affectionemque beneficio libero communicet (4).

LVIII. Ex iudicio in Curia Romana pronunciato de criminibus clericorum, et *sententia*, quae inibi eos deponat, vel privet beneficiis, aut ipso facto depositos, privatosque declaret, oritur etiam *iuris vacatio in Curia*, quamquam absentes ii a loco iudicii fuerint (5). Sunt qui putant id locum habere in criminibus positivis, nimirum haeresi, simonia, falsitate litterarum apostolicarum, homicidio, sortilegio, ceteris id genus (6): non item in aliis negativis, videlicet residentia non impleta, promotione ad ordines neglecta, pensione non soluta, contendentes in his casibus non sententiae locum, sed ubi degat is, in quem ea fertur, spectandum fore (7). Sed non tuta videtur eiusmodi distinctio. Quoties in iudicio appellationis Romana tribunalia probaverint sententias Episcoporum, quibus clerici non residentes, non promoti, aut in crimina prolapsi suis priventur beneficiis, vel deponantur, easque mandandas executioni decreverint: vacationem extra Curiam evenire tunc putaverim.

LIX. Litigiosum quodvis beneficium Iure communi videtur tacite quodammodo reservatum Summo Pontifici, quia de eo nequeunt Ordinarii locorum lite indecisa disponere: etiamsi collitigantium altero defuncto, vel suis alteri iuribus cedente supersit unus, beneficiumque ipsum nulla alia reservatione sit affectum (8). Nam Bonifacius VIII, ita statuit: *Si hi*,

(1) Quia redolent gratias expectativas a Tridentinis Patribus improbatas, et reiectas, ut superius monui *num.* 10.

(2) Isthaec verba sanctionem huius Regulae palam extendunt ad fraudulentas eiusmodi resignationes tam in manibus Papae, quam coram Ordinariis locorum attentatas, Rot. *dec.* 791. *par.* 1. *diu.* Cordiala *dec.* 254. *num.* 30., Paris. *de resignat. lib.* 3. *qu.* 6. *num.* 15, Rigant. *in Reg. XXVI. num* 176.

(3) Posteriorem hanc Regulae XXVI. partem videsis explicitum supra *num.* 40.

(4) Cardinalis de Luca in *sum. de benefic. num* 90.

(5) Rota coram Verallo *dec.* 64., *et* 327., Passerin. in *cap praesenti* 2. *de praeb. in VI. num.* 7. Gonzalez *ad Reg. VIII. Canc. gl.* 13. *num.* 45.

(6) Quaenam crimina privationem beneficiorum vel ipso iure latam, vel ab homine ferendam promereantur, singulatim dicam in *cap. ult. huiusce tract.*

(7) Id sensisse unum ex Praelatis apud Rotam *dec.* 506. *par.* 4. *rec.*, *et dec.* 117. *par.* 15. *rec.* observant. Card. de Luca *de benef. disc.* 77. *in fin*, et Rigant. *in Reg.* 1. *Canc.* §. 1. *num.* 63.

(8) Card. de Luca *de beneficiis disc.* 92. *num.* 20.

contra quos super dignitatibus, personatibus, vel aliis ecclesiasticis beneficiis, quae possident, litigatur, lite pendente cedant, *vel forte* decedant, *ne propter novos adversarios, qui malitiose interdum petitoribus subrogantur, litigia in Ecclesiarum dispendium prorogari contingat: statuimus, ut dignitates, personatus, vel beneficia huiusmodi, donec contra superstitem lis finita fuerit, aliis nullatenus conferantur, nec ad ea eligatur quispiam, vel etiam praesentetur: quod si secus actum fuerit, eo ipso irritum habeatur* (1). Eodem iure Honorius III. ab Archiepiscopo Coloniensi consultus, quid esset agendum in caussa electionis coram ipso Archiepiscopo etiam ut arbitro delata inter Hermannum de Viliaco, et Corradum de Borbardia Colonienses canonicos super eorumdem electione ad Praeposituram S. Cuniberti extra muros Coloniae, quum defuncto ante archiepiscopalem sententiam Hermano Brunum de Abech supereligere quidam canonici tentassent: rescripsit, quod Archiepiscopus, etsi compromissum Hermani morte iam evanuisset, iudiciariam adhuc notionem de priori electione prosequeretur: *Nam si forte* (ait) *praedictus Corradus qui est superstes, in electione ius habet, de qua compromissio facta fuerat in Archiepiscopum, electionem secundo factam constat penitus non valere* (2).

LX. *Litigiosum* plane dicitur beneficium non illico post litem super illius *titulo*, ac proprietate vix motam ab eo, qui ad se illud pertinere contendat, solo scilicet istius libello delatam in foro competenti, sed postquam iudex proprius eam adversae parti nunciandam decreverit, et executor famulus inde nunciarit reapse, nunciatamque apud acta retulerit (3). Super *titulo* inquam: quoties nimirum inter ambo collitigantes ius quaesitum *in re* ex accepta collatione, seu institutione, vel ius *ad rem* ex dissentaneis patronorum eligentium, seu praesentantium votis in quaestione fuerit, vel alter a patronis nominatus, aut ab Ordinario provisus alteri obiecerit subreptionem, aliamve nullitatem collationis apostolicae (4), vel altero ex resignatione, vel permutatione controversa beneficium possidente, alter ad illud regressum postulaverit (5). Lis autem inter patronos, vel collatores incoepta, et contestata, qui de iure vel praesentandi, et eligendi, vel conferendi contendat, beneficium interea vacans non efficit litigiosum (6), quod ad subrogationis effectum: nec ubi controvertatur, utrum regulare, an saeculare sit beneficium (7). Nam quaestiones huiusmodi super *qualitate*, ac *statu* beneficii ad titulum, et proprietatem illius non pertinent, nec super optandi iure, vel unione, vel incompatibilitate, quae nullam tituli controversiam involvant (8). At litigiosi qualitas evanescit, quotiescum-

(1) Bonif. VIII. in *cap. si hi contra* 2. *ut lite pend. nihil innov. in VI.*

(2) Honor. III. in *cap. ex parte tua* 10. *de arbitris*. Hunc textum solemni sortitione acceptum in primo concursu ad cathedram Decretalium explicui in hac Neapolitana studiorum Universitate an. 1741.

(3) Clement. *ult. ut lite pendente nihil inn.* Rota, et DD. apud Rigant. in *Reg.* 29. §. 1. *num.* 109., *et seq.*

(4) Rota coram Ubaldo *dec.* 426. *num.* 12. par. 2.

(5) Rot. *dec.* 607. *num.* 9. *par.* 6. *dec.* 166. *num.* 4. *par.* 10. *rec.*, et coram Merlino *dec.* 528. Rigant. in *Reg.* 29. §. 1. *num.* 100.

(6) Card. de Luca *de benefic. disc.* 24., *et* 42.

(7) *Cap.* 1., *et seq. de transaction.*

(8) Rigant. *loc. cit. num.* 101., et seq.

que collitigantes de titulo, ac proprietate beneficii a lite recesserint bona fide, ac sine fraude, alter nimirum alteri sua cesserit iura per transactionem (1), vel liberam beneficii renunciationem, per decennalem desertionem (2), vel per sententiam, quae in rem iudicatam transiverit (3).

LXI. Quum reipublicae vero intersit lites nedum breviare, sed extinguere, Apostolica Sedes consuevit superstitem collitigantem in iura defuncti, vel naturaliter, vel civiliter adversarii ex gratia subrogare, ne novus ei superveniat adversarius (4). Hinc Regula XXIX. *de subrogandis collitigantibus* statuit: *quod quoties deinceps aliquem super quovis beneficio ecclesiastico* collitigantem in iure, *vel* ad ius (5), *si quod forsan eius adversario in dicto beneficio competierit* subrogari *contigerit (dummodo praedictus collitigans in dicto beneficio* intrusus (6) *non fuerit, nec super eo contra dictum adversarium, postquam illud per* triennium pacifice possederit (7), *lis tunc mota fuerit) aliorum quorumlibet de praemisso iure, sive tunc vacet, vel cum vacaverit impetrationes, vel concessiones etiam motu proprio infra* mensem (8)

(1) Lites transactionibus legitimis adeo finiri, ut non liceat eas resuscitare, iam liquet ex *l. fratris* 10., et *l. caussas* 16. *C. de transact.*

(2) Card. de Luca *de benefic. disc.* 91. *num.* 25., *et disc.* 92. *num.* 59. Confer huc *l. properandum* C. *de iud.*, et *cap.* 2. *de sent. et re iudic.*

(3) Inn. III. in *cap. cum inter vos* 13. *de sent. et re iudicata.*

(4) Subrogatio quidem his fere verbis concipitur: *D. in omni iure*, *et ad omne ius, quod dicto N. competebat, vel competere poterat, subrogamus.* Hinc patet subrogato accrescere alieno defuncti iura, sed suo ipsius non decrescere, Rota *dec.* 19. coram Falconiero.

(5) His verbis duo subrogationis fundamenta ponuntur, *lis* nimirum citra fraudem mota, pendensque, etnius reato defuncto quaesitum quomodolibet: adeo: ut alterutro deficiente, omnino corruat subrogatio. Sat nihilominus erit *litem* quomodolibet superesse, *cuius litis statum pro expresso* haberi de stylo mandant apostolicae litterae, ne generalis eiusdem narratio evocat subrogato. Verum actio *realis* tantum, quae oritur nodum ex obtenta collatione, seu institutione tam pontificia, quam ordinaria, sed etiam ex electione, seu praesentatione patronorum, litem super beneficio statuit, locumque dat gratiae subrogationis, secus actio *personalis*, qua scilicet postulet quispiam beneficiarium clericum heius, illiusve criminis reum suo fore beneficio privandum, ut illud inde is adipiscatur eoctus iam litteras Pontificias eoo purae collationis in *forma gratiosa*, ut aiunt, sed conditionalis in forma *si dignum*, aequipollentis mandato de providendo: Rota *dec.* 611. coram Cerro, *dec.* 630. coram Ubaldo, in *Bituntina iurispatr.* 25. *Iun.* 1687. coram Ursino, et alibi apud Rigant. in *hanc Reg. XXXIX.* §. 1. *num.* 41. et 43.

(6) Intrusum in primis, qui beneficium mala fide, aut sine collationis, vel institutionis titulo, aut sine decreto iudicis auctoritate propria praeoccupaverit, favore subrogationis indignum hacc Regula declarat: de quo Rigantius in §. 2. *huius Reg.*

(7) 2: Calumniosum quoque petitorem, qui sero moverit litem triennali pacifico possessori non simoniaco, neque intruso peremptam, et vetitam ex Clement. *un. de sequestr. possess.* et Cancellariae Regula XXXVI. *de triennali* exponenda inferius *cap.* 15. *de quasi possessione.* Quod si triennalis ipso possessor in iudicium provocasset iactantes ius contra ipsum habere, ex *l. diffamari C. de ingen. et manum*, iique intra triennium non comparuissent: possessionis suae tranquillitatem non amisit, locumque subrogationi etiam interclusit: Rota *dec.* 327. *num.* 8. coram Cerro apud Rigant. in *hanc Reg*: §. 2. *num.* 41. Hinc in Rota Romana stylus invaluit non exequendi gratiam subrogationis, nisi postquam subrogatus aliquatenus probaverit ius fovere bonum, Rigant. *ibidem num.* 111.

(8) Heic quidem non cogitur superstes intra mensem a die, quo decesserit colli-

ante concessionem huiusmodi factus nullius sint roboris, vel momenti. Et nihilominus cupiens eorum fraudibus obviare, qui viventium *beneficia illorum* praesertim, *quibus, aut propter senium, aut propter infirmitatem immineret* vitae periculum (1), *eorum iuribus facilius subrogentur, valuit, ut deinceps nullus* in iure, *vel* ad ius *in beneficio* defuncti, *quod* illo vivente *in casibus similibus impetraverit, aliquo modo subrogetur, et subrogatio, vel gratia* si neutri, si nulli (2), *seu* novae provisionis (3), *aut* perinde valere (4) *taliter impetrandi nullatenus suffragetur. Quod etiam strictissime observari mandavit in impetrationibus beneficiorum per* privationem, *et* amotionem *ex quibusvis* criminibus (5), *et excessibus forsan perpetratis, etiam usque*

tigans postulare subrogationem: sed irritantur impetrationes beneficii litigiosi, quas alii expiscaverint quotiescumque subrogationem in iura defuncti collitigans petierit intra mensem a die datae impetrationis computandum. Rot. *dec.* 655. *num.* 5. *par.* 19. *rec. to.* 2. apud Rigant. in *hanc Reg.* §. 1. *num.* 6. *et seq.* At elapso mense post concessam ab iis subrogationem, collitigans tunc morosus eam frustra postulabit, ex rebus iudicatis apud eamdem *num.* 14. *et* 15.

(1) 3: Subrogatio iis adimitur, qui beneficium viventis cuiuslibet, *praesertim* senis, vel infirmi, expiscaverint fraudulenter, nullo scilicet bono iure ad exturbandum legitimum possessorem adducti cum praesciverint imminentem beneficii vacationem per cessum, vel decessum illius ex sententia Card. de Luca *de benefic. disc.* 43, *et* Rigant. *in Reg.* 29. *n.* 59. *et seq.* Enimvero impetrans bona fide, bonoque iure beneficium viventis nullo vitae periculo affecti, vel quia coelectus ex. gr., aut compraesentatus, vel competitor Ecclesiae parochialis cum illo fuisset, vel quia favorabilem suae impetrationi sententiam eo adhuc vivo iam obtinuisset: vel quaevis alia caussa locum legitimae impetrationi dedisset: nomen iste odiosum expiscatoris dolosi non adquirit, nec indignum se facit subrogationis gratia, ex Rotae decisionibus apud eosdem laudatis.

(2) Huiusmodi formas, seu clausulas esse in pontificiis collationum litteris exprimendas, patet ex Reg. LVI. *de clausulis*. Gratia *si neutri*, h. e. subrogatio cum clausula *si neutri quaesitum sit ius*, ut collitiganti solum indulgeatur proviso praesertim apostolico, aequitatis ratio postulat. Eadem extraneo dum conceditur, gratia *si nulli* vocatur, Rigant. *in Reg.* 56. *num.* 45. *et* 46. *et Reg.* 29. §. 1. *num.* 135., quae abnormis est, litesque non extinguit, sed nutrit. Gratia eiusmodi conditionalis efficit, ut ea nemini praeiudicium inferat, neque regressum adimat resignantibus reservatum, Rigant. *cit.* §. 1. *num.* 147. *et seq.* In hunc porro finem de stylo adiiciuntur eae in litteris apostolicis clausulae: *dummodo tempore datae praesentium nemini sit ius quaesitum*, et *sine praeiudicio litis pendentiae*, vel *iurium collitigantium*, et *dummodo ad Nos dispositio hac vice pertineat* etc.

(3) Dum lite pendente alter alteri colligantium iura sua cesserit, huic non subrogationem proprie, sed *novam provisionem* consuevit Sedes Apostolica indulgere, sibi caussam avocando, et litem extinctam declarando: Rigant. *ibidem num.* 20. Subrogationem indulgens hanc in rescripto Signaturae adhibet clausulam: *et litterae in forma* simplicis provisionis *gratiosae subrogationis, etiam quoad possessionem expediri possint in forma*.

(4) Gratia *perinde valere*: vitiosas nimirum litteras antea datas, ac si nullus in eis error, vel defectus irrepserit, conceditur ad priorem gratiam collationis, quae aliquo nullitatis vitio laboret, instaurandam, Rigant, in *Reg.* 44. *num.* 21.

(5) 4; Denegatur subrogationis gratia expiscantibus ante rem iudicatam beneficia ipso etiam iure vacantia ex quovis crimine, quod inferat ipso facto iacturam beneficiorum. Quaesitum porro ius in eis certum habere non possunt, quoad spem ipsi dubium foveant futurae vacationis de facto, quae pendet ex incerto iudicii criminalis exitu, sacris canonibus exosam, nisi praecesserit criminis delati, seu facti

ad definitivam sententiam, quae tamen in rem *non transiverit* iudicatam (1), *processum foret.*

LXII. Quae legitimo contradictori, seu collitiganti superstiti fiat subrogatio in alterius intra vel cedentis, vel decedentis, et ita indulgeatur, uti haec Regula XXIX. disponit, ea et civili, et canonico Iuri communi consentanea quidem est. Nam Impp. Anastasius (2), et Iustinianus (3) dum cupidos alienarum litium redemptores coercent, quatenus eis cessiones alienarum actionum plus aeque, et ultra pecuniae solutae summam non proficiant: maxime favent coheredibus, et competitoribus communium rerum, aut legatorum consortium litis legitimum inter se habentibus. Et Bonifacius VIII. ideo novas electiones, quae lite pendente post obitum, vel cessum collitigantis fiant, irritas pronunciavit, ut superstitibus electis, novi ne subrogarentur adversarii, qui lites diutius protraherent (4). Nil propterea obstat, quominus hoc in Regno eiusmodi litterae *subrogationis* pro collitigante superstite iustitiam redolentes obtineant cum regio placito executionem, quoties lis foret de beneficio liberae collationis, ubi unus concurrentium, ex. gr. ad parochialem Ecclesiam appellasset ab irrationabili iudicio Episcopi, et examinatorum, dein praee-

declaratio iudiciaria, suum non sortitur effectum vacatio iuris: Rota *dec.* 1211. *num.* 3. coram Emerix. Verum si quando Papa speciatim sanxerit beneficia ipso facto vacare ob hoc, illudve crimen, cuique daos libertatem ea impetrandi: tunc superstitem impetrantem subrogatione non indignum censet Rota apud Rigant. *in Reg.* 29. §. 2. *num.* 92. Insuper huic Regulae si Papa speciatim aliquando derogaverit, subrogationis gratiam tunc tali quoque impetranti proficuam putant DD., et Rota *ibidem num.* 97. Explorati autem iuris est, nequaquam licere beneficiario lapso in crimen, quod ipso iure privationem inferat resignare beneficium in alterius favorem: secus est in aliis criminibus, quae futuram privationem exspectant a sententia iudicis, Rigant. *ibidem* §. 1. *num.* 28. *et* 29. Hoc enim casu reus ante sententiam privationis iura sua, si cui non collitiganti cesserit, vel beneficium resignaverit: subrogationis gratiam consuevit iste obtinere cum clausula: *dummodo non cedat in potentiorem, et quatenus vera lis adsit* cum derogatione huic Regulae. Collitigans vero tunc non admittitur ad subrogationem contra cessionarium, quum ei contra hunc liceat litem prosequi caeptam cum cedente, ex traditis a Rigant. *ibidem num.* 6. *ad* 27.

(1) Quomodo, et quando sententia in rem transeat iudicatam, vel tyrones norunt. Hanc exclusionem declinandi studio impetrantes beneficia ob crimen secundi generis vacatura satagunt, ut in apostolicis litteris adiiciatur clausula: *quod si cessio fiat, facta censeatur favore ipsius impetrantis post* primam *privationis sententiam*: quae irritat resignationes in favorem alterius postea factas, DD. cum Rota apud Rigant. *loc. cit. num.* 32. *et seq.* Dum vero collitigans cessionem reapse ab accusato ante sententiam habuerit, ipso tunc *novam provisionem* obtinere ab Apostolica Sede cum avocatione caussae, litisque extinctione, sine derogatione huic Regulae *de subrogandis collitigantibus*, iam praemunui cum Rigautio *ibidem num.* 20.

(2) Anastas. in *l. per diversas* 2. *C. mandati.*

(3) Iustinian. in *l. ab Anastasio* 23. *C. eodem.*

(4) Bonif. VIII. in *cap.* 1. *et* 2. *ut lite pend. nihil innov.* In Gallia subrogationem fieri auctoritate iudicis, apud quem lis pendet, ibique locum non esse tam constitutioni Bonifacii VIII. in *cit. cap.* 2., quam Cancellariae Regulae *de subrogandis*, tradunt Rebuff. in *prax. benefic. tit.* 25. *cap.* 5. *num.* 7. *et* 9. Ordinarios quippe locorum in Gallia conferre litigiosa beneficia, posthabita Bonifacii VII. inhibitione, adfirmat etiam Rigantius in *Reg.* 29. §. 2. *num.* 195., *et seq.*

lecto ab eis defuncto, vel cedente subrogatus in iura ipsius esset, vel compatroni suum praestitissent consensum in beneficio iurispatronatus. His vero dissentientibus, et contradicentibus, ubi superstes collitigans, a minori parte, vel medietate patronorum praesentatus; pontificias impetraverit bullas gratiosae subrogationis in iura defuncti, quem altera medietas, vel maior pars patronorum praesentasset, derogantes alteri eorumdem medietati discordi: regium placitum non obtinebit. Quandoquidem Bonifacius VIII. in antedicta constitutione decrevit admittendos eos, *quorum intererit*, ad defensionem litis contra superstitem collitigantem, ubi petierint ii sese admitti in eo statu, in quo ipsam invenerint (1). praesertim qui cedentem, vel defunctum elegerint, seu praesentaverint (2).

LXIII. E contrario quas alii, praeterquam superstites collitigantes, expiscaverint subrogationis gratiosae, atque arbitrariae litteras pontificias, eae tamquam abnormes, et Iure communi, et Cancellariae Regula modo exposita quidem improbantur: quia litigia fovent, fraudesque nutriunt multiplices, et versatiles. Intrusi propterea, et possessionis triennalis turbatores, et contradictores illegitimi, et beneficia viventium dolo expiscantes, et fraudulentam cessionem adepti, vel potentiores, vel post Iuris vacationem ex crimine, ceteri eiusdem furfuris nullum ex obrepta gratia subrogationis patrocinium sibi adquirunt. Si quis autem ex cessione, seu resignatione collitigantis rite facta ante rem iudicatam ius aliquod recte quaesiverit super beneficio litigioso, collationemque apostolicam inde impetraverit cum subrogationis gratia: lis non suspenditur, sed in ea contra cedentem, seu resignantem ad ulteriora proceditur, donec successor in eius locum suffectus ad iudicium venerit, audiendus in eo exinde statu, in quo caussam repererit, ex constitutione Gregorii XIII. (3).

LXIV. Quoties legem Tridentinam violaverint Ordinarii locorum in conferendis beneficiis, eorumque provisio irrita idcirco erit: ea inde beneficia incidere in apostolicam reservationem Regula I. imperatam, iam supra innuimus (4). Huiusmodi scilicet sunt, quae impuberibus ante XIV. provideantur simplicia (5), curata vero ante XXV., dignitates, ac personatus Cathedralium sine cura ante XXII. aetatis annum incoeptum, canonicatus, et praebendae ante aetatem sacro Ordini suscipiendo idoneam (6).

(1) Bonif. VIII. *in cit. cap. si hi, contra quos 2., ut lite pend.*

(2) Ut exponit Glossa in eodem textu *verb. intererit.*

(3) Greg. XIII. *in const. humano vix iudicio* §. 10. de publicandis resignationibus ita iubet. *Sed ne in beneficii super possessione, vel proprietate litigiosis prosecutio litis turbari valeat, vel differri, in caussis huiusmodi* contra cedentem *ad ulteriora etiam ad sententiam diffinitivam, et rem iudicatam, ac illius executionem, quousque ille, qui gratiam ex resignatione, vel cessione, aut ex omissa forma publicationis huiusmodi obtinuit*, ad caussam *per se, vel procuratorem legitimum* accesserit, *litemque huiusmodi susceperit, eodem modo, et ordine procedi possit, quo potuisset legitime, si cessio huiusmodi facta non fuisset.* Possit *tamen ipse, etiamsi in lite, et caussa huiusmodi subrogatus non sit, quandocumque ad illius prosecutionem, et terminationem* venire, *et iudice, coram quo caussam ipsam, etiam ex delegatione pendere contigerit, in illis ipsis statu, et terminis, in quibus tunc eam esse repeterit, etiam absque rescripto speciali admitti.*

(4) Hoc *cap. num.* 28.

(5) Trid. in *cap. nullus* 6. *sess.* 23. *de ref.*

(6) Idem in *cap. cum. dignitates* 12. *sess.* 24.

Quaeque filiis clericorum illegitimis beneficia in Ecclesiis, ubi patres eorum aliquod habuerint beneficium (1): vel parochiales Ecclesiae sine concursu, aut posthabitis dignioribus contra ius conferantur (2). Itidem praebenda Poenitentiarii collata non Magistro, nec Doctori, nec licentiato in theologia, vel iure canonico, nec annos XL. nato (3), praebendave Theologi personis non idoneis ad S. Scripturam per seipsos exponendam (4), similiter et officia, vel dignitates, quae scholasteriae dicuntur, cum adnexo docendi munere (5). Quaecumque item beneficia personis prima saltem tonsura non initiatis (6), aut saecularia Regularibus, et vicissim provisa (7). Insuper unita non rite, aut sine caussa legitima, aut in casibus Iure non permissis (8). His reformationis Tridentinae decretis adduntur plures Apostolicae Sedis constitutiones recentiores, quarum violatio reservationem quoque beneficiorum parit expressa in ipsis lege imperatam (9). Talis est omissa publicatio resignationis (10), confidentia simoniaca in resignandis, vel obtinendis beneficiis (11), neglectus concursus ad praebendas Canonici quum Poenitentiarii, tum Theologi (12), aliae id genus transgressiones pontificiarum sanctionum.

LXV. Reservati, et affecti cuiusque beneficii vacantis collatio pontificia nisi perfecta, et consummata prodiverit, ea perinde habetur, ac si facta non sit: vacationemque reservatam non consumit, sed protrahit quoadusque provisus apostolicus ipsam rovera sit pleno iure adeptus (13), litteras-

(1) Idem in *cap. ut paternae* 15. *sess.* 25.
(2) Idem in *cap. expedit* 18. *sess.* 24.
(3) Idem in *cap. Apostolus* 8. *cit. sess.* 24.
(4) Idem in *cap. eadem* 1. *sess.* 5.
(5) Idem in *cap. cum adolescentium aetas* 18. *sess.* 23.
(6) Idem in *cit. cap. nullus* 6. *sess.* 23.
(7) Idem in *cap. regularia* 10. *sess.* 14. *de ref.*
(8) Singula reformationis Tridentina decreta de unionibus beneficiorum sat explicita sunt in superiori *cap. V.*
(9) Ut monet Card. de Luca *in summa de benefic. num.* 92.
(10) Ex Greg. XIII. *const. humano vix iudicio* 84. *de publicand. resignat.* ibi: *illaque beneficia ab ipsa statim prima resignatione, seu cessione vacavisse, et vacare censeantur eo ipso... sic a principio vacantia a Sede Apostolica dumtaxat impetrari valeant, ac concedi,* de qua inferius *cap.* 20.
(11) Ex Pii IV. *const. Romanum Pontificem*, et S. Pii V. *const. intollerabilis*, quas explicui *lib.* 4. *Inst. Canon. tit.* 16. *de simonia num.* 32. *et* 33. *Omnes, et singulas Ecclesias,* Pius V. ait, *ceteraque beneficia ecclesiastica .... in huiusmodi* confidentiam *Iure prohibitam...quovis modo receptae, illorum liberam collationem, et dispositionem Nobis, et* Sedi *Apostolicae harum serie* reservantes, *ipso iure a die receptionis eorumdem vacavisse, et vacare.* Id quod S. Pius V. firmavit.
(12) Ex Bened. XIII. *const. pastoralis* relata superius *cap.* V. *num.* 21. ibi: *Si Episcopus primo vacaturam praebendam contra formam in praesenti constitutione praescriptam conferre praesumpserit ... illius collatio, atque provisio ipso iure nulla, et irrita sit, eiusdemque Praebendae dispositio statim devolvatur, et pertineat ad S. Sedem.*
(13) Naturalis id ratio suadet, et sensus communis. Aborsus, vel abactus venter partum efficere non videtur Paullo Icto *lib.* 4. *rec. sent.* 9. 16. Vix natus infans, qui de vita decessit, de utero translatus ad tumulum, *quasi numquam natus esset,* Salomonis frater uterinus, dicitur ex parabolis a B. Hieronymo in *cap. nam et ego unigenitus* 2. *de verb. sig.* Hinc fit, ut legatum pro nascituro filio relictum non de-

que apostolicas acceperit sub plumbo datas, sine quibus gratiae, manu etiam Papae signatae, nil suffragantur ex Cancellariae Regula XXXI. inferius explicanda. Non consumpta hioc putatur vacatio apud Sedem, et in Curia, quoties is, cui Papa beneficium vacans contulerit, moriatur extra Curiam, antequam collationi, vel suum ipse praestiterit consensum (1) in resignationibus ad favorem, et reservatione pensionis ex Regula XLV. penitus necessarium, vel Cardinalis patroni consensus accesserit ad provisiones beneficiorum, quae per obitum familiarium eius vacassent, ex Regula XXXIII.; vel priusquam conditionalem bullam in forma *si dignum*, seu mandatum de providendo, Ordinarius loci, aliusve apostolicus delegatus exequendam fore decreverit, vel quoties apostolicae litterae per subreptionem, obreptionemque vitiatae suum non sortiantur effectum (2). E contrario post perfectam semel provisionem pontificiam de reservato, vel affecto, quae nullum in executione obstaculum offenderit, quamvis possessionem inde corpoream provisus non acceperit morte praeventus extra Curiam, consumptam eo casu vacationem illam reservatam Doctores agnoscunt (3).

LXVI. *Praeventionis* autem iure, antiquis moribus, et canonibus inveeto (4), quod Patres Basileenses, postquam translata eorum Synodus Ferrariam ab Eugenio IV. fuerat, immotum, et illaesum reliquerunt, oppugnare non ausi (5); Romanus Pontifex beneficium aliquod non reservatum, sed liberum, si quando conferat ante ordinariam Episcopi provisiooem, id quod nunc raro contingit post vetitas Tridentina Synodo gratias expectativas: istud erit adeo *affectum* Sedi Apostolicae, statim ac praesentatae Ordinario collatori pontificiae collationis litterae sint, ut nullam exinde habeat firmitatem posterior eiusdem collatio (6). Nam *potior debet esse conditio* Papae collationem praeoccupantis, qui maiorem singulis Episcopis

beatur pro abortivo: quia *solutio legati non merces abortionis appellanda est*, ait Cicero pro Cluentio. *Haec autem verba:* quod statuerit qui iurisdictioni praeest: *cum effectu accipimus, non verbo tenus: et ideo si cum vellet statuere, prohibitus sit*, nec effectum *decretum habuit, cessat edictum: nam* statuit *verbum rem* perfectam *significat, et consummatam*, iniquit Ulpianus in *l. hoc edictum* 1. *D. quod quisque iuris in alterum statuerit, ut ipse eodem iure utatur*. Hanc legem Gratianus exscripsit in *can haec autem* 17. *de poenitentia dist.* 1. Idemque Iureconsultus *versum* sic accipit, *ut duret versum*, in *l. si pro parte* 10. §. *versum* 6. *D. de in rem verso*. Iaboleno autem *non videtur* possessionem *adeptus is, qui ita nactus est, ut retinere non possit, l. non videtur* 22. *D. de adquir. poss.*

(1) Rigant. in *Reg.* 1. *Cancell.* §. 1. *num.* 94.

(2) Paull. II. in Extravag. *ad Romani* 14. *de praeb., et dignit.* declarat *beneficia remanere affecta* Sedi Apostolicae, *etiamsi ex aliqua caussa provisiones non sortiantur effectum.*

(3) Rigant. *loc. cit. num.* 120., *et ult.* post Lotter., Barbos., Gonzal., Tondut., et Ventrigl.

(4) Ex supradictis *num.* 6. 7. 8. *et* 9.

(5) Basileenses Patres IX. Kal. Febr. 1438. *sess.* 31. quum reservationes beneficiorum una cum gratiis expectativis abolere studuissent *sess.* 31. ius praeventionis Papae illaesum, et integrum apertis verbis diminuerunt, collationemque unius ex decem, vel duorum ex 50. beneficiis.

(6) Bonif. VIII. in *cap. si Capitulo* 5. *de concess. praeb. in VI.*

potestatem habet in eorum dioecesibus (1). Si vero Pontifex non puram gratiosam, neque immediatam collationem per sese fecerit, sed mandatum de providendo dederit ad Ordinarium collatorem, vel executorem apostolicum sine decreto irritante futuram Ordinarii collationem, sola eiusmodi mandati praesentatione Ordinario non ademptam conferendi potestatem, quin teneat alteri facta collatio ab eodem : nisi Papa decrevisset irritum, et inane, quod fieret contra ipsum, aut executor ei collationem inhibuisset, rescripsit Bonifacius VIII. (2).

LXVII. *Affectionem* utique oriri, quoties Papa suam alicui beneficio alias non reservato manum adposuerit, vel negotium de eo susceperit, certo certius est. Si enim officiosorum hominum consuetudo non patitur, ut opus ab alio coeptum alius perficiat, et ubi semel acceperit initium, ibi et finem res quaeque accipiat: eo vel magis oportet Episcopos, Praelatosque inferiores in illis Ecclesiarum, et beneficiorum provisionibus sese non immiscere, quas Supremus Ecclesiae universalis Episcopus sit semel aggressus (3). *Nec in negotiis saecularibus*, ait S. Augustinus, *iudices faciunt, quando caussae dubitatio ad maiorem potestatem refertur, ut pendente relatione aliquid audeant commutare* (4), Alexander III. rescripsit, post confirmationem rei litigiosae ab Apostolica Sede impetratam non licere iudici quidquam de quaestione postmodum exorta decernere (5). *Cum plus sit Romanum Pontificem ad se aliquod revocare negotium, quam quemquam ad eum super aliquo negotio provocare*, Innocentius III. inquit (6). Hinc in Iure etiam communi clausam ex affectione reservationem colligimus, Paulus II. ad rem propius ait: *Romani Pontificis* manus appositionem *tantae efficaciae, tantaeque virtutis existere, ut etsi litterae apostolicae super provisionibus beneficiorum, aut de providendo mandatis, in quibus decretum, et reservatio apostolica apponuntur, ex aliqua caussa suum debitum non sortiantur effectum : facultatem tamen providendi de beneficiis taliter reservatis quibuscumque aliis fuisse ademptam* declaravit (7). Additque omnia, et singula tam saecularia, quam regularia cuiuslibet qualitatis, etiamsi ad illa consueverint, qui illis praeficiuntur, per electionem assumi, eisque cura immineat animarum, reservata, et reservanda, ac etiam quovis modo vacantia, et vacatura per constitutionem suam remansisse, et remanere semper affecta, nullamque de illis, quum primum vacare contigerit, praeter Romanum Pontificem ea vice quovis modo disponere posse. Tandem Regula XI. declarat beneficia a praedecessoribus reservata, quae *tempore obitus eorumdem vacabant, remansisse affecta* (8). Fit exinde, ut oriatur affectio ex sola impetrantis supplicatione per Papam signata, an-

(1) Idem in *cap. dudum* 14. *de praebendis in VI.*
(2) Idem in *cap. si soli* 6. *de conces. praeb. in VI.*
(3) Rota coram Falconerio *de beneficiis dec.* 10. *num.* 12.
(4) S. Aug. in *can. nomen* 12. *C.* 2. *qu.* 1. Consonant. *l.* 1. *et* 2. *C. de relation. et l. ex illo C. de appellat.*
(5) Alex. III. in *cap. si quis* 1., *et cap. de confirmationibus* 2. *de confirm. utili.*
(6) Innoc. III. in *cap. ut nostrum* 56. *de appellationibus*; et rursus in *cap. Eccles. S. Mariae* 4. *ut lite pendente.*
(7) Paul. II. in extr. *ad Romani* 14. *de praebendis.*
(8) De qua superius dictum est *num.* 48.

tequam Datarius diem gratiae adscripserit (1): et nulla inde iudicetur collatio beneficii, quam alii collatores pontificiam eiusmodi gratiam, vel ignorantes fecerint (2).

LXVIII. *Resignatio* insuper beneficii, quae fiat in manibus Papae, eiusve Legati a latere, statim ac penes Apostolicam Sedem praesentata sit, atque admissa (3), eaque consummata ius omne suum resignans amiserit, affectionem parit (4). Itaque post eam si resignans mortem obiverit extra Curiam in mensibus Ordinariorum, antequam Papa beneficium ex tali resignatione vacans alteri contulerit: istud iam Sedi Apostolicae affectum non poterit dioecesanus, tamquam vacans per obitum conferre. Eodemque iure Gregorius XIII. beneficia ob omissam resignationis publicationem vacatura, tamquam affecta Sedi Apostolicae reservavit (5). At quoties pontificia resignati beneficii collatio fiat irrita, vel incapacitate resignatarii, vel vitio subreptionis, aut obreptionis: nullam tunc procreari affectionem, locorumque Ordinarios non impediri, quominus illud postea vacans per obitum libere conferant suis in mensibus, Rota pluries definivit (6). Pariter si resignans infirmus intra viginti dies post consensum in Cancellaria ab ipso rite praestandum decesserit, collationem interea factam rescindit, beneficiumque vacare per obitum sine reservatione, vel affectione declarat Cancellariae Regula XIX. *de viginti*. Alia tum caussa pariens affectionem est *commenda* (7), seu administratio vacantis Ecclesiae, vel abatiae regularis a Summo Pontifice alicui clerico saeculari ad vitam, aut ad tempus concessa, per quam Papa proprium illius statum regularem non destruit, nec mutat, sed integrum servat (8): Sedique Apostolicae retinet futuras de ea provisiones, donec ipsam in titulum contulerit, vel ordinariis collatoribus dimiserit providendam. Ex primaeva etiam *erectione* beneficii, quam Papa, vel ipse fecerit, vel Ordinario loci auctoritate apostolica faciendam mandaverit, prima eiusdem collatio tamquam affecti ad Sedem Apostolicam pertinet (9). *Unio* beneficiorum ad solam possessoris vitam instar commendae affectionem quoque producit ex coniecturali Papae voluntate ulterius providendi, quae cessat in perpetuis, et realibus unionibus (10). Insuper et dispensatio retinendi beneficia incompatibilia cum decreto declarante, *ea tunc eo ipso vacare* apud Sedem, *suspenso vacationis effectu usque ab obitum*, affectionem infert: secus, ubi

(1) Id a Greg. XIII. declaratum *const.* 41., et a Rota pluries decisum fert Rigant. *in Reg. I. Canc.* §. 1. *num.* 110. et *in Reg. XVII. num.* 37.

(2) Bonif. VIII. in *cap. si postquam* 13. *de praebendis in VI.*

(3) Card. de Luca *in summa de beneficiis num.* 92.

(4) Nec nuda resignandi voluntas, nec licentia ad resignandum a legitimo Superiore obtenta beneficiarium iure suo destituit, quamvis post hanc ipse obteatam ad cedendum, ot renunciandum compelli, ex decreto Conc. Later. IV. sub Innoc. III. in *cap. quidam* 12. *de renunciatione*.

(5) Greg. XIII. *const.* 84. *de publicandis resignationibus.*

(6) Rota coram Merlino *dec.* 768. *num.* 15., Priol. *dec.* 284. *num.* 8. alibi apud Rigant. *in Reg. I. Canc.* 1. *num.* 102.

(7) Card. de Luca *loc. cit.* Rigant. in *Reg. I. Canc.* §. 1. *num.* 82. *et* 103.

(8) De qua dicam inferius *cap.* 11.

(9) Rota *dec.* 94. *num.* 9. coram Royas, Corrad. *in prax. benef. lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 156., *et seq.* Rigant. *in Reg. IX. Cancell.* §. 2. *num.* 128.

(10) Rigant. in *cit. Reg. I. Cancell.* §. 1. *num.* 103.

eiusmodi decretum vacationis non adiiciatur, eoque magis ubi retenta beneficia non vacare dicantur (1). Sed coadiutoria futuram coadiutori successionem indulgens cum clausula *ex nunc pro tunc* ad beneficium plenum, quod coadiutus debeat, quoad vixerit, retinere, affectionem eo ipso consumit, eamque non protrahit post obitum coadiutoris, neque coadiuti. Nam obeunte coadiuto superstes coadiutor continuo succedit sine ullo vacationis intervallo: et vice versa coadiutore praemoriente beneficium ex obitu coadiuti posteriore vacabit sine affectionis vinculo (2). Quandoquidem consumitur, et cessat perinde affectio, atque reservatio, quotiescumque pontificiae collationis opus perfectum semel, absolutumque sit: quamvis possessionem realem beneficii iam sui provisus fortuito non ingredietur (3).

LXIX. Reservationem beneficiorum quadripartitam Regulae Cancellariae vel infigunt continenter *personis* (4), aut *rebus*, puta *beneficiis* ipsis (5), vel fortuito committunt vacationis *loco* (6), aut *tempori* (7). Quum *personales*, tum *reales* reservationes *perpetuo* durare, suamque vim, papali etiam Sede vacante, retinere ideo putantur: quia notam permanentem pontificiae dispositionis per eas certis *personis*, certisque *beneficiis* semel impressam, ut inferiores Praelati ne amoveant, subiectionis, et obseqnii ratio postulat (8). Nonnullis insuper aliis Cancellariae Regulis beneficia reservantibus perpetuitatem dant perpetuae Pontificum constitutiones, videlicet Regulae XXII., et XXIII. de beneficiis per obitum familiarium Cardinalium vacantibus, non impetrandis sine eorumdem Cardinalium consensu: constitutiones Gregorii XIV., et Pauli V., tum Regulae I. de vacantibus per sententiam privationis auctoritate apostolica latam constitutio Pauli III. de parochialibus contra formam Tridentinam collatis constitutio eiusdem S. Pii V. (9). Quemadmodum Regulae I. de vacantibus apud Sedem, et in Curia constitutiones Clementis IV., et Bonifacii VIII. (10); nec non Regulis I, III; et XXII., de retentis incompatibilibus

(1) Rigant. *loc. cit.* §. 7. *num.* 120., *et seq. num.* 152. *et* 221.

(2) Rigant. in *Reg.* 45. §. 1. *num.* 32. *et seq. to.* 3.

(3) Ex supra iam dictis *num.* 65. cum Rigantio in *Reg. I.* §. 1. *num.* 119. *et* 120.

(4) Personas Curialium, familiariumque Papae, et Cardinalium, cetera, quibus adhaeret reservatio, recensui superius a *num.* 28. ad 36.

(5) Cathedralibus nimirum Ecclesiis, praelaturis, et abatiis valorem florenorum 200. excedentibus, beneficia trium basilicarum Urbis, dignitatesque primas, et principales in Cathedralibus, et Collegiatis, de quibus dictum supra est a *num.* 37, *ad* 42. Tutum proinde non est responsum Campanilis *divers. Iur. cap. rubr.* 11. *cap.* 15. *num.* 26., *et* 27. opinantis Regulam IV. quae reservat primas, et principales Cathedralium, et Collegiatarum dignitates, una cum aliis Regulis cessare vacante Sede Apostolica. Eumque refellit Rigantius in *Reg. IV.* §. 2. *num.* 3.

(6) Hanc loci reservationem spectant, quae apud Sedem, et in Curia vacant beneficia, ex supradictis *num.* 13. *et* 22.

(7) Puta mensibus apostolicis, vel dum Cardinales ab suis titulis absunt, vel sedes Episcopi collatoris vacat, ex supradictis *num.* 39. 42. 43. *et seq.*

(8) Rota coram Merlino *dec.* 192. tum *dec.* 33. *par.* 14. *rec. et dec.* 121. *par.* 19. *rec.* Doctores communi sententia penes Rigant. in *proem. Reg. Cancell. num.* 75. *et seq. to.* 1.

(9) Rochus *disp. iur. cap.* 80. *num.* 19. Rigant, *in proem. Reg. Canc. num.* 74.

(10) Clem. IV. in *cap. licet* 2. et Bonif. VIII. in *cap. praesenti* 34. *de praeb. in* VI; de quibus dictum est supra *num.* 13. 15. 18. *et* 21.

constitutio Ioannis XXII. (1). Dum igitur affirmant generatim Doctores mobilem, ac temporaneam vim usque ad Papae obitum inesse reservationibus Regularum Cancellariae non clausis in Corpore Iuris, ipsasque omnino extinctas inde silere, donec novus Pontifex easdem crastino suae assumptionis die instauraverit (2): eas tantum esse ita extinguibiles commonet Rigantius ex receptis moribus, rebusque iudicatis, quae ambiguum, et incertum eventum expectant a conditione mensium, seu *temporis* vacationum, vel *loci* (3). Nam quoties dubia res est, utrum beneficii vacatio in mense, ac die, vel loco reservato, an Ordinario sit eventura: iam liquet nullam tunc mobiles reservationis apostolicae notam reapse imprimi beneficiis, nullumque imponi ordinariis collatoribus froenum, nisi postquam cesserit, et venerit dies vacationis in mense, ac loco reservato. Has propterea reservationes dicere *conditionales* licebit, quae a fortuito vacationis eventu pendent alias vero *puras*, quae continuo inhaerent certis personis, certisque beneficiis, statim ac fuerint Regulis pontificiis imperatae. Hinc Regula IX. de mensibus reservatis, Regula VIII. de Curialibus, qui a suis abeunt Ecclesiis, vel titulis, dum beneficia vacaverint, et Regula II. de beneficiis vacante Sede Episcopale vacantibus, quia reservationem ratione *temporis* ambiguam indicant, per obitum Papae procul dubio expirant. Quod vero ad reservationem *localem*, liquet Regulam I. de vacantibus in Curia, et apud Sedem beneficiis, ex Bonifacii VIII. constitutione non afficere parochiales Ecclesias Papa mortuo vacantes, vel ab eo vivo non collatas (4): nec beneficia intra duas ab Urbe diaetas vacantia per obitum non curialium. Nam Bonifacius idem VIII. dum perpetuo reservata fore declaravit beneficia Curialium dumtaxat, qui Romana etiam Ecclesia vacante mortem obirent in locis intra duas ab Urbe diaetas iacentibus (5): tacito quidem sensu innuit aliorum omnium beneficia intra duas eiusmodi diaetas, Papali Sede vacante, obeuntium, qui nullum in Romana Curia nexum habeant ratione officii, vel familiaritatis: in reservationem respectu loci ambiguam, Papa defuncto, non incidere (6). Quae igitur viduata pontificia Sede, sic vacaverint beneficia in mensibus, aliisve temporibus, ut locis reservationi obnoxiis, Ordinarii locorum iure suo conferunt usque ad novam Regularum editionem (7), eorumque collatio valebit, etiamsi facta sit, dum ii Papae obitum ignorarent (8). Et versa vice irrita erit, sed impunis Ordinariorum collatio, quae post novas iam editas, nondum etiam

(1) Io. XXII. in extravag. *execrabilis* 4. *de praeb.* exposita iam superius *cit. num.* 21.

(2) Ex supradictis *hoc cap. num.* 21.

(3) Card. de Luca *de benefi. disc.* 7. *num.* 5. Corrad. in *prax. benef. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 54., et Rigant. in *rub. Regul. Cancell.* §. 2. *num.* 6. *et in comm. ad Reg. IV.* §. 2. *num.* 33. *et* 34.

(4) Bonif. VIII. in *cap. si apostolica* 35. *de praeb. in VI.* Videsis dicta superius *num.* 17.

(5) Idem in *cap. presenti* 34. *de praeb. in VI*, de quo superius dixi *n.* 16.

(6) Huc porro spectat mobilis reservatio ratione *loci*, quam tradunt Card. de Luca, et Rigant. *loc. cit.*

(7) Rigant. in *proem. Regular. n.* 69. *to* 1., *et in tom. Reg.* 68. *n* 33. *to.* 4.

(8) Gonzalez in *Reg.* 8. *gl.* 65. *num.* 22., Tondut *par.* 2. *cap.* 3. §. 3. *n.* 47. et Rigant. in *Reg* 2. *Can.* §. 3. *n.* 116.

promulgatas Regulas fiet bona fide, antequam novi Pontificis creatio, editioque Regularum ipsius eis inolesceret.

LXX. Affectio eadem habens cum reali reservatione stabilitatem continuam pariter obeunte Papa non deficit, sed viget, quoad beneficii semel affecti apostolica dispositio, et collatio perficiatur (1). Differri nihilominus affectio a reservatione: quia *reservatio generalis* est, quam pontificia *verba* Regularum, vel constitutionum imperant (2): *affectio* autem est *reservatio specialis*, quae non verbis, sed *facto* Pontificis inducitur, ubi suam ipse manum ad aliquod speciale beneficium adponat (3). Hinc affectio reservatione ita potior esse videtur, ut speciale mandatum, quod generali derogat (4).

LXXI. Hactenus dicta locum in beneficiis liberae collationis habent: secus est in beneficiis de iurepatronatus quum regio, et feudali, tum laicali, qua simplici, qua mixto, quae ab omnibus Regularum Cancellariae reservationibus eximit communis Doctorum sententia hoc in Regno recepta, pluribusque Iuris communis, et earumdem Regularum auctoritatibus firmata. In primis quae *Regibus*, *et Reginis*, *eorumque filiis* concessa privilegia sunt, ad ea posteriores indultorum limitationes, restrictiones non extendi Clemens IV. declaravit, et statuit (5). Regula XLII. Cancellariae apertius excipit a pontificiis dispositionibus, et mandatis de providendo beneficia *ad aliquem Regem*, *Ducem*, *Marchionem*, *vel alium Principem pertinentia*. Quod vero in Ecclesiis, et beneficiis patronatus laicorum Legati apostolici reservatio, nec patrono laico ius praesentandi, nec dioecesano collatori ius praesentandi ullatenus deminuat, Innocentius III. explicuit (6). Gregorius IX. ad Anglos magnates rescribens, nedum collationem pontificiam Ecclesiae de Luthunum Eboracensis dioecesis, de iure patronatus militis Roberti de Tuinge revocavit, inquiens ignorasse, *quod praesentatio ad laicum pertineret:* sed inhibuit etiam generatim, *ne cui de cetero liceat Ecclesias praedicti regni in quibus laici sunt patroni, praeter eorum adsensum Sedis Apostolicae auctoritate conferre* (7). Invaluit inde commune iudicium pro generali exemptione beneficiorum iurispatronatus laicalis a cunctis reservationibus pontificiis, et Regulis Cancellariae clausis etiam in Corpore Iuris, servatumque Ordinariis locorum est integrum ius instituendi praesentatos a patronis laicis ad beneficia iurispatronatus, quamvis ea quomodolibet ubicumque per cessum, vel decessum Curialium intra duas

(1) Rigant. in *cit. proem. Reg. n.* 38. *ad* 42.

(2) Ex supradictis *n.* 65. *et* 67.

(3) Rota *dec.* 30. *n.* 20. *et* 21. post Navarium, Capon. *discept.* 10. *n.* 24., Paulut. *iurisprud. sacr. to.* 2. *lib.* 6. *tract.* 10. *cap.* 4. *n.* 4.

(4) Alex. III. in *cap. sicut, de rescriptis.*

(5) Clem. IV. in *cap. ne aliqui* 5. *de privilegiis in VI.*

(6) Innoc. III. in *cap. cum dilectus* 28. *de iurep.*, ubi Archidiaconus Carnotensis fertur subdiaconum praesentasse ad Ecclesiam, tamquam laicus patronus, dein eum Episcopus dioecesanus recte instituisse: quamvis Legatus apostolicus Ecclesiam in eo archidiaconatus primo vacaturam sibi reservasset.

(7) Greg. IX. *ep.* 13. ad magnates Angliae, an. 1239., et *ep.* 14. ad Card. Othonem suum in Anglia Legatum, apud Pinsonium *de beneficiis* verb. *canonica* § 9. *num.* 8., Matthaeum Parisium ad an. 1239., N. Alexandr. in *hist. saec.* VIII., et XIV., *par.* 2. *cap.* 7. *art.* 3. *num.* 4., Rigant. *in Reg.* 42. *Canc. n.* 54 *to.* 3.

a Romana Curia diaetas, aut in mensibus reservatis vacarent(1). Quinimmo Romani Pontifices ipsi consueverunt in suis Cancellariae Regulis beneficia reservantibus ideo nullum de patronatibus laicorum facere verbum, ut hos nulla eiusmodi reservationum lege obstrictos innuerent: quum ea sit odiosa, et strictiorem accipiens interpretationem, a casibus expressis ad non expressos numquam sit extendenda. Hunc vero sensum in recitatis Regulis tacitum aperit, firmatque satis Regula XLII. Haec enim sola de iure patronatus laicorum expresse loquens vindicat collationem beneficiorum iurispatronatus laicali iure communi tributam Sedi Apostolicae in duplici casu *devolutionis* ob neglectam, aut a patronis laicis praesentationem intra quatuor menses, aut ab Ordinariis collationem intra sex menses, vel accedente *patronorum assensu:* nec non facultatem *derogandi* iurispatronatus ex certa illius scientia, et expressione (2). Hoc in Regno prior istius Regulae pars usu viget, posterior secus. Nam commune Ius decretalium ubique receptum, quoties patroni laici intra quatuor menses, et ecclesiastici intra sex menses omiserint praesentare, quum ad Episcopum in primis devolvat liberam beneficii provisionem (3), et ubi ordinarii collatores intra sex menses collationem non expleverint hanc ad Metropolitanum, Sedemque Apostolicam transferat (4): pontificiae inde collationes, quae tunc iure devoluto fiunt, suam cum regio placito executionem sortiri consueverunt. Dum insuper beneficia iurispatronatus laicorum consentientibus patronis, ad eorumque praesentationem providerit Sedes Apostolica: tunc eiusmodi collationibus Regia Potestas nec etiam adversatur, quia volenti, et consentienti nulla fit iniuria (5). Ipsis vero contradicentibus, vel insciis patronatui laicorum *derogari*, vel semel *in totum*, videlicet sine consensu patronorum vel omnium, vel maioris partis eo-

(1) Abbas in *cap. dilecta de maiorit., et obed.* Germon. *de indult. Cardinal.* §. *si vero illa num.* 17., Hier. Ganzalez *in Reg.* 8., Gl. 12., Barbos in *cap. dilectus de offic. legat.*

(2) His verbis concepta est Regula XLII: *Item voluit, quod super quovis beneficio ecclesiastico de* iurepatronatus laicarum *non expediantur litterae, nisi ponatur expresse, quod eius collatio ad Sedem Apostolicam legitime est* devoluta vel *quia* tempus *patronis laicis* ad praesentandum *a Iure praefixum* lapsum *existat, aut ad id* patronorom *accedat* assensus. *Et si per ipsum iuripatronatus huiusmodi* derogari *contigerit, iurispatronatus huiusmodi mentio dispositive, ac specifice, et determinate, non autem conditionaliter fiat, si illud ad aliquem* Regem, Ducem, Marchionem, *vel alium* Principem *pertineat. Et si de hoc in litteris provisionis, vel mandato de providendo de dicto beneficio similis mentio facta non fuerit: non censeatur quomodolibet* derogatum.

(3) Alex III. in Conc. Later. III. *cap. quoniam* 3. et *cap. eam te decet* 22. *de iurepatr.* Innoc. III. in *cap. cum propter discordias* 27. *eod. tit*, et Bonif. VIII. in *cap. un. de iurep. in VI.* Videsis *tract. de iurepatr. cap.* 47.

(4) Alex. III. eodem Conc. Later. in *cap. nulla ecclesiastica ministeria* 2. *de concess. praeb.* Videsis dicta superius *num.* 12.

(5) Gregorius IV. in cit. *ep.* ad magnates Angliae an. 1239. inhibuit: *ne cui de cetero liceat Ecclesias, in quibus laici sunt patroni, praeter eorum adsensum, Sedis Apostolicae auctoritate conferre.* Communis autem invaluit opinio, quod consensus patroni quum praecedere, tum subsequi apostolicam provisionem valeat, ex Rota, Parisio, Lambert., Piton. apud Rigant. in *Reg.* 42. *Canc. num.* 68.

rumdem cuivis ab Apostolica Sede conferri beneficium iurispatronatus instar liberae collationis quomodolibet vacans, Regni mores passi numquam sunt, Tridentina Synodo suffulti (1). Sed pontificias derogationes medietati vocum patronorum usitatas, regiove placito in diem communitas iamdudum vidit aetas nostra. Nam discordes compatroni, quoties alium alii praesentarent, eorumque vota in duos ex aequo dividerentur, vel in unum consententia saltem aequarent medietatem ipsorum, Apostolica Sedes consueverat beneficium ei conferre, qui ad ipsam cito recurrens, suosque adversarios praeveniens assereret *se intra legitima tempora praesentatum maiori parte, vel saltem medietate patronorum*, postulando gratiam derogationis alteri medietati compatronorum. Nullam sane iniuriam visus est Pontifex tunc inferre, nec patronis dissentientibus, neque alteri ab eis praesentato, si quum duobus beneficium conferri non possit ab Episcopo, alterutri eorum aequale ius habentium ipse gratificationem largiretur, arbitrio Episcopi tributam Iure communi (2).

LXXII. Ecclesiasticum vero patronatum iura Decretalium, et pontificiis reservationibus quum specialibus, tum generalibus subiiciunt. Nam Innocentius III. ratam in primis habuit reservationem Ecclesiae de iurepatronatus Archidiaconi Carnotensis, quam edixerat Hostiensis Episcopus Sedis Apostolicae legatus: *quoniam in eo*, ait, *quod tamquam clericus faciebat, suberat iurisdictioni legati; unde postquam idem legatus donationem illius Ecclesiae sibi decreverat reservandum, ad eam tamquam clericus non potuit quempiam praesentare* (3). Dein rescripsit collationem Ecclesiae S. Teudonis a legato Sedis Apostolicae factam inconsulto Archidiacono Methensi patrono, ad quem praesentatio pertinebat, valere: *quum plus iuris habeat*, ait, *in concessione Praelatus quam in praesentatione patronus, nec praeiudicetur Praelato* (eoque minus clerico patrono in futuris puta vacationibus) *si quando per Apostolicae Sedis legatum eo inconsulto Ecclesia concedatur* (4). Mox exceptiones laici patronatus in antedictis decretalibus, et constitutionibus iteratae contrariam firmarunt regulam de patronatu ecclesiastico reservationibus apostolicis generatim affecto, quam Curia Romana tenet (5). Cancellariae Regula II. de vacantibus Episcopali Sede vacante beneficiis ea etiam reservat speciatim, quae *ad praesentationem, electionem, et quamcumque aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abatum, ac aliorum quorumcumque col-*

(1) Trid. in *cap. sicuti legitima* 9. *sess* 25. *de ref.* aequum non esse definivit *legitima patronorum iura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum constitutione violare*: sanxitque, ut *eis non derogetur.* Videsis dicta in *tract. de iurepatr. cap* 23.

(2) Luc. III. in *cap. cum autem* 24. *de iurep.* simile gratificandi, et praeeligendi arbitrium in pari caussa inter duos, vel plures comprobat Ulpianus in *l. si quis in gravi* 3. §. *si cum omnes* 4. *D. ad Silanianum.*

(3) Innoc. III. in *cap. cum dilectus* 28. *de iurepatr.*

(4) Idem in *cap. dilectus* 6. *de officio legati.*

(5) Rota coram Cavalerio *dec.* 268. *et* 547. coram Gregorio *dec.* 48. coram Buratto *dec.* 103, et alibi saepius apud Rigant. in *Reg. IX. Canc. par.* 1. §. 2. *num.* 144. *to.* 2., Card. de Luca *de iurepatr. disc.* 65. *num.* 18. et *disc.* 69. *num.* 9., Gonzalez in *Reg. VIII Canc. gl.* 18. *num.* 6. *et* 16. Wan-Espen *par.* 2. *tit.* 25. *cap.* 2. *num.* 25.

latorum, et collatricum saecularium, *et regularium quomodolibet* spectent: *non tamen ad collationem cum alio*, *vel aliis*, *aut etiam ad alterius* praesentationem, *vel* electionem *pertinentia* (1). Tum Regula VIII. beneficia trium basilicarum Urbis spectantia *ad collationem*, vel ad *praesentationem Cardinalium*, quoad ii ab suis titulis abfuerint, reservat. Regula IX. amplius extendit reservationem mensium ad ea etiam beneficia, quae *ad praesentationem*, *et electionem quorumcumque collatorum*, *et collatricum saecularium*, *et quorumvis Ordinum regularium quomodolibet* pertinent (2). Sunt nihilominus, qui exemptum a reservationibus iuspatronatus ecclesiasticum in Hispania, aliisque locis contestantur (3). Bonifacius VIII. a suis de providendo mandatis istud quoque maluit excipere, inquiens: *illis vero, pro quibus scribimus, ut provideantur illis de personatibus,vel dignitatibus, etiamsi curam habeant animarum*, *ad collationem provisionem*, praesentationem, *vel dispositionem quorumcumque spectantibus*, *provideri nequibit de praelaturis. personatibus*, *vel dignitatibus*, *ad quos*, *seu quas per* electionem *ii*, *qui eis debent praefici*, *assumuntur* (4). Hinc Doctores aut ab indultis pontificiis, et Concordatis profluxisse apud Germanos, Gallos, Belgas, ceteros huiusmodi exemptionem patronatus ecclesiastici adstruunt (5), aut a lege fundationis. In huius enim litnine fundatores habent ex receptis moribus arbitrium eximendi beneficia sua a reservatis mensibus, et quavis alia reservatione Regularum Cancellariae verbis vel expressis, quae scilicet collationem Apostolicam aperte excludant: vel verbis sequipollentibus, quae eumdem sensum tacitum involvant, ubi voluerint nimirum, quod electio, et praesentatio *semper omnino*, *et perpetuo* in singulis vacationibus ad eam personam ecclesiasticam, vel Capitulum, vel Collegium pertineat, aut institutio, et confirmatio ab Episcopo semper, aliove loci Ordinario fiat (6).

(1) Haec verba palam indicant, quod patronatum ecclesiasticum cuiuslibet collatoris ecclesiastici dumtaxat ea reservatio complectatur: non alium itidem ecclesiasticum, quem patroni clerici quum saeculares, tum regulares obtineant sine iure conferendi, seu instituendi.

(2) Huic regulae IX. subiectum ius patronatus ecclesiasticum ex communi DD. sententia probat Rigant. in *par.* 1. *eiusdem Reg.* §. 2. *num.* 365. *et seq.*

(3) Garzias *de benefic. par.* 5. *cap.* 1. *num.* 517. Simonett. *de reservat. qu.* 17. Frasso *de regio patron. lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 43. Cochier in *Reg. IX. Canc. gl.* 8. Capon. *disc.* 76. *num.* 23. *to.* 2. Matt. Paris. *ad ann.* 1339. et alibi, Wan-Espen *to.* 2. *iur. eccl. tit.* 23. *cap.* 5. *num.* 26., Blondeau ad Bouchel *in biblioth. canonic.* verb. *collacion.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. cum in illis* 16. *de praeb.*, *et dignit.* Ad hunc textum spectat Gonzalez in *Reg. VIII. gl.* 11. *num.* 73., ita scribens: *nulla reservatio extenditur ad beneficia electiva, vel praesentata, quamvis confirmatio,vel institutio secuta non fuerit.*

(5) Card. de Luca *de benefic. disc.* 31. *in princ.*, Piton *discept.* 25. *num.* 4., Rigant. *to.* 1. *in proem. Reg. Canc. num.* 53.

(6) Rigant. in *par.* 1. *Reg. IX.* §. 2. *num.* 162. *ad* 169.

CAP. VI.

De collatoribus.

I. Beneficia ecclesiastica Praesules ecclesiastici dant, seu conferunt, clerici accipiunt.
II. Laici ea conferre nullatenus possunt.
III. Ecclesiastici collatores iure vel plenario, vel delegato, vel ordinario ipsa conferunt.
IV. Plenario conferendi iure Summus Pontifex potitur.
V. Unus a Papa, ab Ordinario alter, si unum idemque beneficium obtinuerint non reservatum, vel prior in tempore, vel possessor, vel provisus apostolicus praefertur.
VI. Impetrans beneficium viventis, neque post vacationem amplius poterit illud obtinere ex Reg. XXI.
VII. Nonnisi post vacationem licet beneficia petere, ac obtinere ex Reg. XXX. de verosimili notitia.
VIII. Praeventio Papae beneficia de iurepatronatus non afficit.
IX. Per obitum cuiusque familiaris Cardinalium vacantia beneficia nonnisi de consensu Cardinalis patroni in Curia praesentis Papa confert.
X. Eaque si ad alterius Cardinalis collationem, remota familiaritate ultimi beneficiarii pertinerent, Cardinalis tunc non patroni, sed ordinarii collatoris consensus exigitur.

I. Ea est naturalis conditio cuiusque beneficii, ut illud alter det, alter accipiat. Sacrae tum Litterae condocent, ut *nec quisquam sumat sibi honorem, sed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron* (1), aut mittitur ad ecclesiasticum ministerium a potestate ecclesiastica per Christum Dominum instituta (2), illudque susceperit per canonicam institutionem, seu collationem ab eo, qui dare potest. *Dandi ius quidem habet summus sacerdos, qui est Episcopus; dehinc presbyteri, et diaconi, non tamen sine Episcopi auctoritate propter Ecclesiae honorem, quo salvo, salva pax est, ait* Tertullianus (3). *Sine* Episcopo *nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam*

(1) Apostolus ad Hebraeos *cap.* 5. *vers.* 4. Hac sententia fretus Innocentius III. in *cap. qualiter* 17. *de electione*, irritandam censuit eius electionem, qui administrationem Ecclesiae aggressus fuerat sine canonica institutione, et confirmatione. Consonat Bonifacius VIII. in *cap. avaritiae* 5. *eod. tit. in VI.*

(2) *Sicut misit me Pater, ita et ego mitto vos*, Dominus ait ad discipulos suos: Ioannis *cap.* 20. *vers.* 21.

(3) Tertullian. *de Baptismo cap.* 17. Non dissidet S. Hieronymus in *dial. contra Lucifer.*

spectant. Rata Eucharistia habeatur, quae sub Episcopo *fuerit, vel cui ipse concesserit. Non licet sine* Episcopo *neque baptizare, neque agapen celebrare: sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut tutum, ratumque sit quodcumque agitur,* inquit S. Ignatius (1). Prisci canones vulgo Apostolorum hoc etiam constitutum habent: *presbyteri, et diaconi absque voluntate Episcopi nihil perugunto: ipsius enim fidei populus Domini commissus est, et pro eorum animabus ab ipso repetetur ratio* (2). Perpetuum ius istud episcopale passim canones posteriores (3).

II. Quae duae res vero spiritualem beneficii ecclesiastici naturam constituunt, officium, seu ministerium sacrum, seu ius inserviendi Ecclesiae, connexumque ius reciprocum percipiendi redditus altaris, et Ecclesiae, ambo postulant, ut non alii possint, nisi ecclesiastici Praesules ecclesiastica beneficia clericis conferre. Laicos propterea incapaces omni iure cum conferendi ea, tum obtinendi, et canones, et leges renuntiant, corum errorem depellendo, qui praedia, fructus corporeos, cetera bona temporalia in beneficiis potissimum spectabant, posthabito sacro iam exposito iure, ac ministerio, ut laicis praesertim patronis conferendi ius tribuerent. Enimvero Iustinianus Imp. edixit secundum canones fundatoribus Ecclesiarum non licere clericos inibi statuere, sed tantum suo eos Episcopo examinandos praesentare (4): simul Episcopo ius esse instituendi, seu confirmandi idoneos praesentatos, et indignos abiiciendi (5). Idipsum placuit Carolo M. constituere (6). Quoad praebendas clericorum, et sacerdotum ex oblationibus, et eleemosynis quotidianis mobiles desumebantur, eas ne laici aliis concederent, nec suo sub dominio detinerent, sub anathemate sanxerunt prisci canones (7). Tum Ecclesias, et beneficia perpe-

(1) S. Ignat. Martyr. *ep. ad Trallenses*, et *ad Smyr.* Consonant Conc. Laodic. *can.* 57., et Tolet. *I. can.* 20.

(2) *Can.* 38. vulgo *Apostolorum.* Consonant *can. cunctis* 41. *C.* 16. *qu.* 1.

(3) Conc. Tolet. III., et IV. Cabilonense, Antiochenum, Aurelianense, apud Gratian. in *can.* 2. *et seqq. C. X. qu.* 1.

(4) Iustin. *Nov.* 57. *Cap.* 2. ad Mennam Archiep. *Si quis* aedificans (ait) *Ecclesiam, aut expendens in ea ministrantibus alimenta voluerit aliquos clericos statuere: non esse ei fiduciam ullam, quos vult per potestatem deducere tuae reverentiae ad ordinandos eos, sed examinari a tua sanctitate: sententiaque tua, et qui pontificalem sedem rexerit, semper hoc suscipere ordinationem, qui tuae beatitudini opportuni videbuntur existere, et Dei ministerio digni: ut non profanentur sancta Dei:* (*hoc videlicet quod sacris sancitur eloquiis.*)

(5) Idem *Nov.* 123. *cap.* 18. *Si vero,* ait, *qui ab eis eliguntur, tamquam* indignos *prohibent sacrae regulae ordinari: tunc sanctissimus Episcopus quoscumque putaverit meliores, ordinari procuret.*

(6) Carol. M. *an.* 800. apud Bal ut. *in Capitular. Reg. Francor. t.* 1. *pag.* 331: *Resonuit in auribus nostris,* ait, *quorumdam praesumptio non modica, quod non ita obtemperetis* Pontificibus nostris, seu Sacerdotibus, canonum, *et* lagum *continet auctoritas, ita ut presbyteros, nescio qua temeritate praesentari Episcopis denegatis, et absque consensu Episcopi in vestras Ecclesias mittere audeatis. Praecipientes enim iubemus, ut nullus quilibet ex fidelibus nostris a minimo usque ad maximum in his,* quae *Deum pertinent, Episcopo suo inobediens apparere audeat.*

(7) B. Hieronymus in *can. quia sacerdotes* 13, et S. Damasus in *can. hanc consuetudinem* 15. *C. X. qu.* 1. Synod. Rom. III. sub Symmacho Papa in *can. non placuit* 23. *et can. laicis* 24. *C.* 16. *qu.* 17.

tuitatem adepta a laicorum sacrilegis collationibus, et usurpationibus eodem spirituali gladio vindicare Patres, ac Pontifices adeo studuerunt, ut laicales investituras omnino deleverint (1). *Cum sanctuarium Dei iure hereditario teneri non possit: non debet aliquatenus sustineri, ut clerici Ecclesias a parentibus suis fundatas propria auctoritate detineant, aut laici filiis, vel aliquibus concedant easdem*, rescripsit Alexander III. (2). Laicis ergo facultatem conferendi beneficia commune ius, quod viget, prorsus denegat. Vix Reges, nonnullaeque monasteriorum Abbatissae quasi episcopali iurisdictione fruentes eam ex Apostolicae Sedis indulto specialissimo habent.

III. Triplici autem iure Praesules ecclesiastici beneficia conferunt, *plenario, delegato*, et *ordinario:* nimirum Summus Pontifex *plenario*, et sumo Cardinales, aliique nonnulli apostolicum indultum habentes *delegato*, Episcopi, locorumque Ordinarii demum *ordinario*. Ius istud singulorum edisserere curatius mox oportet.

IV. In primis in Ecclesia universa, et cunctis ubique dioecesibus *Ecclesiarum, personatuum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum* plenaria *dispositio ad Romanum noscitur Pontificem pertinere: ita quod non solum ipsa cum vacant, potest de iure conferre, verum etiam ius in ipsis tribuere vacaturis*, ait Bonifacius VIII. (3). Quandoquidem Primatus Ecclesiae Romanae divino Iure institutus, et sollicitudo Ecclesiarum omnium divo Petro, eiusque Sedi Apostolicae in perpetuum a Christo Domino demandata fecit, ut Papa, tamquam Episcopus oecumenicus, et Ordinarius Ordinariorum semper consueverit sexto ab inde saeculo cum quibuslibet Episcopis dioecesanis, locorumque Ordinariis concurrere in collationibus praebendarum, beneficiorumque etiam non reservatorum, eosque suum ad libitum intra sex quoque menses ipsis ad vacantia conferenda concessos praevenire pontificia collatione vel pura, vel conditionali, seu mandato de providendo (4). Nullis quippe finibus plenariam eiusmodi potestatem pontificiam ecclesiasticae leges concludunt. Ipsius usu tantum, et exercitio modus imponitur ex variis locorum, et gentium moribus, indultis, concordiis, et statutis (*).

(1) Conc. Moguntinum I. sub Carolo M. in *can. laici* 37. Cabilonense II. in *can. inventum est* 38. Urban. II. in *can. decimas, et Ecclesias* 39., Alex. II. in *can. per laicos* 20. S. Greg. VII. in *can. suis deinceps* 12. *C. XVI. qu.* 7.

(2) Alex. III. in *cap. consuluit* 15. *de iurepat.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. licet* 2. *de praeb. et dignit. in VI.*

(4) Liquet ex antedictis *cap.* 5. *num.* 7. *ad* 11. *num.* 66. Galli, aliaeque nationes in Synodis Constantiensi, Basileensi, et Tridentina quum studuissent reservationem Apostolicae Sedis amovere non modo generales, sed speciales etiam provisiones beneficiorum non vacantium: ius tamen istud plenarium praeventionis impetere ausi non sunt. Immo idipsum plane salvum voluit Synodus Basileensis *sess.* 31, Patresque Tridentini *sess.* 7. quum plura decrevissent ad reformandam disciplinam beneficiorum, initio eiusdem sessionis protestati sunt ea ipsos constituere, *salva semper in omnibus Sedis Apostolicae auctoritate.*

(*) Concordatorum lege an. 1818. art. X. cautum, quod Canonicatus liberae collationis in Capitulis Cathedralibus, vel Collegialibus alternative conferantur tum a Sede Apostolica, tum a dioecesanis Episcopis: nimirum a Ianuarii mense usque ad Iunium pontificiae collationi illos tribuendos esse sancitum: reliquis vero anni men-

V. Si quando contigerit, quod Episcopus iure ordinario uni, et Papa iure praeventionis alteri unum, idemque beneficium non reservatum, neque affectum conferant intra sex menses a die vacationis: prior in tempore erit potior in iure (1). *Si* vero *a Sede Apostolica, vel Legato ipsius uni, et ab Ordinario alteri* eodem die *idem beneficium conferatur, nec appareat, quae collatio fuerit primo facta:* erit potior *conditio* possidentis. *Si vero neuter possideat, is, cui Sedes ipsa contulit, vel Legatus* (propter conferentis ampliorem praerogativam) *erit alteri praeferendus*, ex textu Bonifacii VIII. (2). Sunt vero qui adhuc putant iuris praesumptionem in dubio episcopali favere collationi. Qui enim iure ordinario, et primitivo collationem ab suo diocesano obtinuerint, is tunc videtur onus probandi exceptionem pontificiae praeventionis in adversarium suum iure transferre. Ad hanc vero praesumptionem excludendam stylus inolevit adiiciendi litteris apostolicis clausulam *cum gratificatione opportuna*, quae praelationem tribuit provisioni apostolicae inter plures eodem die a diversis collatoribus datas.

VI. Ne quis eam contentionem vitaturus abripiatur improba cupiditate impetrandi beneficia viventium, ubi ex lethali morbo possessorum videantur iam iam vacatura, Gelasius Papa, et Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. (3), tum Bonifacius VIII. (4) quascumque promissiones, vel gratias de beneficiis vacaturis nullas, et irritas ipso iure declararunt. Mox Cancellariae Regula XXI. ita statuit: *Si quis supplicaverit sibi de beneficio quocumque, tamquam per obitum alicuius, licet tunc viventis vacante provideri, et postea per obitum eius ius vacet: provisio, et quaevis dispositio etiam vigore alterius novae supplicationis, vel gratiae dicto supplicanti per obitum huiusmodi denuo facienda, nullius sint roboris, vel momenti.* Itaque expetens fraudulenter beneficium ante vacationem, quod iam vacare per obitum exposuerit, heic duplici poena coercetur: nullum scilicet ius ad illud adquirit, quamvis gratia collationis post obitum fortasse providerit (5), fitque inhabilis ad illud postulandum post secutam revera vacationem: praeter ecclesiasticas censuras Iure communi sancitas (6). Et Regula haec in collationibus etiam Ordinariorum, aut Legati apostolici locum sibi vindicat (7).

sibus Pastorum iurisdictioni addici. Diserte tamen prima dignitas excipitur, quae dumtaxat a Sede Apostolica conferenda statuitur.

(1) Quemadmodum si ad duos eadem Sedes Apostolica litteras collationis unius, eiusdemque beneficii dederit diversis diebus, priorem quoque in tempore praeferendum, alio penitus excluso, rescripsit Honorius III. in *cap. Capitulum S. Crucis* 30. *de rescriptis.*

(2) Bonif. VIII. in *cap. si a Sede Apostolica* 31. *de praeb. in VI.*

(3) Gelasius in *cap. qui in vivorum* 1., et Conc. Later. III. in *cap. nulla* 2. *de concess. praeb.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. detestanda* 2. eod. tit. in VI.

(5) Hunc casum quum non definiant Gelasius, nec Alexander III., nec Bonifacius VIII., patet in aucupantes vacatura beneficia poenas canonicas hac Regula magis ampliatas, ut nullus ambitiosis fraudibus aditus supersit, nec voto captandae mortis, nec supplantationi concurrentium in tempore digniorum.

(6) Cit. *cap.* 1. *et* 2. *de concess. praeb.*

(7) Ex communi DD. sententia apud Rigant. *Reg. XXI. num.* 17. *et seq.*, et in Reg. XX. n.° 26. et seq.

VII. Alia item Regula XXX. *de verosimili notitia* statuit: *quod omnes gratiae, quas Papa de quibusvis beneficiis cum cura, vel sine cura saecularibus, vel regularibus per obitum quarumcumque personarum vacantibus in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, et ante datam gratiarum huiusmodi tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsae de locis, in quibus personae praedictae decesserint, ad notitiam eiusdem Sanctissimi D. N. verosimiliter potuerit pervenire.* At Papa dum a Romana Curia discesserit, relicto in ea Datario, vel Signatore gratiarum: huic nunciatam notitiam vacationis verosimilem sufficere Clemens VII. declaravit (1). Hanc ipsam Regulam sibi locum quoque vindicare, ubi Romana Curia videatur in congruo temporis intervallo accepisse notitiam vacationis: sed cursorem, vel nuncium reapse ante obitum beneficiarii, seu ante vacationem impetrans miserit, in poenam *cursus ambitiosi*, monet Claudius Fleury (2).

VIII. Quoties vero ad electionem, vel praesentationem alicuius pertineat provisio beneficii: eam tunc praeveniens Papa fere non afficit (3): nisi apertis ipse verbis eidem iuri, seu eligendi, seu praesentandi derogaverit, ubi derogationibus pontificiis non adversentur leges, et consuetudines locorum.

IX. Vacantia item beneficia per obitum alicuius familiaris Cardinalium, iamdiu consuevit Apostolica Sedes non conferre, nisi accesserit consensus Cardinalis patroni in Curia praesentis. Cui ne fraus fiat, Regula XXXII. Cancellariae iubet: *quod impetrans beneficium vacans per obitum* familiaris *alicuius Cardinalis, teneatur exprimere* nomen, *et* titulum *ipsius* Cardinalis, *et si ille in Curia praesens fuerit, ipsius ad id accedat* adsensus, *alias desuper gratia sit nulla: et idem servari voluit, si Cardinales quomodolibet ab ipsa Curia* absentes, *et ubilibet etiam in locis infra duas diaetas vicinis degentes, familiamque, et lares in eadem Curia retinentes, ab ipsa Curia recesserint, ad eamdem illico reversuri, et infra decem, vel ad summum quindecim dies vere, et personaliter reversi fuerint. Ita quod Cardinalibus, alias quam ut praefertur, ex quacumque caussa quantumlibet necessaria, et hic necessario exprimenda* absentibus, *facultas praestandi* consensum *huiuscemodi non competat: sed beneficia huiusmodi ad liberam Sanctitatis Suae, et Sedis Apostolicae provisionem, et dispositionem pertineant. Declarans Regulas, et constitutiones suorum praedecessorum, etiam a die earum editionis, et pubblicationis super adsensu huiusmodi praestando sic intellectas, et intelligendas fuisse. Quodque si praedicti familiares eorumdem Cardinalium* familiares *esse* desierint, *seu ad aliorum Cardinalium familiaritatem similem transierint, quod beneficia, quae familiaritate priori durante obtinuerint, et in quibus, vel ad quae priore ipsa familiaritate durante ius eis competierit, Cardinales, quorum prius familiares fuerint, suum habeant adhibere consensum. Declarans praesentem constitutionem locum non habere in illis beneficiis, quae familiares ipsi* tempore obitus eorum *in dicta Curia, vel intra eam obtinerent, aut antea obtinuissent, et ratione officiorum per eos obtentorum dictae dispositioni generaliter reservata, vel affecta*

(1) Clemens VII. die 23. Decembris 1533. apud Rigant. *in Reg. XXX. num.* 1.
(2) Cl. Fleury *lib.* 2. *Iur. Can. cap.* 21.
(3) Bonif. VIII. in *cap. in illis* §. 16. 1., *et* 2. *de praebendis.*

fuisse apparerent. Nec non illos quoad effectum dictae constitutionis familiares eorumdem Cardinalium censeri, qui ipsorum Cardinalium familiares continui commensales ad minus per quatuor menses, *computato etiam tempore ante promotionem ad Cardinalatum fuisse probarentur. Decernens irritum* etc.

X. Praetereaque Regula XXXIII. *ad evitandas lites, et contentiones, quae ex* praecedenti sua constitutione *exoriri possent, vestigiis praedecessorum suorum inhaerendo, statuit, quod si beneficia, quae per obitum* familiarium *continuorum commensalium eorumdem Cardinalium in futurum vacabunt, cessantibus apostolicis reservationibus, ad alterius Cardinalis collationem, vel aliam dispositionem pertinere deberent, in dicta praecedenti constitutione non comprehendantur, quoad hoc, ut in provisionibus talium beneficiorum super expeditione litterarum illius Cardinalis, cuius familiaris defunctus ille extitit*, consensus *requiri debeat. Sed beneficia huiusmodi ad collationem, seu quamvis dispositionem* Cardinalis ordinarii collatoris, *ut praefertur, libere spectare censeantur. Et si apud Sedem Apostolicam beneficia huiusmodi per obitum dictorum familiarium vacaverint, tunc in provisione talium beneficiorum super expeditione litterarum* illius Cardinalis *exigatur consensus, si in Romana Curia* praesens *fuerit, ad quem eorumdem collatio, et dispositio, ut praefertur, pertinere deberet: ita ut Cardinalis* ordinarius collator *in concursu cum Cardinale* patrono *semper praeferri debeat, salvis tamen semper* indultis *concessis, et concedendis eisdem S. R. E. Cardinalibus: decernens irritum etc.*

CAP. VII.

De collatoribus ex indulto extraordinariis.

I. Cardinales communi fruuntur indulto conferendi beneficia etiam reservata in mensibus apostolicis vacantia.
II. Excipiuntur vacantia apud Sedem, et in Curia.
III. Quaeque dimiserint veri familiares Papae, aut Cardinalium, Cardinales ipsi, et Conclavistae.
IV. Simul quae duabus, pluribusve reservationibus coaequalibus afficiantur.
V. Personales ambo, vel ambo reales reservationes dicuntur coaequales: personalis una, et realis altera inaequales.
VI. Quum personae, tum officii respectu personales, ex quo plures reservationes indultum nunc excludunt.
VII. At plures uni officio adnexae qualitates, puta familiaritas Papae, ac dignitas protonotarii unam ferunt reservationem.
VIII. Reservatio mensium cum reservatione personali, vel reali concurrens indulto vim non impedit.
IX. Absentes a Curia Romana Cardinales beneficia in dioecesibus

sibi commendatis tantum, non alia suis in titulis vacantia conferunt.

X. *Nec suam ante promotionem vacantia conferunt sine indulto specialissimo.*

XI. *Reales etiam reservationes, et affectiones indultum comprehendit, sed non omnes.*

XII. *Extraordinaria huius indulti potestas ordinariam praesupponit, fines dioecesis non excedit, neque ad exempta protenditur.*

XIII. *Aliis ius conferendi cum Episcopo simul habentibus ea nec prodest, nec nocet.*

XIV. *Nec iura eligendi, aut praesentandi ullatenus minuit.*

XV. *Devoluta ad Sedem Apostolicam beneficia non comprehendit.*

XVI. *Episcopalem Ecclesiam dimittentes Cardinales indultum obtinent conferendi beneficia inibi vacatura in octo mensibus apostolicis.*

XVII. *Obtinens a Cardinale beneficium ratione mensis apostolici, vel aliunde reservatum cogitur pontificias novae provisionis litteras impetrare.*

XVIII. *Novis constitutionibus, et Regulis Cardinales fere non obligantur.*

XIX. *Cardinales insuper beneficia in Episcopatibus suburbicariis, Ecclesiisque titulorum suorum in Urbe conferunt, quamdiu in Curia resident.*

XX. *Trium basilicarum patriarchalium inferiora beneficia conferunt Cardinales Archipresbyteri, earumque Canonici.*

XXI. *Legatis, Nunciisque apostolicis, aliisque Praesulibus consuevit etiam indulgeri collatio beneficiorum.*

XXII. *Necnon Regibus.*

XXIII. *Qui ex apostolico privilegio possunt spiritualem administrare collationem velut instrumenta Pontificis.*

XXIV. *Nedum expresso, verum etiam praesumpto ex immemorabili consuetudine.*

XXV. *Utroque suffultus Rex Neapolitanus plures dignitates, canonicatus, et beneficia inferiora confert.*

I. Singulis Romanae Ecclesiae Cardinalibus iamdudum consuevit Sedes Apostolica indultum concedere conferendi iure delegato *quaecumque beneficia* sibi subiecta *extra Curiam vacantia*, *quamvis reservata ratione* mensium, *aut quod illa obtinentes fuissent* familiares ficti *praedecessorum Pontificum, aut Sedis Apostolicae notarii, subdiaconi, archipresbyteri, capellani, litterarum apostolicarum scriptores, abbreviatores, cubicularii Nuncii apostolici, et subcollectores* (1), et alii *officiales praesentes et futuri.*

(1) Ex formulae fragmentis apud Rigant. *in Reg. I. Can.* §. 4. *num.* 14., et

quocumque nomine nuncupentur: quatenus beneficia huiusmodi ratione mensium apostolicorum, seu ex quavis alia caussa dispositioni apostolicae reservata, seu ex generali reservatione apostolica affecta *conferre, et de illis providere libere possint* (1):

II. Huiusce mandati apostolici fines, quos indicant exscripta indulti verba, custodire diligenter oportet, neque ad alios ultra expressos casus extendere, ut collationes exinde valeant, quae illius vigore fient (2). Igitur quae *apud Sedem in Curia* Romana vacaverint beneficia, Cardinales ex indulto eiusmodi conferre in primis prohibentur quum reservatorum *extra Curiam* dumtaxat vacantium collatio eis indulgeatur (3). Nam Clemens IV. dum vacantia apud Sedem in Corpore Iuris reservavit, palam dixit nemini prorsus licere ea conferre, *quacumque super hoc sit facultate munitus.... nisi eis sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacationibus specialis, et expressa ab ipso Pontifice Summo auctoritas attributa* (4). Hac eadem ratione vacantia ex decreto beneficia eorum, qui ad episcopatum promoventur, Cardinales vigore communis indulti non conferunt (5). Nec ea, quorum retentio concessa Episcopo fuit in actu promotionis (6). Nec vacantia ob neglectam resignationis publicationem (7).

III. Quae itidem beneficia obtinuerint familiares veri Pontificum, continui nempe commensales, conclavistae, nec non Cardinales, eorumque familiares, ceteri Sedis Apostolicae officiales in recitato indulto non expressi, et per obitum ipsorum vacaverint extra Curiam, ea nequibit Cardinalis vigore communis eiusdem indulti conferre (8), strictam accipientis interpretationem. Nam exceptio personarum, quas tale indultum enumerat, firmat regulam in contrarium. Speciali propterea indulto ampliori, quod suis Pontifices nepotibus, nonnullisque benevolis Cardinalibus ad libitum largiuntur, Sedes Apostolica solet expresse mandare facultatem conferendi reservata, et affecta etiam beneficia eorum, qui *Papas*, aut *Cardinalium familiares continui commensales fuerint*, aut *per mortem Cardinalium, aut Episcoporum, et quorumcumque aliorum contentorum in Extravag.* ad regimen, *seu aliarum constitutionum apostolicarum, seu ex quavis alia caussa dispositioni apostolicae specialiter, seu alias generaliter reservata, seu ex generali reservatione, etiamsi illa* multiplex, *ac personalis,*

174. Eamque integram habet, illustratque commentario Anastasius Germonius de *Indult. Cardinal.*

(1) Ex Rigantio, et Germonio *ibidem*.

(2) Paulus in *l. diligenter* 5. *D. mandati*, Innoc. III. in *cap. cum dilecta* 22. *de rescriptis*, Honor. III, in *cap. venerabili* 37. *de off. et pot. iud. deleg.* et Bonif. VIII. in *cap. cui* 27. *de praeb. in VI.*

(3) Rigant. in *Reg. I. Canc.* § 1. *num.* 359. *et seq.*

(4) Clem. IV in *cap. licet* 2. *de praebendis in VI.* Hinc indulto quamvis amplissimo conferendi vacantia, vel vacatura *qualiacumque, et ubicumque, non obstante quocumque privilegio, de quo etiam oporteret de verbo ad verbum expressam facere mentionem*, nec etiam comprehendi beneficia *apud Sedem* vacantia, tenent Doctores apud Rigant. *loc. cit. num.* 356.

(5) Armind. Ricc., et Congr. particularis apud Rigant. *in Reg.* 2. *Canc.* §. 3. *num.* 400. *et seq. tom.* 1.

(6) Rigant. *in Reg.* 1. §. 7. *num.* 191. *et. seq.*

(7) Rigant. *in Reg.* 1. *Canc.* §. 1. *num.* 52.

(8) DD. cum Rigantio in *Reg.* 1. *Canc.* §. 8, *num.* 10. *et seq.*

realis, vel mixta simul fuerit: non tamen ratione vacationis apud Sedem, *nec ex persona cuiuslibet* conclavistarum, *nec etiam ratione* familiaritatia continuae commensalitatis *nostrorum, seu Romani Pontificis pro tempore existentis* familiarum continuorum commensalium, *qui nunc sunt, vel alias, dum Cardinalatus honore fungebatur, fuerunt* (1).

IV. Quum reservatio *multiplex* indulto hoc speciali adimatur expresse in gratiam Cardinalium nepotum: colligitur inde, quod commune indultum priori iam dicta forma conceptum Cardinalium tunc permittat extraordinariam beneficiorum reservatorum collationem, ubi ea uni reservationi personali obnoxia sint: secus, ubi duae simul in ipsis concurrant coaequales eiusdem nempe generis personales reservationes. Nam ex voto Ubaldi, et Verospi Rotae Auditorum, quod requisivit, probavitque Paulus V. anno 1615, non comprehenduntur in praedictis indultis *beneficia duplici reservatione personali coaequali reservata, vel affecta* (2). Mox Urbanus VIII, die 15. Iulii 1642. constitutione sua edixit Cardinales *non potuisse, nec posse* vigore indulti communis *conferre beneficia duplici reservatione personali reservata, vel affecta* (3). Tandem Alexander VII. die 12. Aprilis 1666. declaravit specialius, et constituit: *beneficia protonotariorum, scriptorum, et aliorum officialium enumeratorum in Extravag.* ad regimen *esse reservata, ubicumque decedant, etiam extra Romanam Curiam, et duas diaetas. Itemque reservationem beneficiorum obtentorum per dictos officiales intrare etiam ratione solius officii: et insuper protonotariatum ex militis resultantem, dictumque scriptoratum separatim adquisitum constituere* duas reservationes personales coaequales, *exclusivas indulti* (4).

V. Uti coaequales reservationes, et affectiones putantur, vel ambo personales, vel ambo reales: ita dispares dicuntur personalis una, et realis altera: vel ex duabus quum personalibus, tum realibus una potentior, quam altera, aut principalis una, et altera accessoria. De duabus aeque personalibus locutos Paulum V, Urbanum VIII, et Alexandrum VII, iam exscripta ipsorum verba commonstrant. Duas itidem reales reservationes, affectionesque parem habere vim excludendi indultum, Rota definivit: dum Papa cuidam nonnulla beneficia commeodaverat, eidemque mox ad Episcopatum promoto indulserat retentionem eorum, et ita bis ex aequo manum apponendo suam in diversis casibus duas eis reales reservationes, seu affectiones infixerat (5). Sed reservationum aequalium duplicitas non oritur, nisi ex diversis earum speciebus unius, eiusdemque generis: quia plures unius arboris fructus, quamvis augeant unam eiusdem pomi speciem, non tamen geminant diversam coaequalem. Hinc si quis plurium Cardinalium familiaris fuerit, vel protonotarius a Collegio, tum a Legato apostolico, et Papa sit iterum, iterumque creatus, vel officium Nuncii, aut

(1) His verbis conceptum indultum Card. Francisci Barberini, de quo egit Rota *dec.* 14. *par.* 12. *rec.* fert Rigantius *in Reg. IV. Canc.* §. 5. *num.* 24.

(2) Votum istud videsis apud Gratianum *discept.* 982 *num.* 13. *et seq.* At Cardinales contra illud frustra reclamarunt contendentes indultis consuetis non refragari multiplices coaequales reservationes.

(3) Urban. VIII. *const.* 288., quam exscriptam habet Fagnanus in *cap. sicut unire de excess. Praelat. num.* 49.

(4) Alex. VII. in *const.*, quam refert Card. de Luca *disc.* 3. *de benefic. num.* 8.

(5) Rigaut. in *Reg. I. Canc.* §. 4. *num.* 195.

subcollectoris, aliudve simile in pluribus locis gesserit: non duplicem, sed unicam reservationem ex familiaritate, vel dignitate protonotarii, vel officio is contrahit. Pariter sicuti ad duos ex intervallo episcopatus promoto Papa indulgeat retentionem beneficiorum : una tantum effectio ex ea duplici appositione manus papalis oritur (1).

VI. Familiarium, collectorum, cursorum, et cubiculariorum dumtaxat beneficia personali reservationi adscribunt omnes cum Rigantio (2). De beneficiis autem protonotariorum, aliorumque officialium disputabant DD. ante laudatam Alexandri VII. constitutionem, ad personalem ne, an localem reservationem pertinerent. Qui ea ad localem trahebant reservationem, fatebantur officialium beneficia constitutionibus extravag. *ex debito*, et *ad regimen* reservata esse non ratione personae, seu officii, sed respectu loci: quum in eisdem constitutionibus fingantur officiales, ubicumque ii decesserit, mortem in Curia obire; ideoque per istam loci fictionem beneficia ipsorum velut vacantia in Curia reservationem subire localem, non personalem (3). Cumque protonotarios, ceterosque officiales Paulus III. declaraverit, effeceritque Papae familiares (4): in eorum beneficiis reservationem per accidens personalem ratione familiaritatis officio adnexae agnoscebant, sed non insitam principaliter officio, seu personae (5), ut unicam in beneficiis familiarium, qui protonotariatum, aliudve officium exinde obtineret, reservationem adstruerent. At post Alexandrinam constitutionem praevaluit sententia rebus iudicatis oblirmata, quod Officialium Sedis Apostolicae beneficia reservata censeantur nedum ratione familiaritatis a Paulo III. illis concessae, verum etiam ratione officii: proptereaque personalis haereat eis praecipua reservatio, quae simul cum alia personali, aut reali concurrens indultum excludit (6). Hinc duo si quis officia quaelibet diversa obtinuerit, quorum singula reservationem pariunt, eius beneficia in duplicem reservationem incidere nunc indicantur (7). Quoniam non ex sola familiaritate Papae, vel protonotarii dignitate officiis fere adnexa, quam in una, eademque persona duplicem ponere absurdum videtur) reservatio oritur: sed ex officio ipso duplici, et diverso eam derivare palam dixit Alexander VII. Sunt qui opinantur non reservata beneficia illorum officialium, quos laudatae extravagantes non enumerant, puta auditoris Camerae, eiusque locumtenentis, clerico-

(1) Rota *dec.* 513. *num.* 38., *et seq. par.* 19 *rec. to.* 2. *apud* Rigant. *in rubric. Reg.* §. 2. *num.* 35., *et seq.*

(2) Rigant. *in rubr. Reg.* §. 2. *num.* 38., *et fin. et in Reg.* 1. §. 4. *num.* 182. ex Rota *coram Royas dec.* 100.

(3) Lotterius, Barbosa, Rota, et Card. de Luca apud Rigant. *loc. cit.* §. 4. *num.* 191. *ad* 193.

(4) Ex supradictis cap. V. n. 32.

(5) Lotterius cum. Rigant. *loc. cit. num.* 196. contra Sarnensem.

(6) Card. de Luca apud Rigant. *ibidem num.* 198. Hinc Rota *dec.* 608. *par.* 5. *rec.* coram Bichio *dec.* 221. coram Dunozetto *dec.* 632. definit, et Pitonius *tom.* 4. *discept.* 105. *num.* 19. comprobat, Cardinales vigore indulti communis conferre non posse beneficium vacans per cessum, vel decessum protonotarii simul subcollectoris.

(7) Rota *dec.* 476. *num.* 6., *et seq. par.* 18. *rec.* Card. de Luca *de benefic. disc.* 102. Rigant. *loc. cit. num.* 185., *et* 236., *et seq.*

rum Camerae, procuratorum contradictarum, locumtenentis Avenionensis, ceterorum (1). Sed probabilior, et communior est aliorum sententia, quod Regula I. Cancellariae reservans beneficia officialium, officiales etiam creatos post extravagantem, ibique non expressos complectatur (2).

VII. Familiaritas vero, et dignitas protonotarii dum sunt uni, eidemque officio simul adnexae, quia tamquam accessiones principalem officii naturam ambae sequuntur, et ab ipso absorbentur officio, nonnisi unicam reservationem tunc ferunt beneficia istius officialis. Nam si reservationem in officio uno duplicarent praerogativae huiusmodi accessoriae, indultum Cardinalibus fere numquam suffragaretur, eis facultatem largiens conferendi reservata etiam beneficia, quae obtinuerint *officiales praesentes, et futuri, quocumque ii nomine nuncupantur* (3). Necesse porro est, ut multiplices, diversaeque reservationum caussae in unam personam distincte confluant, quoties velint beneficia ipsius multiplici reservationum vinculo obstricta iudicari (4).

VIII. Inaequales, ac dispares reservationes vim indulto non adimere, colligitur ex antedictis. Itaque in primis potentior una aliam minorem absorbet, ideoque familiaritas Papae ex. gr. familiaritatem Cardinalis in una, eademque persona coniunctam ita suffocat, ut unicam constituat reservationem (5): nisi quia maluerit duplicem eiusmodi familiaritatem ad unam reservationis speciem redigere. Personalia item reservatio, tamquam dignior trahens ad se realem, velut accessoriam efficit, ut si officialis ad episcopatum assumptus retentionem beneficiorum obtineat, haec extra Curia inde vacantia Cardinalis ex indulto conferat: quia personalem reservationem ratione officii non aequat realis reservatio promanans ex affectione, seu appositione manus Pontificis (6). At affectio ex praevia personali reservatione obveniens, puta post dimissum officium subcollectoris, vel post extinctam familiaritatem, quum naturam personalia, non realis reservationis quidem adsumat: recte coniungitur cum alia personali reservatione pro excludendo indulto (7). Quoties insuper contigerit reservatorum beneficiorum vacatio in mensibus apostolicis: Cardinales ea, non ali-

(1) Cassidorus, Rebuff., Mandos., Armindus, Ricc., ceteri apud Rigant. *ibidem num.* 218. *et seq.*

(2) Rigant. *loc. cit. num.* 241. *et seq.*

(3) Rota *dec.* 266. *num.* 4. *et seq. par.* 13. *rec.*, et alibi apud Rigant. ibidem *num.* 173. *et seq.*

(4) De Referendario, qui postea protonotarius ex intervallo creatus est, agit Rota *dec.* 476. *num.* 6., *et seq. par.* 18. *rec.*, et Card. de Luca *de offic. venal. cap.* 2. *num.* 16. De familiari Papae, et Protonotario Gratianus *discept.* 982. *post num.* 24. De cubiculario Papae, et Protonotario Mansus *consult.* 647. *num.* 5. *tom.* 7. De Auditore Rotae, ac Referendario Rota *dec.* 523. *num.* 45. *part.* 19. *rec. tom.* 2. de Nuncio, et Refer. Card. de Luca *de benef. disc.* 4.

(5) Ex antedicto Ubaldi, et Verospii voto, cui DD. adstipulantur apud Rigant. *in rubr. Reg.* §. 2. *num.* 21.

(6) Rota coram Millino *dec.* 414. et apud Novar. *in sum. Bullar. dec.* 30. *num.* 18., *et seq.* Rigant. *ibidem num.* 24., *et* 29.

(7) Rota coram Seraphino *dec.* 1251: Duran. *dec.* 154. et DD. apud Rigant. *loc. cit. num.* 30. Hanc affectionis personalis speciem spectant ea indulti verba: *generaliter reservata, seu ex generali reservatione apostolica affecta* apud Rigant. *in Reg. IV Canc.* §. 5. *num.* 46.

ter, quam vacantia in mensibus Ordinariorum, libere conferunt. Nam temporanea reservatio mensium difformis a personalibus, et realibus reservationibus perpetuis quum sit, haec numquam cum aliqua earum ita coniungitur, ut coequales duas componat reservationes, indultumque idcirco numquam excludit (1).

IX. An idem ius vigeat in aliis temporaneis reservationibus vacantium, dum Cardinales ab suis titulis absunt (2), et quae vacante Sede praedecessoris Episcopi vacassent (3): operae pretium est heic inquirere. Ad Cardinales absentes quod attinet, antiqua indulti forma hunc habebat articulum: *tibi etiam, quando, et quoties de licentia nostra etiam pro tua voluntate ab eadem Curia ubilibet etiam extra montes abesse contigerit, quaecumque beneficia* etc. (4). Cuiusmodi verba absentibus etiam ab Urbe Cardinalibus concedere collationem beneficiorum, quae in Ecclesiis titulorum, et diaconiis vacarent, Doctores olim contendebant (5). Sed contraria nunc viget sententia, ex quo Innocentius XI. anno 1681. primus omnium recitato indulti articulo hanc addidit clausulam: *servata tamen quoad beneficia titulorum, et diaconiarum, episcopatuum cardinalitiorum constitutionis, seu Regulae VIII. Cancellariae dispositione* (6). Quum isthaec VIII. Regula Cancellariae, quam indulti forma recentior obfirmat, Apostolicae Sedi reservet speciatim beneficia in Cardinalium sex episcopatibus, necnon diaconiis, et titulis, quoad ii a Romana Curia absunt, vacantia (7): fit exinde, ut Cardinales vigore huiusce indulti de licentia Papae a Romana Curia absentes beneficia in episcopalibus Ecclesiis, dioecesibusque sibi commendatis quolibet mense vacantia conferant, non illa, quae in diaconiis, titulisque suis contigerit absentiae suae tempore vacare, quamvis aliunde non reservata.

X. Quae tempore viduitatis Ecclesiarum usque ad provisionem successorum vacassent beneficia, per secundam Regulam Cancellariae reservata quum sint, Cardinales in ea successores facultatem conferendi fere non habent, nisi eam alicui Papa speciatim, et expresse indulserit. Quia singulis Cardinalibus communi indulto conceditur collatio beneficiorum, *quae extra Curiam vacare contigerit:* his plane verbis patefacta mens Pontificis futuras tantummodo post indultum vacationes respicit, nulloque pacto valet ad praeteritas retorqueri (8). Cardinalibus autem nepotibus suis, et alicui amicissimo largiri volentes collationem eorum etiam, quae ante ipsorum promotionem vacassent id consueverunt palam expri-

(1) Videsis dicta superius *cap.* V. *num.* 43. *pag.* 126.

(2) De hac reservatione superius dixi *cap.* V. *num.* 42.

(3) De his dictum est eodem *cap.* V. *num.* 39.

(4) Apud Germon. *de indult. Card.* §. *tibi quoad vixeris.*

(5) Garzia, Kochier, Barbosa, Massobrius, ceteri apud Rigant. *in Reg.* 8. *Canc.* §. 1. *num.* 77. *et seq.*

(6) Ex Rigantio *ibidem num.* 122.

(7) De qua superius dixi *cap.* V. *num.* 42.

(8) Hunc sensum Doctores explicant unanimiter, et firmant res iudicatae; Rota *dec.* 566. *num.* 2. coram Cavalerio, *dec.* 4. *de privileg.* coram Mocdano, *dec.* 10. *num.* 4. *par.* 13. *rec.*, et alibi apud Rigant. *in Reg.* 2. *Canc.* §. 3. *num.* 385., *et seq.*

mere his aliis indulto adiectis verbis: *quae vacare contigerit, et nunc vacantibus* (1).

XI. Facultatem conferendi reservata quum ratione mensium, tum ratione fictae familiaritatis, et officii, seu *ex quavis alia caussa* Cardinales quum habeant ex indulto communi, ex hisce verbis videtur indultum commune reales quoque reservationes comprehendere: at non omnes. Enimvero Cardinales vigore istius indulti conferre utique possunt beneficia, quae vacent per collationem incompatibilium reservatorum ab ipsis eadem indulti auctoritate factam, quamvis reservata realiter per extravag. *ad regimen* (2). At e contrario nequeunt providere primas dignitates Cathedralium, nec principales Collegiatarum (3). Neque concistorialia, seu in libris Camerae taxata beneficia (4). Nec litigiosa (5). Nec regularia exempta in saecularem statum redacta, et perpetuo reservata (6). Facultas autem, quae Cardinalibus indulto tribuitur conferendi beneficia etiam regularia, locum in iis habet, quae ad suam ipsorum collationem pertinent in monasteriis sibi commendatis, simul et in regularibus non exemptis, quae ipsis amota reservatione subiacent (7).

XII. Edisserenda supersunt haec alia indulti verba: *ad tuam etiam cum alio, vel aliis collationem, provisionem, praesentationem, electionem, institutionem, seu quamvis aliam similem, vel dissimilem dispositionem quomodolibet pertinentia* (8): quae nimirum amotis reservationibus tu vel solus, vel coniunctim cum aliis posses iure ordinario conferre. Huius articuli contextus patefacit indultum Cardinalibus Episcopis potestatem extraordinariam non egrodi fines dioecesanae iurisdictionis, eamque ita super ordinariam collocari, instar columnae super basim, ut hac deficiente non possit ea consistere. Non possunt propterea Cardinales vigore indulti manum suam extendere ad beneficia exempta, quamvis intra suam dioecesim fundata (9): sed eorum collatio in mensibus ordinariis ad Praelatos inferiores, Abbatesque, in mensibus reservatis ad Sedem Apostolicam pertinet. Eodemque iure exemptionis beneficia in solo Lateranensi erecta non ab Episcopis dioecesanis, neque a Cardinalibus indulto auctis, sed a Capitulo Lateranensi in quatuor mensibus ordinariis conferuntur (10).

(1) Ex Rigantio *ibidem num.* 396.
(2) Rigant. *in Reg.* 1. §. 8. *num.* 185.
(3) Idem *in Reg. IV. Canc.* §. 1. *num.* 38.
(4) Card. de Luca *de benefic. disc.* 4. *num.* 6., Germon. *de indult.* §. *regularia num.* 82.
(5) Rota *dec.* 67. *num.* 7. coram Duran. et *dec.* 433. *num.* 44. coram Bichio, Rigant *tom.* 3. *in Reg.* 29. *Canc.* §. 29. *Canc.* §. 2. *num.* 176., *et* 177., ubi refellit Card. de Luca aliter opinantem *disc.* 52 *de benefic. num.* 15.
(6) Rigant. *in Reg. IV.* §. 3. *num.* 25., *et seq. tom.* 1., *et in Reg. IX.* §. 2. *num.* 121. *tom.* 2.
(7) Rota *dec.* 587., *et* 588. *par.* 4. *divers.*, et *dec.* 289. coram Penia, apud Rigant *in Reg. IV. Canc.* §. 3. *num.* 30.
(8) Ex Armindo Riccio apud Rigant. *ibidem num.* 74., et in *Reg. IX. Canc.* §. 3. *num.* 116.
(9) Rota *dec.* 523., *et* 580. *par.* 1. *rec. tom.* 2., et alibi apud Rigant. *loc. cit. num.* 26. 77., *et seq.*
(10) Armind. Ricc. *loc. cit. num.* 77.

XIII. Aliis autem consortium cum Cardinale habentibus in collatione, vel institutione, aliave qualibet provisione beneficiorum nec prodest, nec nocet extraordinaria eius potestas indulto personali quaesita. Enimvero *alius alterius privilegio speciali prohibetur uti*, ex regula Bonifacii VIII (1). Et *cum quid una via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti* (2). Iure hinc merito Urbanus VIII. die 29. Decembris 1725. declaravit indultum, quod solis Cardinalium personis conceditur, non suffragari Capitulis Cathedralium, nec aliis iuris conferendi participibus, eisque nullum communicare ius in reservatis quum mensibus, tum beneficiis (3). Consequitur exinde, quod indultum non abroget apostolicas reservationes, earumque nec vincula abrumpat, neque obstacula removeat: sed puram putam delegationem apostolicam in beneficiis reservatis largiatur. Immotae propterea reservationes obstant, ne prisca ex indulto resurgat ordinaria potestas Episcoporum, Capitulorumque, neve ad pristinam redeat libertatem (4). Et versa vice Capitulis, aliisque in collatione beneficiorum consociis nil iuris detrahit indultum, nec eorum communem cum Cardinale collationem in quatuor mensibus ordinariis impedit (5). *Non debet* enim *alteri per alterum iniqua conditio inferri* (6), nec Pontificis gratia dari cum alterius detrimento.

XIV. Eligendi, vel praesentandi iura quo magis inviolanda sunt, eo minus indulto deminuuntur. Beneficia enim de iure patronatus laicali sub indulto Cardinalium non cadere, Rota censuit (7). Eaque a cunctis reservationibus exempta quum viderimus (8): liquet patronis laicis integrum esse ius praesentandi, quamvis vacatio beneficiorum de suo patronatu in mensibus apostolicis evenerit. Quod alia patronatus ecclesiastici in mensibus reservatis vacantia Cardinalis Episcopus vigore indulti conferre valeat, Rota pluries definivit (9). Ubi concurrat patroni ecclesiastici praesentatio, vel Capituli, aut Collegii electio, aut consensus, aut silentium: nullus erit ambigendi locus. Illis autem dissentientibus, et reclamantibus, ea oportebit ad incudem revocare, quae superius dixi de patronatu ecclesiastico (10).

XV. Quae ad Sedem Apostolicam beneficia devolvuntur ex negligentia alterius collatoris, non alium, nisi Papam superiorem habentis in dioecesi Cardinalis Episcopi, vel ex sua ipsius negligentia (11), ea is conferre non

(1) Bonif. VIII. in *cap. cum sane* 9. *de privilegiis in VI*.
(2) Idem in *cap. cum quid* 84. *eod. tit. in VI*.
(3) Urban. VIII. *const.* 59., de qua dictum supra est *cap.* V. *num.* 43.
(4) Rota *dec.* 585. *par.* 5. *rec.* Card. de Luca *de benefic. disc.* 1. *num.* 37.
(5) Rota coram Bichio *dec.* 99., *et* 433. coram Royas *dec.* 30. *apud* Rigant. *loc. cit. num.* 29.
(6) Papin. in *l. non debet* 74. *D. de Regulis Iuris*.
(7) Rota *dec.* 290. *par.* 18. *rec. num.* 22., *et* 23. coram Dunozetto *dec.* 397. *num.* 22., et alibi apud Rigant *in par.* 1. *Reg.* IX. *Can.* §. 2. *num.* 334.
(8) Hoc tract. *cap.* 5. *num.* 71.
(9) Rota coram Gregorio *dec.* 33., tum *dec.* 298. *num.* 16., *et dec* 329. *num.* 12. *par.* 9. *rec.*, et alibi ab Armindo Riccio laudata penes Rigant. in *Reg. IV. et* §. 3. *num.* 79.
(10) *Cit. cap.* V. *num.* 72.
(11) Innoc. III. in *cap. licet magister* 3. *de suppl. negl. Prael.*, *et cap. postulastis* 15. *de concess. praeb.*

potest vigore indulti. Nam reservationes indulto sublatae, vel suspensae devolutionem Iure communi constitutam, quae diversam ab eis naturam habet, non complectuntur (1). Secus dicendum est, quoties ob alienam negligentiam, puta Capituli Cathedralis Ecclesiae, ad Episcopum inculpabilem devolvunt canones collationem (2).

XVI. Consueverunt insuper Cardinales Ecclesias episcopales dimittere cum indulto conferendi, *ut prius* earum beneficia in octo mensibus apostolicis vacatura, quatuor aliis mensibus successori Episcopo relictis (3); quod nunc praeservatur integrum, ubi dimissa Ecclesia alteri Cardinali confertur. Sed hocce indultum quo magis extraordinarium est, eo strictiorem postulat interpretationem. Non licebit idcirco post dimissam Ecclesiam Cardinali renunciationes beneficiorum admittere, quum Ordinarius ipse non sit amplius (4): neque si moriatur exinde successor Episcopus, adrogare sibi ordinariam beneficiorum collationem in quatuor mensibus ordinariis vacantium (5).

XVII. Quisquis a Cardinalibus beneficium quomodolibet reservatum, vel in mense reservato vacans adipiscitur, ei lex ipsa indulti onus imponit impetrandi ab Apostolica Sede litteras *novae provisionis* cum solutione taxarum omnium intra quatuor fere menses, quotiescumque beneficii redditus vigintiquatuor ducatos auri de Camera, nullis deductis oneribus excederent. Ne quis autem sibi blandiatur id posse onus abiicere impune, fretus auctoritate Doctorum aliquot contendentium Cardinales beneficia in apostolicis mensibus vacantia, et aliunde non reservata iure ordinario potius, quam delegato conferre (6). Benedictus XIV, motu proprio in perpetuum sanxit: *ut nemo deinceps ab eisdem Cardinalibus ordinariis collatoribus provisus de beneficio in aliquo ex mensibus apostolicis praefatis vocato possit se quocumque praetextu eximere ab expeditione litterarum apostolicarum in forma* novae apostolicae provisionis, *iuxta formam in indultis Cardinalibus concedi solitis praescriptam: alias elapso tempore ibidem praefixo possit idem beneficia a Sede Apostolica praedicta impetrari* (7). Nova autem provisio Sedis Apostolicae hanc inter alias continet clausulam: *dummodo beneficia praefata sub indulto comprehendantur* (8).

(1) Rota coram Gypsio *in Romana* 28. *Aprilis* 1595. apud Rigant. *in par.* 1. *Reg. IX.* §. 13. *num.* 124.

(2) Alex. III. in *cap. nulla* 2. *de concess. praeb.*, et Innoc. III. in *cit. cap. postulastis*. Hac de re videsis dicta superius *cap.* V. *num.* 12., et inferius dicenda *cap. VIII.*

(3) De hoc indult. agunt Germon. *de indult. Card.* §. *per quae sublatis*, *et* §. *commendasse*, Gonzalez *ad Reg.*8. *gl.*21. *num.* 36. *et seq.*, Card. de Luca *de benefic. disc.* 2., *et* 31., Rigant *in Reg.* 2. §. 3. *num.* 407., *et seqq.*

(4) Rota coram Puteo *dec.* 164. *lib.* 3, Coccin. *dec.* 870. *num.* 19., *et* 20. Achill. *de* Grassis. *dec.*1. *de off. ordin.* Paris. *de resignat. lib.* 7. *qu.* 12. *num.* 24.

(5) Rota *dec.* 422. *par.* 1. *divers.* et DD. apud Rigant. *loc. cit. num.* 411.

(6) Ex supradictis *cap.* 5. *num.* 43.

(7) Bened. XIV. in *const. cum sicut accepimus* 12. *to.* 1. *Bullar.* Si quis vero Cardinalium indultum impetrare omiserit, neque acceptaverit, et beneficia non reservata malit in cunctis mensibus duodecim conferre vigore exceptionis eorum a Regula IX: locum tunc non esse reservationi Sedis Apostolicae, monet Rigantius *to.* 2. *pag.* 89. *num.* 84.

(8) Ex Rigant. in *Reg. IV. Canc*, §. 3. *num.* 34.

XVIII. Hactenus dicta patefaciunt, quomodo, quibus, et quando Cardinales debeant speciatim reservationibus apostolicis Regularum Cancellariae obtemperare. Ceterum Regula LXX. eos generatim eximit declarando: *quod in quibuscumque constitutionibus, et Regulis per Sanctitatem Suam edendis non comprehendantur, neque comprehensi censeantur ipsi Cardinales, nisi illae eorumdem Cardinalium favorem concernant, vel constitutiones edendae de eorumdem Cardinalium, vel maioris partis eorum consilio editae fuerint, seu in eisdem Regulis, et constitutionibus facta fuerit ipsorum Cardinalium expressa mentio.*

XIX. Sex Cardinales Episcopi suburbicarii, aliique Cardinales diaconi, et presbyteri quasi episcopalem iurisdictionem habentes in Ecclesis titulorum suorum (1) privilegio fruuntur, donec in Urbe, seu in Curia Romana resideant, conferendi beneficia in eisdem Episcopatibus, et Ecclesiis fundata (2), quamvis per obitum in Curia, et apud Sedem quandocumque vacantia. Quamdiu vero absentes inde fuerint ob quamlibet caussam, vel necessariam, vel de licentia Papae, quamvis intra duas diaetas, vel in dioecesibus episcopalibus sibi commendatis moram faciant (3): ipso facto eis adimitur per Cancellariae Regulam. VIII. vicaria conferendi potestas, quam eis Papa Urbis Episcopus, et ordinarius Collator sub conditione residentiae indulget (4). Attamen absentes a Curia ex permissu Pontificis Cardinales consueverunt in aliis episcopatibus praeter suburbicarios beneficia conferre vigore communis indulti, et id palam exprimentis (5). Nam unica reservatio beneficiorum scilicet vacantium in Urbe, seu apud Sedem, et in Curia videtur in gratiam Cardinalium titularium adempta generatim: nisi malueris cum Germonio, et aliis (6) dicere ea non vacare apud Sedem, sed iure ordinario a Cardinalibus conferri. Dum ea vero duplicem subeant reservationem coaequalem, locum non esse indulto Cardinalis adfirmat cum Rota Rigantius (7). Mox continuo addit, et pluribus comprobat auctoritatibus collationem beneficiorum eiusmodi vacantium per obitum Curialis pertinere ad Papam. Si ita se res habeat: non duplex reservatio coaequalis, sed una vel inaequalis indultum istud excludit. Quandoquidem Cardinalis titularis, nisi obtinuerit speciale indultum conferendi reservata, ipsum ea conferre non posse, tametsi unica reservatio

(1) Honor. III. in *cap. his, quae* 11. *de maiorit*, *et obed.*

(2) Germonius *de indult. Card.* §. *tum ratione num.* 14. Rigant. *in Reg. VIII. Canc.* §. 1. *num.* 133. Eiusmodi facultatem a Iure communi repetunt Fagnanus in *cit. cap his, quae num.* 22. Chochellius *de notitia Card. cap.* 16. *privil.* 14. *vers. collationum*, et Card. de Albiciis *discept.* 1. *num.* 51.

(3) Card. de Luca *de benefic. disc.* 142. *num.* 12. Nam Alexander VII. an. 1655. decrevit delendam ex Reg. VIII. eam clausulam, *non tamen ob servitium Sedis Apostolicae, et cum licentia Sanctitatis Suae, vel apud eorum Ecclesias residentium.* Quumque successores Pontifices hanc ipsam clausulam omittere in suis Regulis ad hanc usque aetatem consueverint: mens eorum inde arguitur nullam omnino caussam absentibus a Curia Cardinalibus suffragari ad retinendum ius collationis.

(4) Card. de Luca *de benefic. disc.* 133. *num.* 14. Confer huc dicta superius *cap. V. num.* 42.

(5) Ex supradictis *num.* 9.

(6) Apud Rigant. *in Reg.* 1. *Canc.* §. 1. *num.* 119.

(7) Rota *dec.* 599. *num.* 18. *par.* 18. *rec.*, Rigant. *loc. cit. num.* 120.

obvenerit ratione mensis ex obitu beneficiarii urbani extra Curiam in mense apostolico, scribit idem Rigantius (1) ex rebus pluries iudicatis. Quoniam vero explorati iuris est, quod Cardinales omnes generatim excipiat a reservatione mensium ipsamet Regulae IX. littera, et beneficia Urbis nec expressim, nec tacite comprehendat: satis non video, cur beneficiariis Ecclesiarum Urbis extra Curiam in mense apostolico decedentibus, et beneficia tunc valeant Cardinales titulares conferre, alio indigeant indulto.

XX. Trium basilicarum Urbis patriarchalium S. Io. Lateranensis, S. Petri, S. M. Maioris beneficia maiora (scilicet canonicatus, praebendas, dignitates, personatus, et officia Sedi Apostolicae reservata speciatim esse per Regulam VIII: quum Papa sit proprius earum Ordinarius: Archipresbyteros vero Cardinales una cum Capitulis Canonicorum ex peculiaribus indulti conferre cetera beneficia inferiora, quum in eisdem basilicis existentia, tum quae alibi extra Urbem ad eas pertinent, iam dictum superius est (2). Isthaec autem collatio est inter Archipresbyteros, et Canonicos non eodem modo, sed variae divisa. Nam vetusta basilica Lateranensis consuetudo, vel concordia collationem beneficiorum intra basilicam Cardinali Archipresbytero, aliorum extra Urbem Canonicis tribuebat. Nunc omnium utriusque generis beneficiorum collatio intra, et extra Urbem ex nupera Innocentii XII. constitutione communis est Archipresbytero cum Canonicis, diviso tantum exercitio per alternas hebdomadas. Communio haec proprietaria collationis conservat Cardinali Archipresbytero integrum ius accrescendi, seu non decrescendi, ad eumque transfert collationem, quoties reservatio, vel aliud obstaculum Capitulo impediat eam explere in hebdomadis Canonicorum (3). In duabus aliis basilicis, et exercitium, et proprietatem iuris conferendi complectitur constituta hebdomadarum divisio. In Vaticana S. Petri alternatim Archipresbyter intra unam, Canonici intra hebdomadam alteram, quae a vespera Sabbathi ad alterius Sabbathi vesperam praecurrit, vacantia beneficia conferunt ex aequo (4). Sed in basilica S. M. Maioris ob inaequalem divisionem Archipresbyter confert vacantia in duabus hebdomadis, Capitulum in tertia quaque hebdomoda, quae a media praecedentis Sabbathi usque ad sequentis Sabbathi mediam quoque noctem intercedit (5). Divisa vero proprietas inter eos consortium, et communionem, et reciprocum accrescendi ius quum excludat omnimodis: fit exinde, ut Cardinales vigore indulti paullo superius expositi nequeant manum extendere suam ad reservata in hebdomadis Canonicorum vacantia, quae Papa confert (6).

XXI. Legatis quoque non Cardinalibus, ac Nunciis, aliisque Praelatis conspicuis consueverunt Pontifices ad libitum suum collationes beneficio-

(1) Idem *loc. cit. num.* 122, *et* 123.

(2) *Cap.* V. *num.* 42. De his privilegiis, et indultis agit Cohellius *loc. cit.* §. *verum.*

(3) Rigant. *in Reg. VIII.* §. 1. *num.* 21 *ad* 23.

(4) Rigant. *ibidem. num.* 16.

(5) Quod constitutio Pii IV. in ea divisione hebdomadarum in basilica S. M. Maioris proprietatem affecerit, consortiumque ita excluserit inter Archipresbyterum, et Canonicos, fuse tradit Rigaut. *in Reg.* 2. *Canc.* §. 3. *num.* 172, 180. 195., *et* 293.

(6) Rigant. *in Reg. VIII. cit.* § 1. *num.* 16. *ad* 20.

rum delegare intra fines provinciae eis demandatae (1). Etsi enim Cardinales a latere Legati ordinariam potestatem sibi communi Iure tributam habeant conferendi beneficia etiam reservata, et affecta (2), exceptis in Curia vacantibus (3), nec non devoluta ad Sedem Apostolicam (4), locorum que Ordinarios dioecesanos ea in re praeveniendi etiam per specialem reservationem (5); simul et praesentatos a patronis ecclesiasticis instituendi, secus a laicis (6), tamen simplices Legatos quum *missos*, tum *natos ex ipsius legationis munere nullam habere potestatem conferendi beneficia;* nisi eam alicui ipsorum Papa *specialiter duxerit indulgendam*, Innocentius IV. aperte declaravit (7). Huiusmodi indulto numquam potitos Nuncios pontificios in hoc Regno Neapolitano res est exploratissima.

XXII. Reges tandem supremosque principes beneficia aliquot ecclesiastica, regio praesertim aere fundata, et dotata conferre iure extraordinario, nimirum ex privilegio Sedis Apostolicae vel expresso, vel praesumpto, usus condocet priscis, et recentibus auctoritatibus, et exemplis comprobatus. Innocentius III. refert, *quod decanatum, et praebendas* Ecclesiae S. Petri de Curia in civitate Cenomanensi *Rex* Anglorum, et *progenitores sui, qui eam de bonis suis fundaverant liberam, et exemptam, conferebant dioecesano Episcopo inconsulto* (8). Idemque Pontifex *caussam, quae inter* Ariensem Praepositum, et *Comitissam Flandrensem super donatione* (libera scilicet collatione) *sex praebendarum sacerdotalium* agitabatur, apostolicis delegatis iudicandam commisit (9). Eidem vero Comitissae Flandriae Mathildi, quae suo in praedio dotali Ecclesiam extructura, et *ius patronatus*, et *praebendarum collationem* in ea sibi, suisque successoribus reservari in limine fundationis expetiverat Innocentius ipse III., concesso dumtaxat patronatu, noluit collationem praebendarum indulgere (10), Tum epistola Honorii III. habet: *quod Decanus* Andegavensis *ex*

(1) Ex traditis *lib.* 1. *Inst. Canonic. tit.* 22. de *Legatis*, *et Nuntiis num.* 10., *et* 19.

(2) Innoc. IV. in *cap. officii* 1. *de offic. legati in VI.*

(3) Clem. IV. in *cap. licet* 2., et Bonif. VIII. in *cap. praesenti de praeb. in VI.*

(4) Innoc. III. in *cap. litteras* 4. *de suppl. neglig. Praelator.* Greg. IX. in *cap. venerabilis* 37. *de praebend.* Bonif. VIII. in *cap. quamvis* 38. *de praebendis in* VI. Glossa in *cap.* 1. *de offic. legati in* verb. *ampliori.*

(5) Bonif. VIII. in *cap praesenti* 3. *de offic. leg. in VI.* et in *cap. si apostolica* 12. *de praebendis in VI.*

(6) Innoc. III. in *cap. dilectus* 6. *de offic. legati*, idemque in *cap. cum. dilectus* 28. *de iurep.* Bonif. VIII. in *cap. deliberatione* 4. *de offic. leg. in VI.*

(7) Innoc. IV. *in eit cap. officii* 1. *de off. leg. in VI.*

(8) Innoc. III. ad Decanum. et Capitulum Cenomanensem in *cap. cum inter vos.* 6. *de consuetudine.* Gregorianus textus Decretalium recitata verba non habet in mutilo fragmento decretalis Innocentii, at ea in lucem promit Emmanuel Gonzalez, integriorem hanc epistolam exscribens.

(9) Idem Inn. III. in *cap. dilecto filio* 40. *de testibus.* Mox quod archidiaconatum conferret Princeps Achaiae, adprobavit *ep.* 28. *lib.* 13. *reg.*

(10) Epistola haec Innocentii III. ad Mathildem Comititiss. Fland. 3. ex *lib. reg. ep.* 192. apud Emm. Gonzalez in *cap. praeterea* 4. *de iurepatr. num.* 7. ita se habet: *Oblata quidem nobis ex tua parte petitio continebat, quod cum in quodam loco cui dotalitii* Nepa *nomine ad honorem Dei Ecclesiam fundare proponas, et de bonis tuis sic plena manu dotare, quod Canonicis, qui Deo ibidem pro tempore*

donatione Regis praebendarum eiusdem Ecclesiae collationem haberet (1). Et alia quod *Comitissa Flandrensis fecerit promissiones de non vacantibus beneficiis ecclesiasticis, in quibus ius obtinet patronatus*, *et* donationes *eorum in manibus posuerit alienis* (2). Gregorius IX. epistola ad Fridericum II. Imp. data anno 1236. ius conferendi beneficia ecclesiastica in eo agnovit: non item committendi curam animarum illis adnexam (3).

XXIII. Quum ita se res habeant, cave putes absurdam in laicis principibus istam conferendi potestatem, quia spiritualem. Indulto enim Pontificio bene fit, ut laicus spiritualis potestati incapax eam, quae non ab Ordine sacerdotali per impositionem manuum, sed ab ecclesiastica iurisdictione profluit, et mandari seiunctim a sacra ordinatione consuevit vicario iure exerceat, velut instrumentum Pontificis, et collatoris ecclesiastici nudus minister, aut procurator (4). Qui Reges instar sacerdotum oleo sacro inunctos inde spiritualis potestatis capaces opinantur, nil omnino conficiunt: sat enim constat sua ex unctione difformi Reges nulla sibi iura Sacerdotii adquirere (5). Nec scopum attingit Carolus Molinaeus aiens, quod *huiusmodi canonicatus, sacella, et similia beneficia ad meram, et perpetuae Regis collationem spectantia magis saecularia*, *et profana beneficia sunt, quam ecclesiastica, quamvis nonnisi clericis, quos* tonsuratos *vocant, conferantur: quia talibus ex voluntate Regis fundatoris destinata sunt. Unde non habent de se ullam administrationem clavium*; *vel Sacramentorum* (6). Hac enim opinatione videtur is non capere satis neque naturam simplicis beneficii ecclesiastici nullam habentis curam animarum, Sacramentorumque administrationem, nec regias praerogativas in collationibus ecclesiasticis beneficiorum quorumlibet etiam curatorum.

servirent, necessaria vitae non desint, iuspatronatus, *et praebendarum* collationem *in ea sibi, ac successoribus tuis* reservari *petebas. Quorum primum admittimus, secundum vero non duximus concedendum, quum non expediat saluti id concedi. Quia eum devotione te asseras assumpsisse propositum in loco praedicto Ecclesiam construendi: adquires eo plus animae, quo minus in ea corpori reservabis. Unde devotionem tuam exhortamur in Domino, quatenus illud perficere studeas, quod ad tuam salutem, et ecclesiasticam pertinere dignoscitur honestatem.*

(1) Honor. III. ad Episc. Priorem, et Archidiac. Macloviensem in *cap. dilectus filius* 34 *de praebendis.*

(2) Idem in *cap. cum dilecta* 16., *et ult. de concess. praeb.*

(3) Raynaldus *ad an.* 1239. *num.* 14. hoc fragmentum ex *epist.* 398., et 253. Greg. IX. ad Frider. II. habet: *Esto quod aliqua beneficia vacantia conferas: ut curam tamen animarum illis adnexam committere valeas, ius spirituale, quod non cadit in laicum, non permittit, et in locum viventium, quos de gradu suo nec propria culpa, nec sui iudicis sententia deiicit, alios substitui, ius datum coelitus interdicit.*

(4) Bonifacius VIII. quum laicum procuratorem ad agendum, et defendendum in caussis spiritualibus admittat in *cap.* 1. *de procurat. in* VI. Glossa marginalis *in eod. cap.* addit, quod renunciando etiam, vel acceptando beneficio idoneus procurator sit laicus nudi ministri personam gerens in eiusmodi spiritualibus. Idipsum firmat cum Decio, et aliis Fagnanus in *cap. caussam* 8 *de elect. num.* 15., *et in cap. contingit* 8. *de arbitris num.* 29.

(5) Ex traditis *lib.* 3. *Instit. Canonic. tit.* 19. 21., *et seq.*

(6) Car. Molinaeus damnatus auctor *in Reg. de infirmis resignantib. num.* 416.

XXIV. Itaque regia beneficiorum collatio ex privilegio, Indultoque Romani Pontificis vel praesumpto repetenda est. *Expressum* dicimus, quoties liquet principem Ecclesiae fundatorem cum adsensu pontificio patronatum una cum iure conferendi in ea sibi, suisque successoribus reservasse. *Praesumptum* oritur ex longaeva observantia: ubi scilicet ab immemorabili tempore consueverint Reges arbitrio suo beneficia, et Ecclesias regii patronatus conferre inconsultis, quum Episcopis dioecesanis, tum Romano Pontifice. Nam consuetudo immemorabilis coniecturam facit legitimam privilegii apostolici, seu iuris conferendi in limine fundationis reservati, et obtenti (1).

XXV. Hoc in Regno Neapolitano regiam collationem beneficiorum regii patronatus ex privilegio quidem apostolico derivant nostri (2), quod in primis ostendunt publica monimenta, in regiis archivis permanentia, vel ex inveterata plurium saeculorum consuetudine coniicitur (3). Redundant plane tabularum codices et acta publica regiis rescriptis, et diplomatibus, per quae Svevi, Andegavenses, Aragonii, ceteri subsecuti Reges Neapolitani pleno iure contulerunt conspicuas dignitates quasi Episcopales, Archipresbyteratum Altimuranum, et Prioratum S. Nicolai Bariensis, tum Abbatiam S. Egidii Altavillae, et insuper Canonicatus tam Capituli Lucerini alternatim cum Episcopo, quam S. Nicolai Bariensis alternatim cum Priore, cetera inferiora beneficia in variis Regni dioecesibus posita nedum simplicia, sed adnexam quoque habentia curam animarum (4).

(1) Fagnanus in *cap. consuetudines* 1. *de consuetud. num.* 34. *et seq.* cum Felino, Probo, Aufrerio, Baldo, et Rota coram Crescentio, et Puteo in primis affirmat laicum ex consuetudine immemorabili cum fama privilegii posse ius ecclesiastica beneficia conferendi adquirere, secundum regulas Iuris communis: negat ex nova Urbani VIII. const. *Romanus Pontifex*, edita die 5. Iunii 1641., qua improbantur quaevis attentata quum a ministris Sedis Apostolicae, tum a baronibus, et feudatariis contra libertatem, et iurisdictionem ecclesiasticam. At Urbanus nullum de Regibus verbum fecit.

(2) Io. Seneca auctor glossae in *comm. ad Gratianum in can.* 1. *Caussa* 16. *qu.* 7. observat laicis non competere investituras beneficiorum, *nisi auctoritate Papae habeat laicus investituras, sicut Rex Apuliae.* Andreas de Isernia in *proem. constit. Regni num.* 50. contestatur quod Neapolitani Reges olim non modo praesentabant, sed et investiebant clericos de beneficiis ecclesiasticis, et illis haec *conferebant per privilegia papalia*, quae possunt hoc concedere laico. Minadous in *repetit. const. in aliquibus* verb. *Comitum, et Baronum* scribit in eodem regio patronatu cum iure conferendi Regem fungi vice Pontificis, et Ordinarii. Marchio Falletti *ragionam.* 6. *ad litt. P.*, ea in re legatum Papae Regem nuncupat, iure non suo, sed a Papa accepto beneficia conferentem.

(3) Alexander Tartagna de Imola *to.* 4. *cons.* 74. *num.* 10. *Reges, et Principes saeculares*, ait, *qui ex consuetudine, de cuius initio memoria non existit, habent potestatem conferendi in regnis suis praebendas, istud possunt facere: quia talis consuetudo tribuere videtur sibi privilegium. Et potest etiam poni exemplum in Rege Apuliae.*

(4) Syllabum Ecclesiarum, beneficiorumque regiae quum collationis, tum praesentationis videsis apud B. Chioccarell. *archiv. tom.* 6. Scipion Marzella *descrizione del regno di Napoli pag.* 889. et Abbatem Troyli *to.* 4. *dell' ist. di Nap. par.* 2. *cap.* 3. §. 1. *num.* 10., *et seq.*

XXVI. Tanta tot indultorum varietas efficit, ut collator quisque privilegiarius formam indulti sui observare adamussim debeat, eiusque fines nullatenus transilire (1). Cumque cuiuslibet privilegii nativa indoles Iuri communi adversetur (2), strictamque postulet interpretationem: illud nequit de uno ad alium casum vel consimilem extendi (3). Quoties propterea ex verbis ambiguis, vel defectivis dubium emerserit probabile, utrum haec, vel illa facultas indulto comprehendatur: sententia negans tunc tenenda est, exclusoque indulto sequi regulas Iuris communis oportet (4). Hinc facile coniicitur, cur Cardinales, ac Reges vigore indulti beneficia conferentes nequeant super illis perpetuas pensiones reservare, neque resignationes in favorem certae personae admittere, quae duae res ad Sedem Apostolicam pertinent.

CAP. VIII.

De ordinariis collatoribus.

I. Ex priscis canonibus, et legibus Episcopi sunt nativi, et ordinarii beneficiorum collatores.

II. Suamque potestatem ratione triplici adnexam Ordini Episcopali tuentur communi regula Iuris, quae tamen limitatur apostolicis reservationibus, et privilegiis, et patronatibus.

III. Regulae huic semper locus erit, nisi ex adverso probetur aliqua istarum exceptionum.

IV. Capitula Cathedralium communem cum Episcopis collationem Iure generali, nunc speciali ex privilegio, statuto, et consuetudine habent variam.

V. Quota vocum Episcopi, et Capituli ex eodem iure vario, et speciali definienda est.

VI. Per vicem inter Episcopos, et Capitula divisum alicubi est exercitium, vel proprietas iuris conferendi.

VII. Poenitentiarii, ac Theologi praebendae ab Episcopo solum conferuntur.

VIII. Inferiores Praelati sunt etiam collatores ordinarii.

IX. Ut Archidiaconi olim, ita Vicarii nunc Episcoporum institu-

(1) Innoc. III. in *cap. cum dilecta* 22. de *rescriptis*, Paulus in *l. diligenter* 5. *D. mandati.*

(2) *Ius singulare est, quod contra tenorem rationis propter aliquam utilitatem auct. constituentium introductum est*, Paulus ait in *l.* 15. *d. de legibus.*

(3) Greg. IV. in *cap. P. et G.* 40. *de offic.*, *et pot. deleg. et cap. significante* 34. *de rescriptis. Quae a Iure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda*, Bonif. VIII. ait in *cap. quae a Iure* 28. *de reg. Iur. in VI.* Consonant Paulus in *l. quod vero contra rationem Iuris* 14. et Iulianus *l. in his* 15. *De legibus.*

(4) Greg. IX. in *cap. abbatem* 40. *de rescriptis.*

tionem agunt in beneficiis iurispatronatus, non collationem liberam sine mandato speciali.

X. Vicarius Capituli Sede vacante pariter instituendi, non conferendi ius habet.

XI. Collegio Cardinalium in conclavi etiam interdicta collatio est.

XII. Intra sex menses neglecta collatio ad alium devolvitur collatorem, ordinarium scilicet Superiorem.

XIII. A Capitulo negligente ad Episcopum fere semper, ab Episcopo ad Capitulum aliquando fit devolutio.

XIV. Devoluta ut Metropolitani conferant, iudicium devolutionis debet rite praeire.

XV. Quod Sedes Apostolica solet executoribus litterarum expresse mandare.

XVI. Post devolutionem irrita est Ordinarii collatio.

XVII. Legati a latere, natique devoluta conferunt.

XVIII. Reservata, et affecta ad inferiores a Papa numquam devolvuntur, exceptis parochialibus.

I. Dioecesanis Episcopis generatim quum prisci canones, ac leges dederint potestatem administrandi Ecclesias, capellasque omnes intra suos cuiusque fines, earumque praebendas, et officia distribuendi (1): eos inde *ordinarios* beneficiorum collatores in primis iura ipsa denominant. Ex canone Concilii Antiocheni an. 341, *quaecumque res Ecclesiae sunt, convenit... gubernari, et dispensari cum iudicio, et potestate Episcopi, cui totius plebis animae videntur esse commissae* (2). *Omnes basilicae, quae per diversa loca constructae sunt, vel quotidie construuntur, placuit secundum priorum canonum regulam, ut in eius Episcopi potestate consistant, in cuius territorio positae sunt,* ait Synodus Aurelianensis (3). *Omnia secundum constitutionem antiquam ad Episcopi ordinationem, et potestatem pertineant*, ex canone Concilii Toletani III. an. 589. (4). In Synodo Cabilonensi I. an. 650. quoque *decretum est, ut omnes Ecclesiae cum dotibus suis, et decimis, et omnibus iuribus in Episcopi potestate consistant, atque ad ordinationem suam semper pertineant* (5). Urbani II. epistola haec habet: *Episcopus omnia sui episcopatus membra, videlicet archidiaconatus archipresbyteratus, decanias, vel aliquas praeposituras, Ecclesiae suae canonicas gratis absque omni venalitate distribuat* (6). In Concilio Melphita-

(1) Videsis *can.* 37. vulgo Apostolorum, tum alios apud Gratianum *C. X. qu.* 2., quos indicavi superius *cap.* 1. *num.* 16., *et cap.* 6. *num.* 1.

(2) Conc. Antiochen. in *can. quaecumque res* 5. C. 10. *qu.* 1.

(3) Syn. Aurelianens. an. 511. in *can. omnes basilicae* 10. *C.* 16. *qu.* 7. Consonant eiusdem Synodi in *can. de his* 7. *et can. antiquos canones* 8 *C.* 10. *qu.* 1.

(4) Tolet. III. in *can. sic quidam* 2. ead. *C. et qu.*, et Tolet. IV. in *seq. can. noverint.* 6.

(5) Cabilon. I. in *can. decretum est* 3. *ead. C. et qu.* Iisdem fere verbis idipsum firmavit Carolus M. *lib.* 7. *capitular. cap.* 368.

(6) Urbanus II. creatus Pontifex an. 1088, *ep.* 15.

no an. 1089. sub eodem Pontifice simul cautum: ut *praeposituras Ecclesiae, sive canonicas praebendas etiam, quae canonicatus dicuntur, Episcopus sine venalitate distribuat* (1). Concilium Lateranense I. sub Callisto II. an. 1123. insuper sanxit: *ut secundum Apostolorum canones omnium negotiorum ecclesiasticorum curam Episcopus habeat.* Utque *nullus omnino Archidiaconus, aut Archipresbyter, aut Praepositus, vel Decanus animarum curam, vel praebendas Ecclesiae sine iudicio, vel consensu Episcopi alicui tribuat: immo sicut sanctis canonibus constitutum est, animarum cura, et rerum ecclesiasticarum dispensatio in Episcopi iudicio, et potestate permaneat* (2). Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo rescripsit extirpandam radicitus fore pravam consuetudinem, *quod clerici ecclesiastica beneficia sine consensu Episcopi dioecesis, vel officialium suorum, qui hoc de iure possunt, recipiant: minus quam deceat cogitantes, quomodo id a sanctorum Patrum est institutionibus alienum* (3).

II. Sacra clericorum ordinatio, cura animarum primaria, Ecclesiarumque fundatio, et erectio, quae omnia sunt iuris Episcopalis, ordinariam eiusmodi collationem beneficiorum singulis Episcopis ab initio vindicarunt. Coniuncta primum sacrae Ordinationi mancipatio clericorum ad inserviendum certae Ecclesiae, procul dubio effecit, ut unus, idemque Episcopus Ordines quum minores, tum maiores conferret, ordinatisque ministeria sacra, et officia cum adnexis praebendis, ac stipendiis distribueret. Mox animarum cura superior postulavit, ut Episcopus quisque suos coadiutores, et subministros ad eam exercendam necessarios, periculoque suo idoneos diligeret, rationem Deo redditurus de omnibus totius gregis dioecesani capitibus. Tandem cultus Ecclesiarum, clericos, diaconos, presbyteros eisdem famulaturos ab iis quoque ipsis expetivit, qui eas auctoritate sua, suorumque praedecessorum fundatas erexerunt, et dedicarunt. Propterea Episcopi bene fundatam in Iure communi intentionem suam habere vulgo dicuntur, scilicet ex generali regula Iuris praesumitur ad eos ordinariam pertinere potestatem conferendi omnia, et singula beneficia intra suarum dioecesum fines: iis tantum exceptis, quae vel sibi Apostolica Sedes reservavit (4), vel aliis extra ordinem conferenda ex privilegio, seu indulto speciatim concessit (5), vel consuetudo inveterata ad inferiores transtulit collatores (6), vel coaequales (7), aut voluntas

(1) Conc. Melphitanum. an. 1089. *can.* 1.
(2) Conc. Lateran. I. sub Callisto II. *can.* 4. 7.
(3) Alexand. III. in *cap. ex frequentibus* 3. *de institutionibus.*
(4) Liquent ex supradictis *cap.* 5.
(5) Ioannes IV. Syracusano Episcopo rescribens in *can. visis litteris* 1. *C.* 16. *qu.* 2. definivit in Ecclesiis monachorum pleno iure exemptis ad Abbates, non ad Episcopos pertinere institutionem, investituramque presbyterorum. *Divinae enim leges habent, et saeculares*, ait, *ut cuius est possessio, eius sit institutio* .... *maius enim fuit possessionem dare, quam sit investituram concedere.* Pariter Alex. III. in *cap. cum et plantare* 3. §. *in Ecclesiis de privileg.* in Conc. Later. decrevit, presbyteros in Ecclesiis templariorum, aliorumque regularium exemptorum, quae ad eos *pleno iure* pertinent, non debere Episcopis repraesentari: secus in aliis non *pleno iure* exemptis.
(6) Inn. III *in cap. cum venissent* 6. *de institut.*
(7) Bonif. VIII. in *cap. Episcopum* 1. *de praescript. in VI.*

fundatorum patronatui subiecit, eligendi, seu praesentandi iure patronis, vel ecclesiasticis, vel laicis eatenus reservato, ut nonnisi electos ab iis, vel praesentatos idoneos cogantur Ordinarii locorum instituere (1).

III. Haec Iuris regula tales patiens limitationes efficit, ut in rebus dubiis qui suam esse collationem extraordinariam, vel electionem, aut praesentationem contendunt, quotiescumque probationibus plenis, clarisque documentis in iudicio petitorio non ostenderint privilegium, vel consuetudinem rite praescriptam, vel iuspatronatus, contra eos pro episcopali potestate sit ferenda sententia (2). Alexander III. autem rescripsit Archidiaconum Richemundiae esse in plena possessione instituendi, aliorumque iurium tuendum, *donec probatum legitime fuerit ex adverso*, num ea praedecessori Archidiacono Archiepiscopus Eboracensis personaliter ad vitam, an perpetuo concessisset cum consensu Capituli (3): ex eo iuris civilis axiomate, seu retinendae possessionis interdicto: *uti possidetis, ita lite pendente possideatis*.

IV. Quum vetusto proverbio dicerentur Canonici Cathedralis Ecclesiae membra, et caput Episcopus, ita unum corpus Capituli simul efficere, ut adigerentur Episcopi cuncta Ecclesiae negotia tractare cum totius olim Cleri, mox Capituli consilio, vel consensu (4): communem propterea cum Episcopis collationem quoque praebendarum et beneficiorum habebant olim Capitula Cathedralium ex ea ipsa Iuris regula (5). Sed processu temporum communionem eiusmodi aegre ferentes Episcopi suam explere iurisdictionem consueverunt inconsulto Capitulo, perinde in ceteris rebus (6); atque in collationibus Beneficiorum (7), Praelatique dignitatem singularem sibi

(1) Conferenda huc sunt quae iam exposui in *tract. de iurepatr.*

(2) *Qui excipit, probare debet quod excipitur*: Celsus Ictus. docent in *l. si pactum 9. De probat.* Et cum Ulpiano, *in exceptionibus dicendum est reum partibus actoris fungi oportere, ipsumque exceptionem, velut intentionem implere, l. in exceptionibus 19. D. eodem.*

(3) Innoc. III. in *cit. cap. cum venissent 6. de instit.*

(4) Alex. III. *in cap. novit 4., et cap. quanto 5. de his, quae fiunt a Prael. sine cons. Capit.* Inn. III. in *cap. tua nuper 8.*, et *cap. pastoralis. 9. eod tit.* S. Leo M. ad Siculos Episcopos de rebus Ecclesiae distrahendis rescribens in *can. sine exceptione 52. C. 12. qu. 2.*, ait: *cum totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit dubium profuturum Ecclesiae.* B. Hieronymus in *can. olim idem erat 5. dist. 95.*, *Episcopi noverint se*, ait, *magis consuetudine, quam dispensationis dominicae veritate presbyteris esse maiores, et in commune debere Ecclesiam regere.*

(5) Alex III. in *cit. cap. novit 4.* decrevit *institutiones., et destitutiones* personarum ecclesiasticarum *sine consilio fratrum* a Patriarcha Hierosolymitano factas fore irritas. Innocentius III. in *cap. tua nuper 8. eod. tit. de his, quae fiunt a Praelat.*, itidem rescripsit Episcopum non posse absque Capituli consensu Ecclesias in perpetuum aliis Ecclesiis concedere.

(6) Synodo Agathensi in *can. terrulas* 53. C. 12. *qu.* 2. placuit, ut terrulas *Episcopus sine consilio fratrum*, si necessitas fuerit, *distrahendi habeat potestatem.* Quamvis ex Conc. Carthag. in *can. placuit* 51 *ead. C. et qu.* Episcopis non liceret generatim vendere praedia Ecclesiae *inconsulto Concilio, vel cuncto presbyterio.* Bonifacius VIII. *in cap. non est 3. de consuetud. in VI.* declaravit non esse consuetudinem reprobandam, quod Episcopus *in inquirendis, puniendis., et corrigendis subditorum excessibus consilium sui Capituli requirere minime teneatur.*

(7) Coelestin. III. in *cap. ea noscitur 6. de his, quae fiunt a Praelat. sine cons.*

solis vindicarunt neglectis communibus primi Canonici iuribus (1). Itaque ab Ordinario conferendi iure et consortio Episcoporum, exclusis Capitulis Cathedralium in plerisque dioecesibus praesertim Italiae (2): paucae nunc Ecclesiae sunt, in quibus Capitula ipsa non iure amplius generali, sed speciali tantum, eoque vario pro variis locorum statutis, pactisque fundationum, vel privilegiis, vel consuetudinibus potestatem habent conferendi beneficia in quatuor mensibus Ordinariorum, aut communem cum Episcopis, aut privativam sine ullo Episcoporum suffragio (3). Ut enim Praelatis licuit eodem singulari iure, et consuetudine ad sese avocare omnimodam collationem Capitulis amotis (4): ita vicissim Capitula potuerunt eam adipisci, seu retinere, vel ademptam Praelatis, vel ab iis neglectam (5).

V. Communem ubi collationem Episcopus una cum Capitulo habeat, necesse quidem non est, ut ipse coniunctim cum Canonicis in collegio conveniat ad electionem collationemque celebrandam: sed satis erit, si ad suffragia Canonicorum in collegio prolata vel unanimiter, vel maioris partis Chorum in unum consentientis accesserit ex intervallo in diversis etiam loco, et tempore consensus Episcopi (6). Quoties autem Episcopus a Capitulo dissentiat, de quota votorum alterutrius disputari tunc solet.

Capit. rescripsit: *ex antiqua, et probata consuetudine, vel concessa libertate* fieri posse, ut Praelati in *Ecclesiarum, seu beneficiorum collationibus nullum Collegii, seu Capituli consensum debeant requirere.*

(1) Innoc. III. in *cap. postulastis* 15. *de concess. praeb.* palam distinguit, num Archiepiscopus simul cum Canonicis habeat ut Canonicis communem praebendarum donationem, seu collationem, an seiunctam ab eis, ut Praelatos.

(2) Saeculo XIV. Ioannes XXII. in *extravag. execrabilis un. de praeb., et dignit. §. ceterum sin.* edixit *ordinarios* beneficiorum *collatores* intelligi dioecesanos tantum *Episcopos,* et Ecclesiis Cathedralibus vacantibus *Capitula* eorumdem.

(3) Innoc. III. in *cap. proposuit* 4. *de concess. praeb.* fert donationes, seu liberas praebendarum collationes ad Capitulum Cameracense pertinere. Hoc in Regno Capitulum Neapolitanum nonnulla beneficia intra basilicam S. Restitutae fundata, quae de mensa Capituli dicuntur, confert Archiepiscopo inconsulto: cetera omnia quum in eadem basilica, tum in tota dioecesi Archiepiscopus solus inconsulto Capitulo, exceptis canonicatibus Ecclesiae Cathedralis, quorum collationem in quatuor mensibus ordinariis communem, et promiscuam simul habent Archiepiscopus, et Capitulum. Insuper Capitulum Trivicanum canonicatus, et dignitates Ecclesiae Cathedralis inconsulto Episcopo, alia cuncta beneficia solus Episcopus confert. Consimili iure Capitulum Beneventanum potiri tradit Rota coram Taya in Beneventana *iuris conferendi, seu canonicatus die* 4. *Aprilis* 1680. Alia insuper Capitula, scilicet Novariense, Patavinum, Brixiense eo ipso iure frui, ex multis Rotae, ac Doctorum testimoniis fert Rigantius *to.* 2. in *par.* 1. *Reg. IX. Canc.* §. 3. *num.* 129: ibique refellit Card. de Luca *de benefic. disc.* 1 num. 22., *et seq.* opinantem nulla reperiri Capitula, quae privativam eiusmodi collationem habeant.

(4) Ex Coelestino III. in *cit. cap. ea noscitur* 6. *de his, quae fiunt a Praelatis.*

(5) Innoc. III. in *cap. cum Ecclesia* 31. *de elect.* Episc. Florentino rescripsit, *quod in Thusc. generalis consuetudo servetur, ut in Cathedralibus Ecclesiis solum Capitulum irrequisito Episcopo eligendi Canonicos habeat facultatem.* Bonifacius VIII. in *cap. si a Capitulo* 5. *de concess, praeb. in VI.* ponit, quod *Capitulo alicuius Ecclesiae Canonicorum receptio, ac praebendarum collatio pertinebat.*

(6) Ex *cap.* 1., *et* 4. *de his, quae fiunt a maiori parte Capituli.*

Sed quaestionis decisio pendet potissimum a statutis cuiusque loci variis, vel a consuetudine, quae votum si duplex, vel unicum Episcopo tribuant, singulis vero Canonicis unum coaequale: facilis tunc erit numeratio vocum, et consensio maioris partis in unum. At si tantam vim solius Episcopi votum, quantam omnia totius Capituli suffragia ex consuetudine, vel statuto obtineant, et Capitulum vel totum, vel maior pars ipsius ab Episcopo, tamquam Praelato dissentiat: eo casu nullus erit communi collationi locus (1). Nam divisio in duas ex aequo medietates, quod ad exercitium iure uno conferendi, alterutra earum seiuncta non sufficit ad illud unum integrum sufficiendum. Nec episcopale votum integrae medietati aequipollens poterit umquam augeri adhaerentibus suffragiis partis minoris Canonicorum, quum hanc absorbeat eorumdem pars maior (2).

VI. Ad evitandas hasce dissensiones mos inolevit ita dividendi per vices *exercitium*, vel *proprietatem* communis eiusmodi iuris, ut in una vacatione solus Episcopus, in altera Capitulum conferat, in tertia iterum Praelatus, in quarta mox Canonici, et sic deinceps redeunte gyro in aliis, quae subsequentur vacationibus (3). Diviso tantum *exercitio* viget ius accrescendi, seu non decrescendi: quoties nimirum in vice sua Episcopus impediatur vel absentia, morte, aliove casu conferre, ius conferendi ea etiam vice solidetur, atque ad Capitulum pertineat, et e contrario suspensi, vel impediti Capituli vices, puta in mensibus apostolicis expleat Episcopus fruens indulto (4). At divisa cum adsensu apostolico *proprietas* nullum dat locum iuri accrescendi: eamque ob rem vices Episcopi, vel suspensi, vel defuncti, vel absentis non Capitulum, sed Apostolica Sedes tunc implet (5). Ad hanc vero, vel illam divisionem, quae ex libera utriusque partis concordia, et voluntate oritur, nemo cogendus est (6): nam *in re communi potior est conditio prohibentis* ex regula Iuris (7).

VII. Canonici poenitentiarii officium, et praebendam a Capitulo numquam, sed ab Episcopo solo conferri Synodus Tridentina decrevit, imperans: ut *in omnibus Cathedralibus Ecclesiis poenitentiarius aliquis cum*

(1) Ex traditis a Gonzalez in *Reg.* 8. *Canc. gl.* 45. *num.* 51. ceteris DD. apud Rigant. in *Reg.* 2. §. 3. *n.* 237. *et seq.* Spectasse huc videtur Innocentius III. in *cap. postulastis* 15. *de concess. praeb.* dum rescribens de collatione praebendarum ad Capitulum simul, et Archiepiscopum Ebrodunensem in Gallis pertinente distinxit, num Archiepiscopus ut Canonicus, an vero ut Praelatus ius conferendi cum Capitulo haberet. Consonat Bonifacius VIII. in *cap. a collatione* 1. *de appell. in VI.* Ei enim ut Canonico unam, vel duas voces in collegio tributas reor, ut Praelato integram totius medietatem.

(2) Ex *cit. cap.* 1., *et seq. de his, quae fiunt a maiori parte Capit.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. cum in illis* 16. §. *ult. de praebend. in* VI. loquitur de beneficiis ad aliquorum collationem, vel *communiter*, *vel divisim* spectantibus. Eamque divisionem hac in re comprobant Rota, et Doctores apud Rigant. *in Reg.* 2. *Canc.* §. 3. *num.* 161., *et seq.* 183. *et* 192.

(4) Bonif. VIII. in *cap. si ad Episcopum un. ne Sede vacante aliquid innovetur*, Rigant. *loc. cit. num.* 227. 251. 254. *et* 258.

(5) Confer huc dicta superius *cap.* V. *num.* 43.

(6) Rota in *Hispalensi divisionis simultaneae* 11. *Febr.* 1697. coram Muto, et 4. *Iunii* 1700. coram Priolo, apud Rigant. *to.* 2. *in par.* 2. *Reg. IX.* §. 4. *num.* 42.

(7) Bonif. VIII. in *cap. in re communi* 56. *de reg. Iur.* in *VI.*

unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur (1). Idemque servatur in provisione canonicatus, et praebendae theologalis, quam perinde ac alteram poenitentiarii, praevio concursu coram Episcopo, et quatuor examinatoribus etiam non synodalibus conferendam iussit nupera Benedicti XIII. constitutio (2).

VIII. Praelati inferiores quasi episcopalem iurisdictionem habentes, nulliusque dioecesis locorum Ordinarii accensentur instar Episcoporum inter ordinarios beneficiorum collatores in suis Ecclesiis, locisque exemptis erectorum (3).

IX. Eodem conferendi iure participes Archidiaconos olim fuisse tamquam vicarios Episcoporum natos plane constat (4). Nunc vero ad officiales Episcoporum mobiles translata eorum iurisdictione ordinaria, hi quidem ratione officii de iure possunt *instituere* in ecclesiasticis beneficiis de iurepatronatus electos, aut praesentatos a patronis (5): at beneficia liberae collationis Vicarius generalis, nonnisi de speciali mandato Episcopi, Praelatique sui *conferre* potest (6). Hinc ubi defecerit, vel non appareat ex litteris patentibus id speciale mandatum, nullius momenti erit collatio libera Vicarii cuiuslibet generalis (7).

(1) Trid. in *cap. Apostolus* 8. *sess.* 24. *de reform.*

(2) Bened. XIII. in *const. pastoralis*, 14. Kal. Iunii 1725., quam habet appendix od Conc. Rom. eiusdem Pontificis *num.* 2.

(3) De his loquitur Bonifacius VIII. in *cap. si soli Ordinario* 6. *de concess. praeb. in VI.*, *et in cap. Ordinarii locorum.* 3. *de offic. Ord. in VI.*, et Clementina *un. de concess. praeb.* Innocentius III. in *cap. cum ad nostram* 7. *et ult. de instit.* rescripsit, od Abbatem quemdam ratione Abbatiae pertinere donationem, seu collationem tam custodiae, quam aliarum dignitatum, ac praebendarum in Ecclesia Patrinensi. Idipsum rescripsit priori Hostiensi, et Superiori S. Fridi in *cap. ex tenore* 13. *de concess. praeb.*

(4) Archidiaconis sexto saeculo tamquam ordinariis ius fuisse eligendi cum plebibus novum Archipresbyterum in locum electi, vel defuncti, eumque instituendi, tradit S. Isidor. in *can. si in pluribus* 20 *dist.* 63. Alexander III. in *cap. super eo* 15. *de offic. de eleg.* rescripsit Ecclesiae institutionem ordinariam ad Episcopum, vel Archidiaconum, vel Archipresbyterum pertinere. Idemque in *cap. referente* 7. *de praebendis* accepit, quod Archidiaconus unam ex duabus Ecclesiis a quodam Presbytero retentis ei ademerat, et alii presbytero contulerat.

(5) Alexander III. in *cap. ex frequentibus* 3. *de institutionibus* Cantuariensi Archiepiscopo rescripsit clericis non licere beneficia ecclesiastica recipere *sine consensu Episcopi dioecesis, vel officialium suorum, qui hoc de iure possunt.*

(6) Innocentius III. in *cap. constitutus* 11. *de concess. praeb.* probavit, ratamque habuit Canonico delegatam ab Episcopo Laudunensi potestatem conferendi praebendam primo vacaturam. Nam *potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*, inquit Bonifacius VIII. in *cap. potest* 68., et *cap. qui facit per alium* 72: *de reg. iur. in VI.* Et quoniam absentes a Curia Cardinales non possunt per sese beneficia in suis titulis vacantia conferre: nec enim id eis licebit per Vicarios inibi relictos agere sine speciali indulto, ex traditis a Rigantio in *Reg.* 2. *Can.* §. 3. *num.* 49.

(7) *Cum in generali concessione nequaquam illa veniant, quae quis non esset verisimiliter in specie, concessurus, nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa: Officialis, aut Vicarius generalis Episcopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa*, ait Bonifacius VIII. in *cap. cum in generali* 3. *de officio Vic. in VI.*

X. Neque ad Capitulum episcopali Sede vacante, neque ad Vicarium capitularem transit potestas conferendi beneficia, quae ad liberam solius Episcopi collationem spectant (1): *quum numquam inveniatur in Iure cautum, quod Capitulum Sede vacante fungatur vice Episcopi in collationibus praebendarum*, ait Honorius III. (2). Adde, quod secunda Cancellariae Regula Papae reservat ea episcopalis collationis beneficia, quae viduata Sede episcopali vacent (3). At canonicas institutiones facere in beneficiis de iurepatronatus Vicario capitulari utique licet (4), quemadmodum et Vicario episcopali.

XI. Collegium Cardinalium in conclavi pro novo eligendo Pontifice congregatum pariter nequit beneficia conferre ad Sedis Apostolicae dispositionem pertinentia (5).

XII. Quoties neglexerint collatores ordinarii, quos hactenus memoravi, vacantia beneficia conferre intra sex menses ab eo die, quo ad ipsos notitia vacationis pervenerit, numerandos, nullo interea vel facti, vel Iuris impedimento detenti, ad superiores pariter Ordinarios tunc devolvi collationem iam praemonui superius (6). Eliquandum heic superest, quomodo, et quando ab Episcopo negligente ad Capitulum, et ab alterutro ad Papam, omisso medio Metropolitarum, fiat devolutio. Ex decreto Concilii Lateranensis III. *cum praebendas ecclesiasticas, seu quaelibet officia in aliqua Ecclesia vacare contigerit, non diu maneant in suspenso: sed infra* sex menses *personis, quae digne administrare valeant, conferantur. Si autem* Episcopus, *ubi ad eum spectat, conferre distulerit, per* Capitulum *ordinetur. Quod si ad* Capitulum *pertinuerit, et infra praescriptum terminum hoc non fecerit*, Episcopus *secundum Deum hoc cum religiosorum virorum consilio exequatur. Vel si* omnes *forte neglexerint*, Metropolitanus *de ipsis secundum Deum absque illorum contradictione disponat* (7). Innocentius III. sciscitanti Capitulo Ebrodunensi, an donatio praebendarum, quae ad Ca-

(1) Alexander III. in *cap. eam te* 7. *de rescriptis* ponit Decanum, et Capitulum Tornacense non potuisse vacante Sede praebendam in ea Ecclesia ei conferre, qui apostolicum de providendo mandatum obtinuerat: *quia donatio praebendarum* ad Episcopum spectabat.

(2) Honor. III. ad Canonicos Suessanos in *cap. illa devotionis* 2. *ne Sede vacante aliquid innovetur*. Hac itaque in re fallit ea Iuris regula: *is, qui in ius succedit alterius, eo iure, quo ille, uti debebit*: Bonifac. VIII. in *cap. his qui* 46. *de reg. Iur. in VI.*

(3) Ex supradictis *cap.* 5. *num.* 16.

(4) Bonif. VIII. in *cap., et si* 1. *de institut.* ait: *Etsi Capitulum Sede vacante beneficia, quae ad collationem Episcopi pertinent, conferre non possit: tamen praesentatos a patronis potest admittere, si sint idonei, et instituere.*

(5) Ex Clementina *ne Romani* 2. *de electione.*

(6) *Cap.* 5. *num.* 12, *et cap.* 7. *num.* 15.

(7) Conc. III. sub Alex. III. in *cap. nulla* 2. *de concess. praeb.* Septima Synodus oecumenica in *can. cum simus* 3. *C. IX. qu.* 3. institutionem Oeconomorum in unaquaque Ecclesia neglecta ab Episcopis ad Metropolitanos, ab his ad Constantinop. Patriarcham devolvi, nullo definito negligentiae tempore, statuit. Ex Conc. autem Carthaginensi V. in *can. constitutum* 22. *C.* 7. *qu.* 1. colligitur, *intra annum* debere tunc Episcopum eligi in ea cathedra, cui intercessor datus esset. At Innocentius II. in *can. obeuntibus* 35. *dist.* 63. tradit, quod *ultra tres menses* vacare Ecclesiam SS. Patrum prohibent sanctiones.

pitulum ipsum, et Archiepiscopum simul pertinebat, a Capitulo infra semestre neglecta, penes Archiepiscopum remaneret, respondit, *si vos, et Archiepiscopus infra tempus praescriptum circa hoc negligentes extiteritis: sicut nec* ab illo ad vos, *ita nec* a vobis ad illum *potestas devolvitur conferendi. Sed secundum statuta Lateranensis Concilii ad* Superiorem *transit donatio: nisi forte Archiepiscopus non* ut Praelatus, *sed* ut Canonicus *vobiscum ius habeat conferendi. Et in hoc casu cum dolose impedierit, dolus ei suffragari non debet* (1). Idemque rescripsit, electionem Cantoris, quam Episcopus, et Capitulum Salamantinum, *prout communiter spectabat ad eos*, neglexerant, devolutam ad Archiepiscopum fuisse (2). Clemens III. Ecclesias, et beneficia iurispatronatus ecclesiastici statuto Lateranensi complectens, *nisi praedictae personae*, ait, *intra tempus Lateranensi Concilio constitutum ad vacantes Ecclesias tibi personas idoneas praesentare neglexerint, ex tunc tibi liceat in eisdem ordinare Rectores* (3). Bonifacius VIII. dum statuit electionem Episcoporum in Cathedralibus Ecclesiis vacantibus a Capitulis neglectam non ad proximum Superiorem, sed ad Romanum Pontificem devolvi, *secus autem est*, ait, *in inferioribus Ecclesiis censendum* (4). Tum Clemens V. in Concilio Viennensi adfirmavit ex negligentia quum Episcopi ad Capitulum, tum Capituli ad Episcopum devolvi collationes beneficiorum (5). Idemque statuit, dum *regulares Praelati prioratus, Ecclesias, administrationes, aut quaevis alia beneficia ad eorum dispositionem spectantia negligunt conferre infra tempus in Lateranensi Concilio constitutum:* Dioecesani *locorum in non exemptis sua, in exemptis vero apostolica auctoritate negligentiam super hoc suppleant eorumdem* (6).

XIII. Ex iuribus istis haec fluunt consectaria 1: reciproca datur devolutio a Capitulo ad Episcopum, et ab Episcopo ad Capitulum, ubi per vices diviso inter eos exercitio communis collationis, alteruter suam neglexerit vicem. 2: ubi communem, et indivisam uterque habeant collationem, nulla datur ab Episcopo ad Capitulum devolutio 3: at quoties Episcopus communem cum Capitulo, ut Canonicus obtineat collationem, negligente Capitulo, ad eum, ut Praelatum fit devolutio (7), nullam si caus-

(1) Innoc. III. in *cap. postulastis* 15. *de concess. praeb.*

(2) Idem in *cap. dilecta* 5., *et ult. de suppl. neglig. Praelat.*

(3) Clemens III. in *cap. sicut nobis* 2. *eod. tit.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. quamquam* 18. *de elect. in* VI: episcopatus enim vacantes, electionemque Episcoporum non extendi canonem Concilii Lateranensis de iure devolutionis, declaraverat iamdudum Innocentius III. in *cap. dilectus* 12. *de concess. praeb.* antequam Cathedrales Ecclesias Apostolicae Sedi reservare consuevissent Regulae Cancellariae.

(5) Clementina *si de beneficio* 4. *de praebendis.*

(6) Clement. *un. de suppl. negl. Praelat.*

(7) Itaque duorum vices diversas gerit in communibus eiusmodi collationibus unus, idemque Episcopus respectu diversarum qualitatum, officiorumque in ipso cumulatorum. Quare Bonifacius VIII. in *cap. a collatione* 11. *de appellat. in VI.* censuit, quod appellare cuique liceat a collatione Capituli ad Episcopum, si ut Canonicus ipse ea interfuit: secus autem, si ut Praelatus. Eademque ratione ductus Innocentius III. in *cap. cum capella* 16. *de privilegiis* rescripsit Canonicos Capellae Ducis Burgundiae, qui parochiales Ecclesias extra illam simul retinebant, ut Parochos iurisdictioni Episcopi dioecesani subiacere, ut capellanos censeri ab eo exemptos.

sam is dederit capitulari negligentiae: si cum dolo dederit, secus. 4: Capitulo si nullum sit cum Episcopo consortium in collationibus, ad Capitulum ex episcopali negligentia nequit ordinaria potestas conferendi, qua illud expers omnino est, devolvi. 5: si Episcopus alternis cum Papa mensibus, et alternis cum Capitulo vicibus in collatione beneficiorum fruens neglexerit beneficium suae vicis conferre, quod vacasset in aliquo mensium alternorum mobilium, puta Februario, Aprili, Augusto, vel Octobri: nec etiam ad Capitulum tunc, sed ad Papam collatio devolvitur (1), perinde ac si vacatio in mense reservato contigisset. 6: divisa inter Episcopum proprietate iuris conferendi olim communis, nec etiam locus erit devolutioni ab Episcopo negligente ad Capitulum. 7: quoties ad solum Capitulum, excluso Episcopo, pertineat quomodolibet collatio beneficiorum, a Capitulo negligente ad Episcopum, Praelatumque suum, ut immediatum Superiorem ordinariam tunc ea devolvitur (2). 8: sed beneficia ob negligentiam inferioris collatoris ad Episcopum, vel Archiepiscopum devoluta huius Capitulum Sede vacante non confert, quamvis episcopalem interea iurisdictionem exerceat (3). 9: electionem quoque, seu praesentationem patronorum ecclesiasticorum post sex menses negligentiae ita fieri caducam, ut libera provisio ad ordinarium collatorem devolvatur (4).

XIV. Ab uno collatore ad alium Superiorem gradatim devolvi caducam beneficiorum collationem exposita iura sat indicant. Sed verum usus commonstrat in dies hoc praesertim in Regno, quod devoluta ob negligentiam Episcoporum, aliorumque Praesulum beneficia numquam conferant Metropolitani, sed Romana tantum Sedes Apostolica. Huius consuetudinis caussa praecipua videtur esse difficultas in iudicio probandi (auditis omnibus interesse habentibus) negligentiam ordinarii collatoris voluntariam nullo impedimento vel iuris, vel facti excusabilem, et lapsum legitimum semestris, qui a die non vacationis, sed notitiae illius (5), aut impedimen-

(1) Ex recepta sententia Lotterii contra Hieronymum Gonzalez, quam firmat Rigant. *to.* 2. *in par.* 2. *Reg. IX. Cancell.* §. 4. *num* 46., *et seqq.*

(2) Gl. in *cap. irrefragabili* 15. *de offic. Ordin.* verb. *per Capitulum*, quam sequuntur Barbosa, Rebuff. Card. de Luca, et Rota apud Rigant. *in par.* 1. *Reg. IX.* §. 3. *num.* 133., *et* 139.

(3) Rigant. in *Reg.* 2. *Can.* §. 3. *num.* 144. ex ratione paulo superius expensa *num.* 10.

(4) Fagnanus in *cap. nulla* 2. *de concess. praeb. num.* 32. scribit devolutioni locum non esse in institutionibus eorum, scilicet quos patroni infra legitima tempora praesentaverint, ratas, quod nullum Ordinariis locorum tempus ad instituendos electos, et praesentatos a patronis iura limitant. At quia Clemens VII. electionem, ac praesentationem intra semestre patronis limitavit, et Bonifacius VIII. inferiores Ecclesias, exclusis Cathedralibus, ad electionem aliorum devolutioni ordinariae subiecit: opinio tanti viri, quantus est Fagnanus, minime tuta videtur. Quoad super electione, aut praesentatione lis pendeat ultra sex menses, nullam tunc negligentiam Ordinario imputari, quae valeat devolutionem inferre, vident omnes. At vel extincta lite, vel ubi nullam subiverit controversiam electio, ac praesentatio unius ad Ordinarium delata, non video, cur facultas instituendi, perinde ac conferendi, eo sex menses negligente, ad Superiorem devolvi non debeat.

(5) Innoc. III. in *cap. quia diversitatem* 5. *de concess. praeb. semestre tempus*, ait, *non a tempore vacationis praebendarum, sed notitiae potius, et commonitionis volumus computari.* Card. de Luca in *summa de benefic. num.* 18. putat, ubi

ti sublati (1) decurrit. Nam nisi omnium ius in collatione habentium negligentia prius ostendatur in actis iudiciariis, iique omnes rite audiantur: non licet Metropolitano ad collationem, uti ad se devolutam, procedere, quum Lateranense Concilium hanc ei mandaverit sub conditione: *si omnes forte neglexerint* (2). Cuiusmodi verbis non unum, sed duos plerumque semestres, alterum Capituli, seu inferioris collatoris, et alterum Episcopi cogitur Metropolitanus expectare.

XV. Sedes vero Apostolica vix unius cuiuslibet ordinarii collatoris semestrem expectans, consuevit vices illius ad alios etiam superiores intermedios devolutas supplere suo iure praeventionis (3), impletamque negligentiae conditionem non inquirit in Curia sua, sed vivis precibus impetrantis beneficium ut devolutum, qui eam asserit gratiam pontificiae collationis largitur cum conditionali clausula: *dummodo tanto tempore vacaverit, quod eius collatio ad Sedem Apostolicam legitime devoluta sit* (4). Huius porro clausulae vis est, ut impetrans a Papa beneficium, uti devolutum adigatur coram executore litterarum apostolicarum rite probare negligentiam collatoris ordinarii nullo impedimento excusabilem, lapsumque semestrem integrum deductis impedimentorum intervallis (5).

XVI. Devoluti semel beneficii collationem ab eo, qui ante neglexerat factam nullius esse momenti ex antedictis liquet (6): nisi eam ex indulgentia ratam quandoque habeat Sedes Apostolica. Nam quidam Praelati una cum suis Capitulis omnia beneficia sex mensibus elapsis quum contulissent ante adventum Legati apostolici, Innocentius III. rescripsit rem ex dispensatione dissimulandam, si essent dignis, doctisque viris collatae praebendae, easque ab istis possideri: secus, si indignis (7).

XVII. Legatos a latere Cardinales tamquam Papae Vicarios conferre iure ordinario intra fines provinciarum suarum beneficia etiam devoluta ad Sedem Apostolicam, superius monui (8). Addit Fagnanus Legatos natos, videlicet Archiepiscopos Eboracensem, Cantuariensem (9), Rhemen-

vacatio extra dioecesim acciderit, numerari menses a die scientiae: at secutam in dioecesi vacationem, quia praesumitur Ordinarius continuo sine mora scivisse, tunc ab ipsius vacationis die decurrere.

(1) Idem Innoc. III. *ibidem* rescripsit *tempus suspensionis* Archiepiscopi *in sex mensibus nullatenus* computari; *cum illa Lateranensis Concilii constitutio contra* negligentes *tantum fuerit promulgata. ...etsi fuerit sua culpa suspensus ...nec tempus etiam, quo ad Apostolicam Sedem accessit, et apud illam permansit, vel recessit ab illa.* Gregorius IX. in cap. *his, quibus* 60., *et ult. de elect.* declarat his, quibus interdicitur electio, tempus a canone statutum currere, ex quo *in mora fuerint:* nimirum eo ex die, quo impedimentum ipsi quum possent, noluerunt amovere. Nam *imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum*, ex Bonif. VIII. in *cap. imputari* 41. *de reg. iur. in VI.*

(2) Fagnan. in *cit. cap. nulla* 2. *de concess. praeb. num.* 35., *et seq.*

(3) Fagnanus *loc. cit.*

(4) Ex Cancellariae Regula LVI, et traditis a Rigantio in *eamdem Reg. num.* 28., *et seq. tom.* 4.

(5) Rigant. *loc. cit. num.* 30.

(6) *Cap.* 5. *num.* 12.

(7) Innoc. III. in *cap. litteras* 4. *de suppl. negl. Praelat.*

(8) *Cap.* 7. *num.* 21.

(9) Alexander III. in *cap. cum non ignoretis* 1. *de offic. legati*, loquens de Can-

sem, et Pisanum potiri eadem auctoritate intra semestre unum (1): eisque duo semestria negatos ex Rotae sententia, et Innocentii III. epistola decretali (2), alterum ut Archiepiscopis, alterum ut legatis.

XVIII. Reservata, et affecta Papae beneficia nullum fere dant locum devolutioni (3), quamquam in Concilio generali Lugdunensi Gregorius X. constituisset beneficia, quae in Curia vacarent, intra mensem a Romano Pontifice non collata, redire ad collationem Ordinariorum (4). Excipe parochiales Ecclesias, quae post Papae obitum, vel in eius vita vacaverint, Ordinariorum provisioni remissas a Bonifacio VIII. (5): quum eas ipsis liceat inde conferre, quoadusque novus Pontifex easdem suis Cancellariae Regulis denuo reservaverit.

CAP. IX.

De beneficiariis (*)

I. Instar militum praedia obtinentium clerici dicti sunt beneficiarii.

II. Beneficiis ecclesiasticis laicos incapaces Iure divino canones proclamant.

III. Quinto saeculo possessiones Ecclesiarum laicis etiam, vel peregrinis, vel captivis per precariam concedi Symmachus indulsit.

IV. Precariae concessiones inde invaluerunt, quamvis B. Gregorius M. ecclesiasticas res committi laicis vetasset.

V. Septima Synodus octavo saeculo eas potentibus tantum laicis vetuit, agricolis permisit.

VI. Nono saeculo decretum, ut precariae vacante Sede concessae rescinderentur, et ecclesiastica, vel civili auctoritate fierent.

VII. Decimo saeculo viguit usus eas concedendi, et revocandi.

VIII. Undecimo canones instaurati, ne feudos presbyterales, seu beneficia Ecclesiastica, seu canonicas praebendas laici obtinerent.

tuariensi Archiepiscopo ait: *qui legationis obtentu . . . in provincia sua vices nostras gerere comprobatur.*

(1) Fagnanus in *cit. cap. nulla num.* 38.

(2) Eboracensis Archiepiscopus unus ex legatis natis quum tempore semestri collationem neglexisset, ab eo ad Papam fuisse devolutam, rescripsit Innocentius III. in *cit. cap. licet* 3. *de suppl. neglig. Praelat.*

(3) Rigant. *to.* 3. *in Reg. num.* 30.

(4) Videsis dicta superius *cap.* 5. *num.* 14.

(5) *Cap. si apostolica* 35. *de praeb. in VI.*, de quo alias dictum eodem *cap.* 5. *num.* 17.

(*) *Ad tit. XIV. lib. I.* Decretal. *de aetate, et qualitate, et ordine praeficiendorum.*

IX. Quae laicis dari ad usumfructum consueverunt praedia sine officio clericali, ea improprie dicebantur beneficia.

X. Clericis solis vera beneficia ecclesiastica ita conferuntur, ut laico sub conditione futuri clericatus vix Papa possit ea concedere, et fundationis lex adsensu pontificio probata.

XI. Praesentari tamen a patronis laicus potest sub conditione adsumendi clericatum intra quatuor, vel sex menses.

XII. Et iure Concordatorum an. 1741. laicus vel a fundatore vocatus, vel a compatronis praesentatus admittitur ad litem super controverso beneficio prosequendam cum clerico ab aliis praesentato.

XIII. Puerilis aetas regendis Ecclesiis non idonea, nec personatibus obtinendis.

XIV. Ante Tridentinum aetas annorum septem ad beneficia simplicia, decem ad Collegiatarum praebendas, quatuordecim ad illas Cathedralium sat erat.

XV. Ex Tridentino ante XIV. annum incoeptum nemini licet beneficium simplex obtinere.

XVI. In beneficiis vero simplicibus ante Tridentinum fundatis sufficit aetas annorum septem.

XVII. Quam Concordata an. 1741. non respuunt in iis, qui arctati dicuntur ad beneficia vel iure passivo, vel praesentationibus consanguineorum patronorum.

XVIII. Ad beneficia curata annus XXV. incoeptus, ad dignitates, atque canonicatus Cathedralium, et Collegiatarum saltem XIX. incoeptus requiritur, ut valeat collatio.

XIX. Ad suscipiendos Ordines beneficiis adnexos anni spatium beneficiariis quibuslibet indulgetur: negligentes autem Parochi beneficium ipso iure amittunt, ceteri secus.

XX. Missas beneficii, vel capellaniae licet clerico per alium celebrare, nisi fundator beneficiario per seipsum celebrandas iusserit.

XXI. Qualitates Ordinis sacri, vel doctoratus, aliaeque beneficio adnexae, praebendis praesertim canonici theologi, et poenitentiarii, ac dignitati archidiaconi, non actu in ipsa beneficii collatione, seu institutione requiruntur, sed sufficit eas fere intra annum adquiri.

XXII. Ad Urbis Romanae beneficia, quae doctoratum postulant, non sufficit gradus in extera Universitate adeptus: neque hoc in Regno, nisi regium placitum accesserit.

XXIII. Illegitimi a beneficiis ecclesiasticis procul habentur.

XXIV. Et haereticorum filii.

XXV. Censuris etiam, et criminibus irretiti.

XXVI. Probitas morum, et scientia praesertim cantus Gregoriani, non genus nobile in beneficiariis expetenda.
XXVII. Iudices insuper caussarum, in quibus privatio beneficiorum irrogatur, eorumque consanguinei, et familiares.
XXVIII. Atque illitterati a beneficiis arcentur.
XXIX. Curata beneficia dignioribus conferri oportet.
XXX. Quae si de patronatu laicorum fuerint, dignus a patronis praesentatus, posthabitis dignioribus instituendus est.
XXXI. Beneficia sine cura dignis recte conferuntur in foro saltem externo.
XXXII. Saecularia saecularibus clericis, regularia regularibus professis sunt conferenda.
XXXIII. Canonicis Regularibus Lateranensibus, et SS. Salvatoris saecularia sine indulto apostolico conferre non licet.
XXXIV. Nec curata, aut residentialia presbyteris, et clericis Congregationis Missionis.
XXXV. In Regno Neapolis, et Siciliae beneficia, et pensiones nonnisi regnicolis conferuntur.
XXXVI. Capuanis indulsit Benedictus XIV. ne aliis, praeterquam in ea dioecesi natis, vel oriundis beneficia eiusdem conferantur.

I. Romanis *beneficiarii* dicebantur milites, qui ob res praeclare gestas praedium imperiali beneficio obtinebant, cuius ex fructibus compararent sibi subsidia vitae (1): iique dicti etiam sunt sequiori aevo *feudatarii*, et *vassalli* (2). Canonistae pariter *beneficiarios* appellant, et vulgo *beneficiatos*, qui Ecclesiae proventus, et praedia ad vitam cum iure utendi, fruendi obtinent propter officium spirituale. Quinam beneficiarii esse in Ecclesia valeant, quibusve possint ecclesiastica beneficia conferri, operae pretium est heic inquirere.

II. Atque in primis edisserendum videtur, num laici beneficiorum ecclesiasticorum capaces Iure canonico sint: quum eos aliquando matricularios, et beneficiarios fuisse monimenta veteris disciplinae satis indicant. Sacri canones, ac leges ipsos omnino incapaces clericalibus aeque officiis, ac beneficiis insimul connexis, tamquam rebus spiritualibus renunciant, Iure divino suffulti. *Non arabis in bove simul, et asino. Non indueris vestimento, quod ex lana linoque contextum sit*, Dominus ait per Moysen (3). Idest ex sententia Concilii Hispalensis II, *homines diversae professionis*

(1) Caesar. *lib.* 1. *bell. Hispan.* ita scribit, *Preteius non deserit sese, armat familiam: cum hac et praetoria cohorte certamen init, barbarisque equitibus, paucis* beneficiariis *suis.* Festus autem *beneficiarios* appellavit milites beneficio Imperatoris a militia vacantes: et *munifices* e contrario, qui non vacarent, sed munia reipublicae adhuc obirent.
(2) Carol. Du Fresne in *glossario* verb. *beneficium.*
(3) Deuteronomii *cap.* 22. *vers.* 10., et 11.

in officio uno non sociabis. Unde oportet nos, et divinis libris, et sanctorum Patrum obedire praeceptis, constituentes, ut hi, qui in administrationibus Ecclesiae Pontificibus sociantur, discrepare non debeant nec professione, nec habitu. Nam cohaerere, et coniungi non possunt, quibus et studia, et vota diversa sunt (1). S. Damasus *panes*, ait, *sanctos Dominus Aaron, et filiis eius comedendos iussit* (2). Officia simul clericorum ab officiis laicorum Ecclesia ab initio ita semper distinxit, ut nefas laicis esset clericalia usurpare (3).

III. Symmachus Papa ad Caesarium fratrem Arelatensem Episcopum rescripsit: *ne possessiones, quas unusquisque proprio Ecclesiae dedit, vel reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis, atque distractionibus, vel sub quocumque argumento pateretur, nisi forte aut* clericis *bonorum meritorum, aut* monasteriis *Religionis intuitu, aut certe* peregrinis, *si necessitas largiri suaserit, sic tamen, ut haec ipsa* non perpetuo, *sed* temporaliter *perfruantur.* (4). Idemque Pontifex sexto ineunte saeculo in Synodo Romana constituit, ut *nec usufructuario iure aliquibus ea dare liceat, nec data retinere praeter* clericos, et captivos, *atque* peregrinos (5). Exinde mos inolevit, quod Episcopi personis diversis tam clericis, quam laicis praedia ecclesiastica ad usumfructum instar beneficiorum conferrent (6).

IV. S. Gregorius M. Ianuario Calaritano Episcopo rescripsit cavendum de cetero, *ne saecularibus viris, atque non sub regula degentibus res ecclesiasticae committantur, sed probatis de officio clericis* (7). Sed Concilium Toletanum VI anno 638. decrevit: *ut si quis clericorum stipendium de rebus cuiusquam Ecclesia Episcopi percepit largitate, sub* precariae *nomine debeat professionem scribere: ut nec per retentionem diuturnam praeiudicium afferat Ecclesiae, et quaecumque in usu perceperit, debeat utiliter laborare* (8). Notant nihilominus Romani Correctores in regio Lucensi Codice Conciliorum haberi: *si quis clericorum, vel aliarum quarumlibet personarum.*

V. Septima Synodus oecumenica anno 787. permisit utique precarias

(1) Conc. Hispalense II. in *can. in nona actione* 22. *C.* 16. *qu.* 7.

(2) S. Damasus in *can. hanc consuetudinem* 15., *et ult. C.* 10. *qu.* 1.

(3) Tertullianus *de praescrip. cap.* 41. haereticos insectatur munia clericorum cum laicis commiscentes. *Alius hodie Episcopus*, ait, *cras alius: hodie Presbyter, qui cras laicus, nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt.* De iisdem loquens B. Hieronymus inquit: *omissis paucis homunculis, qui ipsi sibi, et laici sunt, et Episcopi.*

(4) Symmach. Papa ad Caesarium fratrem *ep.* 5. *art.* 1.

(5) Synod. Romana IV. sub Symmacho an. 502. *cap.* 4.

(6) Id liquet ex *tit.* 14. *lib.* 3. Decretal. de *precariis.* Id huius rubricae paratitlo Anastasius Germonius haec docet. Precaria *concessio longe differt a precario, quo de agitur in Pandectis. Est enim* precaria *species contractus colonarii, quum praedium rusticum, vel urbanum datur in aliquod tempus, quod est quinquennii: quo elapso, is, qui dedit, seu, eius successor revocat, qui et iterum concedere potest, sed deinceps in quinquennium semper tenetur revocare. Hic sane contractus iureconsultis ignotus fuisse videtur.* Precarium, *de quo tit.* 48. lib. 43. Digestor. *est, quod precibus utendum datur tamdiu, quamdiu patitur is, qui concessit.*

(7) S. Greg. M. in *can. iudicatum est* 5. *dist.* 89.

(8) Conc. Tolet. VI. in *can. saepe fit* 72. *C.* 12. *qu.* 2.

fieri concessiones agrorum clericis, vel agricultoribus: neqnaquam vero potentibus laicis, vel optimatibus, ne difficilis foret eorumdem revocatio ad Ecclesiae fiscum. *Quod si excusationem praetenderit*, Synodus ait, *damnum facere, et nihil ad profectum agri existere, nec sic principibus, qui per loca illa sunt, tribuatur ager, vel locus, sed clericis, vel agricoltoribus* (1).

VI. Concilium Gallicanum Mediomatricis, seu Metense anno 835. praecepit rescindi *praecarias*, et commutationes tempore viduatarum Ecclesiarum factas ab iis, qui loca Episcoporum occupaverant, et nonnisi cum auctoritate ecclesiastica, vel civili, ubi opus esset, faciendas (2).

VII. Ut narrat Flodoardus Rhemensis Canonicus, qui floruit saeculo decimo, Ebbo Archiepiscopus *artificibus undecumque collectis sedes dedit, et* beneficiis *muneravit* (3): Archiepiscopus autem Hervaeus *recepit res diversas, et villas Ecclesiae: quae antecessor suus per* praecarias, *seu* praestarias, *diversis contulerat personis* (4). Idemque Flodoardus conqueritur seipsum, nonnullosque alios tam clericos, quam laicos iniuste privatos fuisse *beneficiis* possessionum ecclesiasticarum ab Hugone Archiepiscopo Rhemensi, quibus a praecedentibus Episcopis munerati erant, eademque ab ipso pro libito suae voluntatis, quibus ei placuit, impertita fuisse (5).

VIII. Concilium Bituricense anno 1031. constituit, ut saeculares viri *ecclesiastica beneficia*, quos *feudos presbyterales* vocant (6), non habeant super presbyteros. Concilium Turonense anno 1060, *aut ministerium, aut beneficium*, ait, *nonnisi* clericos *habere, sanctorum Patrum sancivit auctoritas. Si autem Episcopus, aut Praelatus quilibèt contra praefixam regulam aliquod ecclesiasticum ministerium, vel etiam ipsam praebendam, quae canonica dicitur, ordinare, aut dare laicis voluerit, libere liceat clericis contradicere* (7). Ex Alexandri II, sententia, qui sedere coepit anno 1061, *nullus laicorum Ecclesias. vel Ecclesiarum bona occupet, vel disponat* (8). Paulo post S. Gregorius VII. recensuit inter maximos haereticos, et antichristos tamquam divini praecepti transgressorem quemdam Episcopum Bambergensem, *qui non Sacerdotibus propriae dioecesis decimas, et christianorum oblationes conferebat, sed potius* laicalibus personis, *militum videlicet, sive servitorum, et quod gravius est, consanguineis: et sicut Nicaena Synodus de simoniacis censuit, et qui dat Episcopus, et qui recipiunt ab eo* laici

(1) VII. Synodus *can.* 12.
(2) Syn. Metens. *in can. praecariae* 44. C. 12. *qu.* 2.
(3) Flodoard. *lib.* 2. *cap.* 19. apud Thomasin. *par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 19.
(4) Ex traditis ab eodem Flodoardo *lib.* 4. *cap.* 11., 13., et 18.
(5) Ibidem *cap.* 20.
(6) Quo ex tempore consuetudines feudales aevo Longobardorum inolevissent, ab Episcopis etiam, Ecclesiarumque Praelatis praedia ecclesiastica dare *in feudum* consuevisse ostendit eiusdem iuris feudalis textus initio *lib.* 1. *tit.* 1. *de his, qui feudum dare possunt*, his verbis: Feudum *autem dare possunt Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatissa, Praepositus, si antiquitus consuetudo eorum fuerit* feudum *dare.* Quid enim aliud est feudum, nisi *ius praedio alieno in perpetuum utendi, fruendi, quod pro* beneficio *dominus dat ea lege, ut qui accipit, sibi fidem, et militiae munus, aliudve servitium exhibeat.* Hinc promiscua *feudi*, et *beneficii* nomenclatura ortum habuit.
(7) Conc. Turonense *can.* 1. *et seq.*
(8) Alex. II. in *can. nullus* 18. C. 16. *qu.* 7.

sive pretio, sive beneficio, *aeterni incendii ignibus* deputavit (1). Concilium Pictaviense anno 1100. sancivit, *ut nullus de Clero, sive populo* ecclesiastica bona *iure consanguinitatis sibi requirat habenda* (2).

IX. Canones igitur quum antiqui, tum recentiores a veris beneficiis, ac rebus Ecclesiae possidendis, et administrandis semper laicos amoverunt. Quousque Ordines a beneficiis minime seiungerentur: Episcopi laicis probatae vitae conferebant Ordinem ecclesiasticum simul, et beneficium, eos in Ordinatione ipsa describendo inter matricularios clericos de proventibus certae Ecclesiae viventes. Postquam vero introducta est separatio beneficiorum ab Ordinibus, nonnisi clericis prima tonsura saltem initiatis mera beneficia ecclesiastica donarunt, quae consistunt in iure spirituali percipiendi redditus ecclesiasticos propter officium spirituale (3). Tametsi laicis pauperibus etiam distribuebant portionem reddituum communium eis debitam, scilicet bona beneficiorum temporalia sine aliquo spirituali iure, vel ministerio: ut erant praedia ecclesiastica beneficiario, vel precario nomine concessa, quae improprie dicebantur beneficia. Nil ideo mirum videtur Thomassino (4), quod suos Ecclesia feudos laicis olim dedisset ad usumfructum, quum ex eorum donationibus reciprocis tantum compendii ad ipsam rediret. Exploratissimum porro est bona temporalia beneficiorum a iure spirituali nimis differre: non aliter, quam a bonis hereditariis hereditatem ipsam in iure consistentem (5). Ut enim notat Baronius (6) olim beneficia improprie dicebantur possessiones Ecclesiarum vel ad vitam, vel ad tempus concessae ob necessitatem, aliamve rationabilem caussam ex mera Episcoporum liberalitate. Propterea nonnulli perperam definiunt beneficium ecclesiasticum esse rem ecclesiasticam, quae clericis ratione officii utenda conceditur.

X. Ex antiqua idcirco non minus, quam nova disciplina solis clericis prima saltem tonsura initiatis beneficia vere ecclesiastica conferri possunt (7). Quinimmo in Ecclesiis Cathedralibus omnes canonicatus, ac portiones habere debent adnexum Ordinem Sacerdotii, Diaconatus, vel Subdiaconatus (8). Quare collatio, vel institutio beneficii ad favorem laicae per-

(1) S. Greg. VII. in *can. pervenit* 3. *C.* 16. *qu.* 7.

(2) Conc. Pictaviense in *cap.* 1. *de praeb. et dignit.* Emmanuel Gonzalez in hocce *cap. num.* 3. illam sequitur interpretum opinionem, quae *bona ecclesiastica* heic accipit pro *beneficiis* vere ecclesiasticis: ratus laicos, quamvis beneficii incapaces, posse ad illud eo pacto praesentari, aut eligi, ut intra tempus iure praefixum ad Ordines promoveantur. At pace tanti viri mens Patrum Pictaviensium percipitur ex dictis hactenus fuisse abusum diu inolitum reformandi, ut ne bona ecclesiastica deinceps, vel *beneficiario* titulo ad vitam, vel *precario* ad tempus laicis darentur amplius.

(3) Ex iam dictis superiori *cap.* 2.

(4) Thomassin. *par.* 3. *lib.* 2. *cap.* 10. *num.* 10.

(5) Ex superius dictis eodem *cap.* 2. *num.* 3.

(6) Baron. ad *an.* 502. *num.* 36.

(7) Id firmatum quoque est ab Innocentio XII. in Bulla *speculatores*, quam exposui *lib.* 2. *Instit. Canonic. tit.* 10. *num.* 35. *et seq.* Ea enim cogitur Episcopus familiari suo triennali, quem ad primam tonsuram promoverit, infra mensem conferre congruum beneficium, Patresque Tridentini in *cap. Episcopus* 9. *sess.* 23. *de ref.* decreverant illud familiari *statim* esse post ordinationem conferendum.

(8) Trid. in *cap. cum dignitate* 12 *sess.* 24. *de ref.*

sonae nullius omnino momenti est. Sunt vero, qui tenent validam esse collationem beneficii laico factam cum clausula, si quamprimum ad clericatum fuerit assumptus (1), praesertim vero laico scholari de beneficio in manus summi Pontificis resignato (2). Quod locum habere vix poterit, ubi suprema Romani Pontificis auctoritas id velit sine ullo subreptionis, vel obreptionis vitio. Fundationis etiam lex adsensu pontificio firmata laicis patronis aliquando reservavit ecclesiasticam praebendam, vel dignitatem; sicuti in Regia Ecclesia S. Nicolai Bariensis Carolus II. Andegavensis sibi, suisque in hoc Regno Neapolitano successoribus primam Thesaurarii dignitatem reservavit, praebendamque canonicam, quoties praesens in choro adfuisset (3).

XI. In beneficiis de iurepatronatus DD. communiter tenent licere patronis praesentare laicum, vel incapacem sub conditione capacitatis, dummodo clericatus, vel capacitas superveniant intra quatuor menses laicis, vel sex menses ecclesiasticis datos ad praesentandum (4). Nam conditio huiusmodi in tempore verificata retrotrahitur (5). Et contra praesentatio habetur irrita, ubi intra idem tempus nec clericatum, neque capacitatem nominatus quaesiverit (6).

XII. Hoc tamen in Regno ex Concordatorum iure an. 1741. laicus ob passivum iuspatronatus in fundatione praescriptum, vel proprio iure concurrens, vel a patronis activum ius praesentandi aliquem de genere vocato habentibus nominatus ad aliquod beneficium, et omnibus praeditus requisitis, dummodo exhibeat litteras Ordinarii, vel Episcopi sui testimoniales quoad scientiam, bonosque mores, ita legitimus habetur contradictor, ut valeat una cum clerico compraesentato iura sua experiri coram ecclesiastico Iudice, et definitivam expetere sententiam, utri debeatur institutio controversi beneficii, tamquam proximiori, vel maioribus suffragiis suffulto, vel requisitas alias qualitates magis habenti, eo tamen pacto, ut post rem iudicatam is tonsuram primo, deinde institutionem ac possessionem beneficii canonicam obtineat (7). Tempus igitur quatuor, vel sex mensium iure Concordatorum non currit laico, litigiosum beneficium praetendenti vigore iurispatronatus vel activi, vel passivi. Et merito quidem, nam impedito fere non currunt tempora; et quia, *si ius quaerendum est*

(1) Paris. *de resignat. lib.* 4. *qu.* 2. *num.* 46., et Graff. *de effect. clericat. eff.* 15. *num.* 52.

(2) Ventriglia *par.* 2. *prax. eccl. cap.* 7. *num.* 12.

(3) Ant. Beatill. *lib.* 3. *hist. Barens. pag.* 443. Ex Bibliotheca Cluniacensi *pag.* 68. constat etiam Andegavensi Comiti Ingelgerio, eiusque heredi in perpetuum a Patribus in Concilio congregatis collatam praebendam canonicam in Ecclesia B. Martini Turonensis, ipsumque Ingelgerium, vita eius durante, constitutum eiusdem Ecclesiae Thesaurarium, ac defensorem. Pariter Galliarum Regem in Ecclesia S. Ilarii Apamiarum primum obtinere canonicatum, fert Franc. Gigas *de pension. qu.* 21. *num.* 4. Marchionem Asturigae de stirpe Villalobos Canonicum in Ecclesia Leodiensi, perinde ac Barcinonae Comitem in Cathedrali Ecclesia Barcinonensi tradit Aug. Barbosa *par.* 3. *de potest. Episc. alleg.* 72. *num.* 75.

(4) Card. de Luca *de iurepatr. disc.* 45. *num.* 7.

(5) Rota in *Volaterrana beneficii* 7. *Decembris* 1708. coram Crispo.

(6) Pirr. Corradus in *prax. benef. lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 31., *et* 32.

(7) Concordata an. 1741. *Cap.* 4. *art.* 6.

radicatum, inquit Cardinalis Fuscus, *sicuti non potest tolli ius quaesitum, ita impediri nequit, ut ius quaerendum adquiratur.* Siquidem *iuris in spe de proximo exitura, si in alium fiat derivatio, dicitur in fraudem fieri, vel in praeiudicium tertii* (1).

XIII. Hactenus de primo clericalis Ordinis requisito in beneficiariis. Quod vero ad alterum aetatis, nil canones antiqui statuisse videntur, sed eam prudenti Episcoporum arbitrio reliquisse, quum Apostolus scripserit: *nemo adolescentiam tuam contemnat* (2). Quare prioribus Ecclesiae saeculis Summi Pontifices pueros ab infantia in ecclesiasticis ministeriis ante pubertatem inter Lectores etiam, et Exorcistas adscriptos probabant (3). Subinde Concilium Toletanum II. anno 531, loquens de iis, quos voluntas parentum *a primis infantiae annis* clericatus officio mancipabat, statuit observandum, ut mox detonsi, vel ministerio traditi in domo Ecclesiae erudirentur (4). Alexander III. rescripsit primus omnium indecorum esse: *ut hi debeant Ecclesias regere, qui non noverunt gubernare seipsos, quum ad Ecclesiarum regimen tales personae sint admittendae, quae discretione praeemineant, et morum fulgent honestate. Nolentes itaque sustinere, ut parvulis Ecclesiae regimen committatur, mandamus quatenus nemini intra annum decimum quartum constitutio personatum cuiuslibet Ecclesiae concedere praesumatis* (5). Exinde Gregorius IX. Argentinensi Episcopo respondit, *quod pueri, et beneficiati, qui non possunt in Ecclesia deservire, in ea non debent idonei reputari* (6).

XIV. Paulus III. anno 1534. in sua Cancellariae Regula XXVIII. praescripsit aetatem *quatuordecim* annorum ad *praebendas* in Cathedralibus adipiscendas, *decem* in Collegiatis inferioribus, et *septem* ad capellanias, et beneficia simplicia.

XV. Cuiusmodi regulam sequentes Pontifices minime innovarunt, propterea quod Concilium Tridentinum anno 1563. promulgatum definivit, quod *nullus prima tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere* (7).

XVI. Sed quoniam futuris dant formam negotiis leges, et constitutiones, non ad praeterita facta trahuntur, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur (8): in praxi ea sententia inolevit, ut in beneficiis antiquis ante Concilium Tridentinum fundatis (scilicet ante annum 1563, quo promulgata Concilii decreta fuere) praesentari, et institui valeant clerici septennes: in aliis vero post Concilii publicationem, nonnisi puberes. Eamque ob rem impuberes apostolicam aetatis dispensationem impetrare consueverunt a Summo Pontifice, qua fierent capaces obtinendi beneficia.

XVII. Eidem dispensationi hodie faccssit negotium hoc in Regno lex

(1) Card. Fuscus *tit. I. concl.* 625. *num.* 17. *et concl.* 629. *num* 4.
(2) Ad Timotheum *cap.* 4.
(3) Praesertim Siricius in *can. quicumque* 3., Zosimus in *can. in singulis* 2. *dist.* 77.
(4) Conc. Tolet. II. in *can. de iis* 4 *dist.* 28.
(5) Alex. III. in *cap. super inordinata* 35 *de praeb.*
(6) Greg. IX. in *cap. indecorum* 3. *de aetate, et ord. praefic.*
(7) Trid. in *cap. nullus* 6 *sess.* 23. *de ref.*
(8) *Cap. cognoscentes* 2, *et cap quoniam* 13, *et ult. de constit.*

Concordatorum an. 1741.(1), requirens quatuordecim annos incoeptos pro prima clericali tonsura, et consequenter pro beneficiis. Excipit autem solum *arctatos*, videlicet in limine fundationis, vel specialiter, vel sub nomine collectivo cuiusdam familiae, seu stirpis generaliter vocatos iure patronatus passivo, aut a consanguineis suis activum patronatum habentibus praesentatos (2).

XVIII. Quod vero ad beneficia maiora, idem Alexander III. in Concilio Lateranensi constituit, ut nemo Decanatum, Archidiaconatum, et alias dignitates adnexam habentes curam animarum, aut parochialem Ecclesiam suscipiat, *nisi qui iam vigesimum quintum annum aetatis attigerit*, et scientia, et moribus commendetur: utque easdem dignitates adepti, *si Archidiaconus in Diaconum, Decanus, et reliqui admoniti non fuerint praefixo a canonibus tempore in Presbyteros ordinati, ab illo removeantur officio, et aliis conferatur* (3) Gregorius X. in Concilio Lugdunensi id etiam sanxit, quoad parochiales Ecclesias (4). Dein Clemens V. in Concilio Viennensi decrevit ut *qui dignitates, personatus, officia, vel praebendas*, quibus *certi Ordines sunt adnexi*, obtinuerint in Ecclesiis *Cathedralibus*, *vel Collegiatis saecularibus, vel regularibus, nisi iusto impedimento cessante, ad huiusmodi Ordines se promoveri fecerint intra annum*, nullam haberent, donec promoverentur, vocem in Capitulo, et medietatem distributionum amitterent (5). Martinus V. in Concilio Constantiensi omnes beneficiarios, qui negligerent Ordinem beneficio suo adnexum suscipere intra terminum iuris, ipso facto privatos iisdem beneficiis voluit (6). Constitutionem Viennensis Concilii tandem innovavit eisdem fere verbis Tridentina Synodus, superaddens: *ut ne aliis in posterum fiat provisio, nisi iis, qui iam aetatem, et ceteras habilitates habere dignoscantur: aliter irrita sit provisio* (7). Alteramque Lateranensis Concilii sub Alexandro III. constitutionem simul confirmavit, ampliavitque, statuens: ut *in Ecclesiis praesertim Cathedralibus nemo deinceps ad dignitates quascumque post episcopalem, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem vigesimum quintum aetatis suae annum attigerit, et in clericali Ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur.* Archidiaconi *etiam sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit*,

(1) Concordata *cit. cap. 4. art. 3., et 5.*

(2) Videsis quae iam exposui lib. 2. Instit. Canonic. tit. 10. n. 82.

(3) Alex. III. in *cap. cum in cunctis 7. de elect. §. inferiora.*

(4) Greg. X. in Conc. Lugdun. in *cap. licet canon. 14. de elect. in VI.*

(5) Clementina *ut ii 2. de aetate, et qualit., et ord. praefic.*

(6) In Conc. Costantiensi Martinus V., die 21. Martii 1417, abrogatis dispensationibus cunctis, quas Romani Pontifices concessissent *provisis ad Ecclesias, monasteria, prioratus conventuales, decanatus, archidiaconatus, et alia quaecumque beneficia, quibus certus Ordo debitus est, vel adnexus, ne munus consecrationis Episcopi, sive benedictionem Abbatis: aut ceteros debitos, aut adnexos Ordines suscipiant...* statuit, ut ii omnino *intra terminum iuris se faciant consecrari, seu benedici, seu ad aliam debitam ordinationem promoveri: alioquin sint ipsis Ecclesiis, monasteriis, dignitatibus, personatibus, officiis, et beneficiis ipso iure privati, et aliis libere conferantur.* Vide Fagnan. in *cap. cum in cunctis §. inferiora de elect. num. 23.*

(7) Trid. in *cap. quicumque 4. sess. 22 de ref.*

magistri *in Theologia*, *seu* doctores, *aut* licentiati *in Iure canonico*. *Ad ceteras autem* dignitates, *vel* personatus, *quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei*, *et* viginti duobus annis *non minores adsciscantur. Neminem deinceps ad dignitatem, canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo* Ordine sacro *aut sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda, aut portio requirit*, *aut in tali aetate*, *ut* infra annum *initiari valeat* (1). Bonifacius VIII. quoque rescripsit, praebendam sacerdotalem conferri constituto saltem in aetate ad Sacerdotium apta debere (2). Parochialium vere Ecclesiarum resignatarios ubilibet, excepta Gallia, annis triginta non minores esse debere, Congregatio particularis sub Clemente XI. decrevit (3). Colligitur hinc irritam procul dubio fore collationem tam parochialis Ecclesiae, curatique beneficii, quam dignitatis, aut canonicatus in Cathedralibus, aeque ac in Collegiatis Ecclesiis, quae ante legitimam aetatem hisce canonibus designatam cuivis fiat sine diapensatione apostolica (4): nisi cui speciatim lex fundationis minorem aetatem indulserit (5).

XIX. Quod vero ad sacros Ordines, habilitas ad eos intra annum suscipiendos generatim sufficit in actu collationis. At non omnes ea in re vel negligentes, vel contumaces pari poena coguntur ad suscipiendum Ordinem curae parochiali, vel dignitati, vel canonicatui, vel praebendae, vel officio suo adnexum. Gregorius X. sanxit in citato canone Lugdunensi, ut provisus de parochiali Ecclesia, si promotus ad Sacerdotium intra annum non fuerit, Ecclesia sibi commissa sit ipso facto privatus, nulla etiam praemissa monitione (6). *Ad Collegiatas vero Ecclesias*, *etiamsi aliae parochiales extiterint*, *et ad assumptos ad earum regimen non extendi* canonem Lugdunensem de Parochis ad Sacerdotium intra annum promovendis, *sed antiqua iura servari debere potius in eisdem*, Bonifacius VIII. declaravit (7). Hinc Fagnanus recte docet, quod obtinens praepositúram, seu principalem dignitatem in Ecclesia Collegiata cum iurisdictione spirituali, ac temporali in subiectas parochiales, et villas non incidat in poenam canonis Lateranensis, et Lugdunensis, si neglexerit intra annum suscipere Sacerdotium (8). S. Congregatio Concilii autem censuit eos, qui obtinent dignitates, praebendas, portiones in Ecclesiis, vel Cathedralibus, vel Collegiatis, non esse ipso iure iisdem privatos, sed privari tantum pos-

(1) Trid. in *cap. cum dignitates* 12. *sess.* 24. *de ref.*
(2) Bonif. VIII. in *cap. ei, cui* 2. *de praeb. in VI.*
(3) Apud Rigant. *to* 3. *pag.* 375 *num.* 39.
(4) Ex postremis praesertim verbis *cap.* 4. *sess.* 22. Concilii Tridentini, quod loquitur generatim de praebendis, canonicatibus, personatibus, dignitatibus, officiis tam Cathedralium, quam Collegiatarum.
(5) Apud Gallemart. in *Trid. cap.* 12. *sess.* 25. *de ref. n.* 21. S. Congregatio Concilii censuit hoc decreto non comprehendi canonicatum iurispatronatus laicorum, ante Concilium fundatum, in cuius fundationis limine fuerit cautum, ut descendentes a fundatore possent ipsum obtinere, etiamsi non sint in sacris Ordinibus constituti, sed simplices tantum clerici, donec ad Sacerdotium promoveantur. Fundationes post Concilium, nisi pontificio adsensu probatae sint, nequeunt aetati a Concilio oecumenico praescriptae derogare cum sola Ordinariorum auctoritate.
(6) Greg. X. in *cap. licet can.* 14 *de elect. in VI.*
(7) Bonif. VIII. in *cap. statutum* 22. *de elect. in VI.*
(8) Fagnan. in *cap. cum in cunctis* 7. *de elect. ad §. inferiora num.* 25.

se, si moniti renuant contumaciter ad Ordines beneficiis suis adnexos promoveri (1). Idque ideo in Cathedralibus, et Collegiatis locum habere monet Fagnanus, quia earum dignitates sine cura, et Canonici, et beneficiarii ob negligentiae poenam ipso facto amittunt vocem in Capitulo, et medietatem distributionum ex canone Viennensi, quem innovavit Concilium Tridentinum: qui vero alia beneficia extra Cathedrales, et Collegiatas adnexos ordines habentia obtinent, eos ipso facto incidere in poenam amissionis beneficii sancitam in Concilio Constantiensi, quam Patres Tridentini minime abrogarunt (2). Alexander III. praeterea rescripsit beneficiarios clericos posse propter Ecclesiae necessitatem, vel utilitatem ad sacros accipiendos Ordines beneficiis etiam suis non adnexos compelli per amissionem locorum, beneficiorumque subtractionem (3).

XX. Quoties mandaverit fundator Missas beneficii, vel capellaniae a seipso constitutae celebrandas esse per aliquem Sacerdotem, vel Presbyterum ab heredibus, et successoribus patronis deputandum, et eligendum, qui Missas celebrare valeat: adhuc in praxi clericus primae tonsurae admittitur, atque instituitur, utpote capax adimplendi celebrationem Missarum per idoneos Presbyteros: eo tantum casu excepto, ubi fundator iusserit, quod capellanus, vel beneficiarius per seipsum debeat Missas celebrare: tunc enim vel Sacerdos, vel clericus Sacerdotio infra annum initiandus deligi omnino debet. Sacra enim Congregatio Concilii pluries respondit, nisi fundator expresse dixerit, quod praesentandum celebret *per seipsum infallibiliter*, non esse sacerdotale beneficium, et posse per alium adimplere onus Missarum: adeo ut clerico etiam primae tonsurae valeat capellania conferri, qui ea obtenta non cogitur ad Sacerdotium ascendere (4).

XXI. Ceterae similiter qualitates, puta doctoris, vel magistri, vel licentiati gradus, a Iure, vel a statutis locorum, vel a fundatoribus volitae, regulariter in praxi actu non requiruntur tempore collationis, sed sufficit habitus, seu potentia eas infra annum obtinendi (5). Ex Tridentino: *Archidiaconi sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit*, magistri *in Theologia, seu* doctores, *aut* licentiati *in Iure canonico*. (6) Qui vero Archidiaconi nullum habeant curam animarum, nec iurisdictionem, eos hoc decreto non comprehensos, neque obstrictos ad magistri, vel doctoris, vel licentiati gradum adsumendum, S. Congregatio declaravit (7). *Hortatur etiam* S. Synodus Tridentina ibidem, sed nullo praecepto cogit, *ut dignitates omnes, et dimidia saltem pars canonicatuum in Cathedralibus, et Collegiatis insignibus conferantur tantum magistris, vel doctoribus, aut licentiatis in*

(1) Apud Fagnan. *loc. cit. num.* 39., et *in cap. quaeris* 6. *de aet.*, *et qual. num.* 31. Synodus etiam Pictaviensis in *cap.* 1. *de aet.*, *et qual.* constituit, ut Abbates, Decani, Praepositi, Archipresbyteri *aut fiant Presbyteri, aut amittant honorem*: et Archidiaconi pariter, nisi fiant diaconi, praelationes amittant.

(2) Fagnan. *in cit. cap. cum in cunctis num.* 41., *et ult.*

(3) Alex III. in *cap. quaeris a nobis* 6. *de aetat.*, *et qualit.*

(4) Quam secuta est Rota penes Merlinum *dec.* 825. *num.* 8, *et seq. tom.* 2.

(5) Rota *dec.* 6. *num.* 11. *par.* 4. *rec. tom.* 2., Card. de Luca *de fideic. disc.* 9. *num.* 8.

(6) Trid. in *cap. cum dignitates* 12. *sess* 24. *de ref.*, de quo supra *num.* 18.

(7) Apud Gallemart *in declarat. ad cit. cap. cum dignitates num.* 1., *et* 2.

Theologia, vel Iure canonico (1). Sed ea ipsa decrevit officium, et praebendam Canonici theologi non alii conferendam, nisi qui *magister sit, vel doctor, vel licentiatus in Theologia, vel Iure canonico, et aetatem habeat an. XL., vel alios, qui aptior pro loci qualitate reperiatur episcopali iudicio* (2).

XXII. Ad beneficia, et officia Urbis Romae, quae doctoratum requirant, non suffragantur gradus in extera Universitate in posterum adepti post promulgatam a Benedicto XIV. constitutionem IV. Kal Sept. 1744: sed necesse est, ut ipsi gradum eiusmodi susceperint in archigymnasio romano: exceptis dumtaxat illis, qui destinantur ad officia alicui nationi, vel civitati affecta (3).

XXIII. Iustis ex nuptiis ortos, qui beneficia expetunt ecclesiastica, esse oportet. *Indecorum est, ut in Altaris officio illegitimus filius ministret*, inquit Innocentius III. (4). Quamobrem qui defectum patiuntur natalium, ad dignitates, personatus, et beneficia curam animarum adnexam habentia sine dispensatione Sedis Apostolicae nulliter promoventur (5). Beneficia vero, quibus non imminet cura animarum, non minus, quam Ordines minores ex dispensatione solius Episcopi obtinere possunt (6). At Episcopi dispensatio non prodest filiis clericorum illegitimis ad beneficia obtinenda in iis Ecclesiis, ubi patres eorum habuerint, vel habeant beneficium, ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur (7). *Non liceat filiis clericorum*, decrevit Synodus Tridentina, *qui non ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eorum patres beneficium aliquod ecclesiasticum habent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere, aut in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare*, nec pensiones *super fructibus beneficiorum obtinere, aut in dictis Ecclesiis quoquo modo* ministrare, *nec* pensiones *super fructibus beneficiorum, quae parentes eorum obtinent, vel alias obtinuerunt, habere. Adhaec reciprocae* resignationes, *si quae posthac a parentibus clericis in favorem filiorum fient, ut alter alterius beneficium consequatur, in fraudem huius decreti, et canonicarum sanctionum factae omnino censeantur: nec* collationes *secutae vigore huiusmodi resignationum, seu aliarum quarumcumque, quae in fraudem factae fuerint, ipsis clericorum*

(1) Trid. *cit. cap.* 12. *sess.* 24. In Gallia ius Concordatorum Leonis X. cum Francisco I. statuit, ut Ordinarii locorum, et Episcopi beneficia in quatuor anni mensibus vacatura solis graduatis conferrent, qui scilicet gradum promeruerint, ac titulum *baccalaurei*, vel *licentiati*, vel *doctoris*, vel *magistri* artium in Academia, exclusis codicillaribus graduatis ex privilegio, seu diplomate quum regio, tum pontificio: hoc tamen pacto, ut ad vacatura in duobus Aprilis et Octobris mensibus graduati simplices arbitrio Episcoporum diligerentur, in duobus aliis Ianuarii, et Iulii nominarentur ab Universitate.

(2) Trid. in *cap. Apostolus* 8. *sess.* 24. *de ref.*, qua de re inferius *cap.* 10. *num.* 29

(3) Bened. XIV in. *const. inter conspicuos* 106 *n.* 28., *et* 29. *tom.* 1. Bullarii.

(4) Innoc. III. in *cap. cum decorem domus Dei* 15. *de filiis presbyter.*

(5) Greg. IX. in *cap. nimis* 18. *eod. tit.*

(6) Bonif. VIII. in *cap. is, qui defectum* 1. *eod. tit. in VI.* Bened. XIV. *de Syn. dioeces. lib.* 13. *cap.* 24. *num.* 11.

(7) Alex. III. in *cap. ad praesentiam* 2., *et seq.* et Honor. III. in *cap. dilectus* 17. *eod. tit.*

filiis suffragentur (1). Et Urbanus II. in concilio Claromontano, *presbyterorum filios a sacris altaris ministeriis iamdiu removerat* (2). Quum et *beneficium obtinere*, et *ministrare* in paterna Ecclesia filiis illegitimis vetitum sit: S. Congregatio inde censuit non licere filio illegitimo confessiones poenitentium audire in ea Ecclesia, in qua officium Parochi obiverat pater illius (3). Eademque Ostunensi Episcopo respondit nullum ius esse filio illegitimo ad portionem adipiscendam emolumentorum Ecclesiae, in qua eius pater dignitatem obtinuerat, debitam Presbyteris in ea celebrantibus, quantumvis filius ipse ad Sacerdotium indulto pontificio promotus sacrum in ea facere consuevisset (4). At ea ipsa censuit licere filio eiusmodi capellaniam laicalem non perpetuam illic obtinere, ubi pater illegitimus,ut capellanus pariter mobilis inservisset (5): secus autem, si pater beneficium ecclesiasticum inibi habuisset (6). Legitimatio hac in re nil suffragatur filiis presbyterorum (7), nisi per subsequens matrimonium facta sit (8). Ad nepotem vero legitimum ex filio presbyteri illegitimo natum nullatenus extendi hanc tridentinam sanctionem ratio suadet, pluriesque respondit S. Congregatio (9). Neque ad patrem, qui nullo iure prohibetur beneficium filii illegitimi obtinere sine dispensatione etiam immediate (10). Quamquam Alexander III. inhabiles declaraverit filios presbyterorum etiam legitimos ad obtinendas Ecclesias, in quibus patres eorum nulla persona media ministrarunt, ut procul ab Ecclesia esset hereditaria successio (11).

XXIV. Filii haereticorum usque ad secundum gradum ex linea paterna, et primi tantum gradus ex materna sunt inhabiles ad beneficia ecclesiastica, simul et officia saecularia: nisi ante mortem parentes emendatos, et regressos in Ecclesiae gremium fuisse constiterit (12).

XXV. Censuris ecclesiasticis obnoxii arceantur a quibuscumque beneficiis, donec obtineant absolutionem (13). Sed Pontifices collatores eam so-

(1) Trid. in *cap. ut paternae* 15. *sess.* 29. *de ref.* Clemens VII. *const.* 30. in Bullario antiquo *to.* 1. edixit illegitimos clericorum filios nullo umquam tempore posse paterna beneficia obtinere, etiamsi alius ea intermedius aliquamdiu possederit, Fagnan. in *cap. ad extirpandas* 11. *de fil. presb.*, *num* 7. *et seq.*

(2) Urban. II. in *can.* 1. *dist.* 56.

(3) S. Congr. Conc. ad Uritanum Episcopum mense Iulio 1548. apud Benedict. XIV. *loc. cit. num.* 14.

(4) S. Congr. Conc ad postulata Ostunensis Episcopi die 15.Aprilis 1684., et 21. Iunii 1686., apud Bened. XIV. *ibidem.*

(5) S. Congr. Conc. ad Calaguritanum Episcopum an. 1585., et Pampilonensem an. 1587. *ibidem.*

(6) Fagnanus in *cit. cap. ad extirpandas num.* 19. *de filiis presbyter.*, cui adstipulatur Benedictus XIV. *loc. cit.*

(7) Ex Fagnani probata sententia in *cit. cap. ad extirpandas num.* 33.

(8) Alex. III. in *cap. conquestus* 1., *et cap. tanta* 6. *qui filii sunt legitimi.*

(9) Apud Benedict. XIV. *loc. cit. num.* 19.

(10) S. Congr. die 2. Decembris 1628. apud Bened. XIV. *ibidem. num.* 16.

(11) Alex. III. in *cap. ad extirpandas* 11. *de filiis presbyter.*

(12) Bonif. VIII. in *cap. statutum* 15. *de haereticis in VI.*

(13) Innoc. III. in *cap. dilectus* 36. *de rescriptis*, et *cap. postulastis* 7. *de cler. excom. ministr.* Conferenda huc sunt, quae dixi *lib.* 4. *Inst. Canon. tit.* 18. *de poenis, et cens. eccles.*

lent in apostolicis collationum litteris expresse largiri ad effectum earum dumtaxat consequendum. *Si enim Summus Pontifex scienter etiam excommunicato participet litteris, verbo, vel osculo, seu alio quovis modo, ipsum per hoc absolvere nulla ratione censetur: nisi se velle forsitan exprimat illum ex hoc pro absoluto haberi*, ait Clemens V. (1). Criminosos generatim omnes a beneficiis adipiscendis iura canonica eo planius repellunt, quo saepius obtentis etiam eos vel ipso facto privatos, vel per sententiam privandos fore iubent (2).

XXVI. Nam probatis morum, vitaeque honestas in personis ecclesiasticis praesertim beneficiariis requiritur (3). Ex Gregorii IX, sententia *non generis, sed virtutum nobilitas, vitaeque honestas gratum Deo faciunt, et idoneum servitorem, qui ad Ecclesiae suae regimen non multos secundum carnem nobiles, et potentes elegit, sed ignobiles, ac pauperes: eo quod non est personarum acceptio apud ipsum* (4). In conferendis canonicatibus, aliisque beneficiis etiam simplicibus, inquit Benedictus XIII. Episcopi non carnem respiciant, aut sanguinem: ad servitium attendant, et qualitates promovendorum. Advigilent insuper, ut in faciendis collationibus nec alii esuriant, nec alii ebrii sint, iustitia semper distributiva servetur prudenti collatorum arbitrio. In canonicatibus vero, ut supra conferendis, ceteris paribus, semper eos praeferant, qui cantum callent Gregorianum, et quoties collatio ad Sedem Apostolicam spectabit, eiusdem cantus peritia mentio fiat in testimonialibus, quae concedentur (5). Qui vero iteratis, et ambitiosis precibus beneficia extorquere ab Episcopo nituntur, eos indignos censuit S. Carolus Borromaeus (6).

XXVII. Iudices caussarum beneficialium, vel criminalium, in quibus privatio beneficiorum irrogatur, eorumque consanguinei, affines, et familiares impetrare non possunt tam a Summo Pontifice, quam Ordinariis locorum beneficia per privationem eamdem vacantia, ex Constitutione Pii IV., qui irritas ipso iure pronuntiat eiusmodi impetrationes, et impetrantibus istis nil suffragari Regulas de annali, et triennali possessione (7).

XXVIII. *Litteris carens non potest esse aptus sacris officiis*, ad Episcopos Lucaniae rescripsit Gelasius (8). Id Iure divino imperatum, innuit Oseas his Domini verbis: *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi* (9). Verum Innocentius III. rescripsit: *etsi desideranda sit eminens scientia in Pastore, in eo tamen est competens toleranda; quia secundum Apostolum*, scientia inflat, charitas autem aedificat, *et ideo*

(1) Clementina *si summus* 4. *de sent. excom.* Consonat Innoc III. in *cap. si aliquando* 41. *eod. tit.*

(2) Qua de re dicam *cap. ult. huius tract.*

(3) S. Greg. M. in *can. non loca* 4. *dist.* 40., et *can. sicut excellentiam* 48. *C.* 23. *qu.* 4.

(4) Greg. IX. in *cap. venerabilis* 37. *de praeb.*

(5) Bened. XIII. in Conc. Roman. *tit.* 6. *de aetat., et qualit. praefic. cap.* 5.

(6) Quem laudat, et sequitur Benedictus XIV. *de syn. dioeces. lib.* 7. *cap.* 63. *num.* 4.

(7) Hanc Pii IV. constitutionem habet Quaranta in *sum. bullar* verb. *beneficiorum privatio.*

(8) Gelas. in *can. illiterato.* 1. *dist.* 36.

(9) Oseae *cap.* 4.

imperfectum scientiae potest supplere perfectio charitatis (1). Iure hinc merito Cancellariae Regula XX. de idiomate statuit, nullius fore momenti collationes, quae tam in Curia Romana, quam extra fiant de parochiali Ecclesia, et quovis beneficio curam animarum habente quibuslibet nescientibus idioma loci, ubi Ecclesia, vel beneficium consistit. Nam Tridentina Synodus decrevit, ut Parochi singulatim lingua vernacula frequenter explicent vim, usumque Sacramentorum; et legem Domini (2). Honorius III. rescripsit ab officio episcopali removendum fore Callinensem Episcopum in Germania, qui nec didicisse grammaticam, nec Donatum umquam legisse iam fuerat confessus (3).

XXIX. Denique dignioribus conferri omnino debent, posthabitis dignis, beneficia cum animarum cura, ut sunt in primis Ecclesiae Cathedrales (4), tum parochiales (5). Quare S. Augustinus: *non sane putandum est leve peccatum*, ait, *in acceptione personarum habere fidem Domini Nostri Iesu Christi. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiae, contempto paupere instructiore, atque sanctiore* (6)? S. Thomas: *contingit quandoque*, ait, *aliquem esse meliorem simpliciter, qui tamen non est melior quantum ad hoc, quod beneficium percipiat: quid aliquis forte potest Ecclesiam magis iuvare, vel per consilium sapientiae, vel per auxilium potentiae, vel quia servivit in Ecclesia. Non ergo Episcopus tenetur semper dare meliori simpliciter, sed tenetur dare meliori quoad hoc... Non enim potest esse, quod Episcopus unum praeferat alteri, nisi propter aliquam caussam. Quae si quidem pertineat ad honorem Dei, et utilitatem Ecclesiae, iam quantum ad hoc ille est melior: si autem illa caussa ad hoc non pertinet, erit acceptio personarum, quae tanto est gravior, quanto in rebus divinis committitur* (7). Prae oculis habeant collatores hocce B. Iacobi Apostoli oraculum. *Nolite in personarum acceptione habere fidem Domini Nostri. Etenim si introierit in conventum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida, introierit autem et pauper in sordido habitu, et intendatis in eum, qui indutus est veste praeclara, et dixeritis ei:* tu sede hic bene; *pauperi autem dicatis:* tu sta illic, *aut* sede sub scabello pedum meorum, *nonne iudicatis apud vosmetipsos, et facti estis iudices cogitationum iniquarum? Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in Fide, et heredes regni, quod promisit Deus diligentibus se? Vos autem exhonorastis pauperem. Si autem perso-*

(1) Innoc. III. in *cap. nisi cum pridem* 10. *de renuntiat.*

(2) Trid. in *cap. ut fidelis populus* 7. *sess.* 24. *de ref.*

(3) Honor III. in *cap. quamvis* 15. *de aetat., et qualit.* Et Clemens XI. quemdam in Regno Neapolitano designatum Episcopum, qui nullum valuit verbum latinum respondere in examine quum publica, tum privato, renuit ordinare, nolens contra Deum, et canonicas sanctiones tantum in Episcopo tolerare defectum: sicuti fert Rigant. in Reg. XX. Canc. *num.* 41.

(4) Trident. in *cap. sess.* 24. *de ref.*

(5) Idem in *cap. expedit* 18. *ead. sess.* 24. *de ref.* decrevit Parochos, praevio concursu eligendos, quos *magis idoneos* Episcopus iudicaverit aetate, moribus, doctrina, prudentia, ceteris dotibus.

(6) S. August. *ep.* 29. ad S. Hieronymum. An divitibus clericis conferre olim beneficia licuisset, dubium fuisse quaestionem; nunc vero licere consentit Benedictus XIV. *de Syn. lib.* 7 *cap.* 2. *num.* 2.

(7) S. Thomas *quodlibet.* 6 *quaest.* 5. *art.* 3.

nas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege, quasi transgressores (1).

XXX. Quoties autem curata beneficia sint de iurepatronatus laicorum: nequit Episcopus patronos compellere ad praesentandos digniores, sed praesentatum, si repererit idoneum, tenetur omnino admittere, atque instituere (2).

XXXI. Cetera vero beneficia sine cura animarum dignis, atque idoneis, etiam omissis dignioribus, licite conferri posse probabiliter doctores affirmant. Propterea quod Innocentius III. In Concilio generali indignos excludit, non vero dignos, atque idoneos dicens: *Gravis nimis est, et absurdum, quod quidam Ecclesiarum Praelati cum possint viros* idoneos *ad ecclesiastica beneficia promovere, adsumere non verentur* indignos, *quibus nec morum honestas, nec litterarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non iudicium rationis: unde quanta damna Ecclesiis proveniant, nemo sanae mentis ignorat. Volentes igitur huic morbo mederi, praecipimus, ut praetermissis* indignis, idoneos *adsumant, qui Deo, et Ecclesiis velint, et valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali Concilio diligens inquisitio annuatim* (3). Accedit exceptio Tridentina de beneficiis curam habentibus animarum, quae sanxit, ut dignioribus conferantur, firmans regulam in contrarium in ceteris beneficiis sine cura. *Nam si contrarium volebat, nulla erat difficultas coniunctim ea disponere* (4). Huic exceptioni superaddi potest praelatio graduatis indulta in regno Galliae vigore Concordatorum Leonis X. cum Francisco I. Si enim Episcopi coguntur inibi graduatis simpliciter, uti doctoribus, benemeritis, et dignioribus conferre beneficia in mensibus Aprilis, et Octobris vacantia, itemque graduatis per Academias nominatis in mensibus Iulio, et Ianuario: consequens est, ut in reliquis mensibus beneficia personis non graduatis, minusque idoneis valeant concedere. Non desunt autem opinantes cum divo Thoma in foro externo quidem licitam, validamque haberi collationem simplicis beneficii digno factam, omisso digniori: sed in foro interno conscientiae non item, quum S. Thomas doceat *quantum ad conscientiam eligentis* necessum esse eligere meliorem (5). Sententia haec plane tutior est, ideoque digna, quam Praelati ecclesiastici sequantur in praxi.

XXXII. Saecularia beneficia nonnisi clericis saecularibus, et vicissim regularia nonnisi regularibus personis professis conferri possunt, ne vestem lino, lanaque contextam induant, ait Synodus Tridentina (6). Verum ex Romani Pontificis dispensatione Regulares quandoque saecularia beneficia obtinent in titulum perpetuum, et saeculares clerici regularia

(1) S. Iacob. *ep. canon. cap.* 2. *vers.* 1. *et seq.*

(2) De hac re fusius infra dicemus in *cap.* 10. *de collatione,* ubi forma concursus ad parochiales explicabitur.

(3) Innoc. III. in *cap. grave nimis* 29. *de praeb.*, quod firmavit Trid. in *cap. inferiora* 3. *sess.* 7. *de reform.*

(4) Textus ait civilis in *l. un. de caducis tollendis*, et Ulpian. in *l. item apud Labeonem* 15. §. *hoc edictum D. de iniuriis.*

(5) S. Thom. 2. 2. *quaest* 63. *art.* 2.

(6) Trid. in *cap. regularia* 10. *sess.* 14 *de ref.* Id quod constitutum iamdiu erat ab Innoc. III. in *cap. cum caussam* 27. *de elect.*, et Bonif. VIII. in *cap cum de beneficio* 5. *de praeb. in VI.*

monasteria, seu Abbatias in commendam, vel ad vitam, vel ad tempus ex Cancellariae Regula XLIII. (1).

XXXIII. Beneficia ecclesiastica saecularia conferri non posse Canonicis Regularibus Lateranensibus, aut Sanctissimi Salvatoris absque indulto apostolico, sacrae Urbis Congregationes saepe censuerunt (2). Tum reclamante Procuratore generali Canonicorum Lateranensium Clemens XI. anno 1713. rescripsit, ut S. Congregatio Concilii totius caussae cognitionem resumeret, ac definiret, an inspectis Iure communi decretis Tridentinis, professione, et instituto Canonicorum Lateranensium, sine ullo respectu ad res interea indicatas, liceret Canonicis Lateranensibus, cum licentia dumtaxat suorum regularium Praelatorum ad parochias saeculares, aut canonicatus Cathedralium e religiosis claustris demigrare, vitamque presbyteri saecularis agere. Sed re integra Benedictus XIV. eam sibi avocavit, auditisque votis concordibus theologorum, et canonistarum in consilium suum adscitis, motu proprio declaravit *eosdem Canonicos Regulares absque indulto apostolico cuiuscumque* beneficii ecclesiastici saecularis, *sive cum adnexo* animarum curae, aut residentiae *onere*, *sive etiam* beneficii simplicis, *et sine cura*, *ac personalem residentiam non requirentis*, *et cuiuscumque* pensionis ecclesiasticae *vere incapaces esse*, *et censeri debere*, *eisdemque nec Ius commune*, *nec Tridentinae Synodi decreta*, *neque professionem ab ipsis emitti solitam*, *aut eorum peculiare institutum: neque demum ullam* consuetudinem, *usum*, *possessionem*, *seu quasi*, *aliumque omnino titulum pro huiusmodi praetensa capacitate ullatenus suffragari*. Eis propterea prohibet egressum e claustris absque indulto apostolico, solo accedente consensu Abbatis generalis: etiamsi beneficia simplicia, vel pensiones ab Apostolica Sede impetraverint, sub poenis contra apostatas latis. Permittit autem patronis quum laicis, tum ecclesiasticis eos praesentare ad Ecclesias parochiales, aut canonicatus de iure patronatus sub conditione obtinendi, et beneplacitum Superioris generalis eorum Ordinis, et indultum Sedis Apostolicae. Hoc autem arbitrio Pontificis reservatur, inspecturi antea testimoniales litteras tam Superioris generalis, quam Episcopi dioecesani quoad mores, et doctrinam. Idipsum observari mandat, quoties dioecesani locorum ordinarii eis voluerint beneficium residentiale collationis liberae sine concursu conferre. Prohibet insuper, ne iidem Canonici regulares admittantur sine pontificio indulto, et licentia Superioris generalis ad concursum in Ecclesiis curatis, vel praebendis canonici theologi, aut poenitentiarii ad liberam Dioecesani collationem pertinentibus, vel patronatui ecclesiastico subiectis (3).

XXXIV. Curata pariter, ac residentialia conferri nequeunt Presbyteris, aut clericis Congregationis Missionis, collationesque factas, vel faciendas ipso iure irritas declaravit idemmet Benedictus XIV. (4). Etsi enim

(1) De commendis sermo redibit plenior infra *cap.* 11.

(2) S. Congr. Conc. an. 1581, probante Gregorio XIII. S. Cong. Episc., et Regul. an. 1671. sub Clemente X., iterumque Congr. Concilii an. 1693. sub Innoc. XII.

(3) Bened. XIV. in *const. quod inscrutabili* 135. edita 7. Idus Iunii 1741., *to.* 1. Bullarii.

(4) Idem in *Const quo magis* 69, die 18. Decemb. 1742. eodem *to.* 1. Bull., ubi nullum fit verbum de beneficiis simplicibus, quae non prohibentur Missionarii ob inope cum licentia sui Superioris generalis.

vota simplicia castitatis, paupertatis, obedientiae, ac stabilitatis in ea ipsa Congregatione emittant post biennalem probationem Presbyteri, et clerici eiusdem, dum se toto vitae tempore mancipant procurandae saluti pauperum rusticanorum: ea tamen posse dissolvere solum Pontificem Romanum, et Superiorem ipsius Congregationis generalem in actu dimissionis, praeterea neminem, statuit Alexander VII., dum eiusdem Congregationis institutum ad preces S. Vincentii de Paulo fundatoris adprobavit. Mox inter constitutiones eiusdem a Clemente IX. confirmatas cautum: ut *dignitates ecclesiasticas absque consensu Conventus generalis acceptare non possint, nisi Summus Pontifex id in virtute sanctae obedientiae praecipiat.* Prioresque regulae ipsius, ne votum paupertatis violaretur appetitu inordinato bonorum temporalium, vetant Missionariis *ad ullum beneficium, aut dignitatem ecclesiasticam sub quocumque praetextu* adspirare (1).

XXXV. Qualitatem civis originarii, vel dioecesani iura communia non exigunt. Nam Innocentius III. Cardinali Sedis Apostolicae legato rescribens, Patriarcham Constantinopolitanum, qui aliarum Nationum clericos spernens, Venetos tantum in Constantinop. Ecclesiis instituebat, commonuit, *ut viros litteratos, et alios idoneos, undecumque originem duxerint, in praedictis Ecclesiis, et maxime in maiori* institueret (2). Multis autem in locis statuta, legesque peculiares alienigenas, et exteros a beneficiis adipiscendis arcere consueverunt. Ut sileam cetera: dum Barcinonae regnaret Carolus VI. alienigenas a beneficiis. et pensionibus huius Regni Neapolitani omnino exclusit, et sequestrari mandavit fructus beneficiorum exteris interea collatorum (3). Quod iterum firmavit die 6. Augusti 1713. post imperialem Coronam acceptam. In Concordatis an. 1741. cautum est, ut omnia huius Regni beneficia tam simplicia, et sine cura, quam residentialia, et curata, sive maiora, sive inferiora, nec non pensiones ecclesiasticae regnicolis tantum conferantur: exceptis dumtaxat viginti millibus ducatis monetae Regni, quos imponere super Ecclesiis Cathedralibus, et Abbatialibus ad regiam nominationem non pertinentibus in favorem subditorum Status ecclesiastici: praeter alios totidem ducatos 20. m. pensionum super iisdem Ecclesiis non regiis reservandos pro regnicolis, quos Rex nominaverit (4). Siculis praeterea indulsit Carolus, ut nonnisi cives originarii ad Cathedrales illius Regni Ecclesias nominarentur, excepta solum Panormitana, quam arbitrio Regis patroni consueverunt exteri obtinere (5) (*).

(1) Ex traditis ab eodem Benedicto XIV. *ibidem.*

(2) Innoc. III. in *cap. ad decorem* 5. *de instit.*

(3) Ex *to.* 2. *privilegiorum* Caroli VI. *pag.* 227. *et seq.*

(4) Concordata an. 1741. *cap.* 8. *art.* 1., *et* 2.

(5) Rigant. *to.* 1. *pag.* 209. *Reg.* 2. *Canc.* § 1. *num.* 19.

(*) Conventione novissima an. 1818. art. VIII. cautum beneficiorum provisionem in favorem subditorum Utriusque Siciliae Regni faciendam esse. Quamobrem art. XIX. Cod. LL. Civ. expresse sancitum ab adipiscendis huiusce Regni beneficiis exteros omnino excludi.

Praeterea art. XVII. eiusdem Conventionis decretum, quod pensionum reservatio, abrogata penitus Tertii Pensionabilis lege iuxta Canonum sanctiones in posterum locum habeat. Clerici vero a Rege Nostro ad praedictas pensiones nominati Bullas ab Apostolica Sede obtineant, ut dum vitam agant, illas percipere possint: Pensio-

XXXVI. Capuanis, postulante Rege Carolo, Benedictus XIV. speciatim indulsit, ut omnes, et singulae dignitates, etiam post pontificalem maiores in Cathedralibus, et principales in Collegiatis, necnon canonicatus praebendae, et mansionariae, ceteraque beneficia in Cathedrali, Collegiatis, et Receptitiis Ecclesiis in dicta civitate, ac dioecesi consistentibus fundata, quae Chori servitium adnexum habeant, et personalem residentiam requirant: necnon parochiales Ecclesiae quomodolibet affectae, ac reservatae, et quibusvis mensibus etiam apud Sanctam Sedem simul pensiones super iisdem beneficiis residentialibus imponendae, *nonnisi clericis, seu Presbyteris in eadem civitate, vel dioecesi Capuana natis, vel oriundis conferantur.* Verum excipiuntur quaecumque beneficia regularia, ac monasteria, Abbatiae, et Prioratus in commendam concedi solita, ceteraque beneficia saecularia quomodolibet nuncupata, quae nec servitium Chori, nec residentiam requirunt.

CAP. X.

De collatione (*)

I. Concessionem, seu donationem beneficii liberam heic sonat collatio, et quandoque institutionem coactam beneficiis de iurepatronatus.

II. Ea ius in re tribuit perpetuum, et irrevocabile: ius ad rem electio, et praesentatio.

III. Motu proprio collatores ordinarii, ad preces petentium Apostolica Sedes collationes beneficiorum largiuntur.

IV. Forma collationis ordinariae quinque articulis constat.

V. Pontificiae collationis litteras bullatas praeit supplex libellus petentis in Signatura gratiae.

VI. Gratia Signaturae, quamvis irrevocabilis executioni mandari non potest sine litteris Datariae.

VII. Nullo temporis spatio, dum collator Pontifex vivit, arctantur provisi ad expediendas bullas: eo defuncto novae provisionis litteras debent intra sex menses a successore Pontifice accipere.

VIII. Exigua vix beneficia per simplicem Signaturam conferuntur.

nariis tamen vita functis, Episcopatus, vel quodvis beneficium ab onere pensionis omnino liberum fore.

Postremo art. XVIII. statutum, quod Summus Pontifex in perpetuum sibi reservaret super aliquas Mensas episcopales, et abatias Regni designandas annuas pensiones in summam ducatorum duodecim millium, quas ille pro tempore suis subditis Status ecclesiastici pro lubitu conferet.

(*) Ad *tit.* VIII. *lib.* 3. Decretal. *de concess. praebendae.*

IX. Litteras in forma gratiosa *accipiunt, qui sua ostenderint Datario merita.*

X. Aliis ignotis conditionales litterae dantur in forma dignum.

XI. Ex novae provisionis litteris convalescunt gratiae, collationes invalidae.

XII. Dummodo nullitates, defectusque praecedentis apostolicae gratiae speciatim exponantur.

XIII. Ad firmandam Ordinarii collationem sufficit eam generatim dicere defectivam.

XIV. Ius aliis quaesitum non tollit nova eiusmodi provisio.

XV. Gratias a defuncto Pontifice signatas novus Pontifex ratas habet litteris in forma rationi congruit.

XVI. Litteras autem vitiosas firmat novis litteris perinde valere.

XVII. Gratiae subrogationum si neutri: *vel* si nulli *usuveniunt pro beneficiis litigiosis.*

XVIII. Coadiutores cum futura successione creare usi sunt Pontifices.

XIX. *Parochiales Ecclesiae, et animarum curae, nonnisi per concursum conferri possunt ex lege Tridentina, exceptis laicorum patronatibus.*

XX. Quam explicuit, ampliavitque S. Pius V.

XXI. Formam concursus, praelectionem dignioris, et appellationis modum tradidit explicatius S. Congr. Conc. iussu Clementis XI.

XXII. Tum Benedicti XVI. constitutio.

XXIII. Concursum dioecesanus Episcopus indicit semper, ac peragit in reservatis etiam collationibus Datariae, sine actis nunciaturus magis dignum in vacatione mensis apostolici, sed acta ad eam in aliis reservationibus transmissurus.

XXIV. Patroni etiam ecclesiastici debent dignioribus inter concurrentes adprobatum eligere, ac praesentare.

XXV. Ob nimiam, et redditumm, et concurrentium inopiam, et rixarum pericula Tridentinum indulget parochialem Ecclesiam sine concursu conferri.

XXVI. Resignatas, permutatas, devolutas animarum curas consuevit Sedes Apostolica sine concursu conferre, in hoc Regno nunc secus.

XXVII. Regias parochiales uni ex tribus per Capellanum Maiorem propositis, praevio saepe concursu, Rex confert.

XXVIII. Theologi, et Poenitentiarii praebendas canonicas per concursum conferri dignioribus etiam oportet.

XXIX. Appellantes in collationibus per concursum dumtaxat audiuntur, in aliis liberis neqnaqnam.

XXX. Impetratio praepropera beneficii non vacantis irrita penitus est.

XXXI. Pensiones perpetuas reservare Ordinarii collatores nequeunt, sed solum temporaneas pro bono pacis.

XXXII. Extra dioecesim quoque possunt Episcopi collationes beneficiorum liberas dare.

XXXIII. Optionem canonicam alicubi antiquioribus gradatim indulget fundatio, privilegium, vel consuetudo intra dies XX. explendam.

XXXIV. Collegium S. R. E. Cardinalium, et Ordo equitum Hierosolymitanorum, Capitulum Salernitanum hoc in Regno, et Messanense inter alia fruuntur optione.

XXXV. Praebendae quomodolibet reservatae Sedi Apostolicae nullum dant locum optioni.

XXXVI. Nec resignatio in favorem, nec permutatio, nec concursus, nec iuspatronatus.

XXXVII. Cum pensione praebendam adeptus optare pinguiorem non prohibetur.

XXXVIII. Coadiutor cum futura successione numquam, coadiutus quandoque optat.

XXXIX. Optantes collatione non egent.

XL. Sat est, quod suam explicent, vel denuncient intentionem Collegio per se, vel per alium intra constitutos dies.

XLI. Optionum aliae titulum mutant, aliae non illae pensionem, reservationem, cetera onera in successorem transferunt, hae secus.

XLII. Optio retinendi alterutrum incompatibile beneficium novis constitutionibus adepta hoc etiam in Regno exolevit.

I. Varias collationis notiones inquirant philologi (1). In sacris autem canonibus *collatio* idem plerumque sonat, quod ecclesiastici beneficii con-

(1) *Conferre* quum apud latinos in communionem aliquid redigere potissimum significet, *collationem* hinc iureconsulti contributionem bonorum inter fratres, ac sorores factam communis successionis caussa appellant: ad quam spectat rubrica Digestorum, et Codicis *de collatione bonorum*. Presbyteros post peracta divina mysteria convenire ad necessariam *collationem*, ad commune scilicet prandium, dixit Synodus Nauncensis in *can. quando* 11. *dist.* 44. Et B. Hieronymus illud Proverbiorum *cap.* 2. (*vacantes potibus, et dantes symbola*) exponens ait: symbolum *graecum nomen est, et interpretatur* collatio: *quum unusquisque soleat pro sua parte cibos conferre ad vescendum*. Dum comparamus res inter se, conferre cum letis quoque dicimus, praesertim cum Paulo in *l. amissione* 5. §. 1. *D de cap. deminut.* Hoc sensu inscriptus libellus est *collatio legum Mosayc. et Roman.* apud Schultingium *de iurisprud. vet. anteiustin.* Saepe etiam *conferre* idem sonat, quod tribuere, largiri, concedere. Sic *beneficium in mulierem contulisse*, quispiam dicitur a Marcello in *l. proxime* 50. *D. de ritu nuptiarum*. Et Ulpianus docet

cessio (1). Hoc vero vocabulum aut late, aut strictim sumitur. Acceptum late comprehendit perinde liberam, ac non liberam, seu coactam concessionem, quae scilicet ex Iuris necessitate fit ad favorem electi, aut praesentati ab aliis ius eligendi, aut praesentandi habentibus, quam doctores *institutionem* speciali nomine appellant (2). Nam beneficium ecclesiasticum non posse licite *sine canonica institutione* obtineri, quum dixerit Bonifacius VIII. (3): videtur ipse promiscuo sensu vocem institutionis pro collatione usurpasse. Et Coelestinus III. collationem nominat, quam paullo ante praesentationem dixerat (4). Stricta vero, et propria notione collatio, nonnisi concessionem liberam significat beneficiorum, nulla iurispatronatus, vel electionis servitute affectorum: quae scilicet Ordinarii locorum, vel Summus Pontifex dant personis suo ipsorum arbitrio delectis, nullo iure coacti ad hunc, vel illum praeeligendum, neque ad expectandam cuiuspiam electionem, vel praesentationem. Istoque sensu nuncupatur saepe *donatio* (5); propterea quod collator gratis, et omnino libere alicui ex idoneis, ac dignis clericis beneficium concedit.

II. Per collationem sic stricte acceptam provisus adquirit ius *in re*, seu titulum beneficii, statim ac suum collationi praestiterit consensum, etiam ante adeptam possessionem. *Si enim tibi absenti Episcopus contulerit beneficium, licet per collationem huiusmodi, donec eam ratam habueris*, ius in *ipso beneficio, ut tuum dici valeat, non adquiris: ipse tamen Episcopus illud, nisi consentire recuses, in personam alterius conferre nequibit*. Quod si terminum ad consentiendum tibi assignaverit: eo etiam lapso, dummodo res integra fuerit, antequam alteri facta sit collatio, tuum poteris praestare consensum, et sic impedire, quominus alteri fiat collatio, Bonifacius VIII. declaravit (6). Unde liquet post acceptatam collationem adquiri ius *in re*, ante acceptationem vero ius *ad rem* (7). Quod autem nobis quaesitum est sive in re, sive ad rem, sine facto nostro, nobisque invitis, ad alium transferri non potest (8). Quare differt collatio ab electione, et praesentatione, quae tribuunt solummodo ius ad rem, seu faculta-

consuevisse Praesides remittere, ac ordinem nominatum, *Caium, Seium, creent magistratum, vel alius, qui honor vel minus in eum* conferantur, *l. siquidem* §. 3. *D. quando appellandum sit*. Haec notio ad rem nostram propius accedit.

(1) Petr. Blessens. *ep.* 70, Carolus Du Fresne *in glossario* verb. *beneficiar*.

(2) DD. *ad tit.* 7. *lib.* 3. Decretal. *de institutionibus*, de quibus dixi iam satis in *Comm. de iurepatr. cap.* 9.

(3) Bonif. VIII. in *cap.* 1. *de Reg. Iur. in VI.*

(4) Coelestin. III. in *cap. ea noscitur* 6. *de his, quae fiunt a Praelat.* ibique Gonzalez.

(5) Innoc. III. in *cap. cum accessissent* 8. *de constit. primiceriatus in Tullensi Ecclesia*, inquit, *tanto tempore vacavit, quod ad nostras manus illius personatus esset* donatio *devoluta*. Eadem vox occurrit in *cap. eam* 7 *de rescript. cap. licet* 3. *de suppl. negl. Prael. cap. proposuit* 4, *cap. quia diversitatem* 5. *et cap. pen. de concess. praeb. cap. fin. de offic. Vicar. in VI.*

(6) Bonif. VIII. in *cap. si tibi* 17. *de praeb. in VI.*

(7) Ex regula Iuris, quum tradit M. Ant. Cucchus *lib.* 1. *Inst. maior. tit.* 6. *de privileg. num.* 118.

(8) Pompon. in *l. id quod nostrum* 11. *D. de Reg. Iur.* Et *factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, a quo non potuit inchoari*, ex Bonif. VIII. in *cap. factum* 73. *de Reg. Iur. in VI.*

tem compellendi ordinarium collatorem ad electum, et praesentatum acceptandum, et instituendum in beneficio, nisi obstet canonicum impedimentum, atque repellendi adversarium competitorem iura potiora non habentem (1).

III. Forma collationis dupliciter concipi solet, vel *motu proprio* collatoris, vel *ad petitionem* beneficiarii supplicantis (2). Ordinariorum collationes semper ex inveterata Ecclesiae disciplina motu proprio fieri videntur, quum nullam faciant mentionem de petitionibus praeviis, ad reprobandum ambitum sacris canonibus, et legibus odiosum (3). Etenim in proemio collatores fere exprimunt sese excitatos scientia, bonis moribus, aliisque meritis personae, cui providetur, ad conferendum beneficium, gratiamque liberalem erga eum exercendam.

IV. Rebuffus post relatam formulam collationis Ordinariorum docet eam quinque partibus constare. In quarum prima collator salutem dicit, cui beneficium conferre intendit, et collationis caussam impellentem exprimit, illius scilicet merita. Secunda praemittit vacationis modum, ac tempus, titulum beneficii, locum, ubi situm illud sit: deinde reipsa disponit collationem, et investituram in favorem illius certae personae proprio nomine, et cognomine iam initio designatae. In tertia delegat omnibus tabellionibus, aliisque personis subditis, ut provisum in collatae Ecclesiae possessionem immittant. In quarta collator dicit iussisse litteras desuper expediri, signari, et tradi. In quinta demum adponitur data expeditionis (4).

V. Ad petitionem beneficiarii vero solent per Summum Pontificem beneficia conferri. Bullas enim apostolicas praecedit semper supplex petentis libellus, et *signatura gratiae*, videlicet scriptura in papyro petentis supplicationem in primis, dein pontificium in medio rescriptum manu vel Papae ipsius, vel delegati eius Datarii tribus verbis conceptum, ad extremum clausulas praecipuas ad rem facientes, sine sigillo breviter continens (5). Quandoquidem in ea exponitur primo certum id beneficium eo certo modo vacare, quod ille supplicat per Sedem Apostolicam sibi conferri. Tum in medio papyri albo Papa rescribit vel manu sua: *fiat, ut petitur:* vel manu delegati sui: *concessum, ut petitur in praesentia D.N. Papae.* Primo rescripto vis maior, quam secundo est. Nam signatura per *fiat* praefertur alteri per *concessum* (6), si eadem die concurrant. Subinde succedunt clausulae necessariae, praesertim absolutio a censuris, derogationes, ceterae summatim, quas rei adiuncta varia postulant, in bulla extendendae fusius (7).

VI. Firmam, et irrevocabilem collationis gratiam sola signatura quidem efficit. Nam et verbo solum, et scripto sub quacumque forma, vel expressione, vel conceptione verborum potest gratia Pontificis consistere,

(1) Clementina *constitutionem* 4. *de elect.*
(2) Bonif. VIII. in *cap. si motu proprio* 23. *de praeb. in VI.*
(3) Cl. Fleury *Inst. Iur. canon. par.* 2. *cap.* 21.
(4) Ex Rebuffo in *prax. benef. par* 1. tit. *requisita in litteris collationum.*
(5) Ex definitione Rebuff. *loc. cit.* tit. *de signatura gratiae.*
(6) Ex Cancellariae Regula XXXIV. *de Signatura per fiat.*
(7) Formam Signaturae simplicis provisionis cum consuetis clausulis videsis apud Rebuff. *loc. cit.*

nisi iusta ex caussa irritetur (1). At vero ex Cancellariae Regula XXVII: *cum ante confectionem litterarum gratia sit* informis... *iudices vel in Romana Curia, vel extra eam existentes, et quicumque alii non iuxta supplicationum* signaturam *super quibusvis impetrationibus, sed iuxta* litterarum *super iisdem impetrationibus, et concessionibus confectarum tenores, et formas iudicare debent* (2). Alia simul Regula XXXI. statuit: *quod omnes commissiones caussarum obtentu, vel occasione concessionum dumtaxat gratiarum apostolicarum de beneficiis ecclesiasticis, super quibus* litterae *Apostolicae confectae non fuerint, ac processus desuper habendi nullius sint roboris, vel momenti* (3). Additque Regula LII., quod gratia cuiuscumque dispensationis *nulli cuiquam in iudicio, vel extra suffragetur, antequam super ea litterae apostolicae sint confectae* (4). Hinc factum est, ut gratia pontificiae signaturae, tamquam *informis* executioni demandari nequeat, nulliusque momenti sit executio facta sine litteris pergamenis gothica manu conscriptis, et signo plumbeo communitis, vel sine authentico earum transumpto. Quandoque aliae dantur litterae *in forma brevis* ad capiendam Ecclesiae, vel beneficii possessionem nomine Camerae Apostolicae cum decreto expediendi bullas sub plumbo infra sex menses a data supplicationis (5). Eamque ob rem ipso iure vacabit beneficium, cuius possessio sit absque litteris eiusmodi pontificiis apprehensa (6). Quo vero ad Cathedrales, et abbatiales irrita erit possessio, et quaevis administratio novi Praelati, quam sine litteris pontificiis occupaverit, ac gesserit (7).

VII. Certum temporis spatium nullo iure limitatum est ad expediendas gratiarum litteras, quoad Pontifex, qui eas concessit per signaturam, vivat (8). Sed eo defuncto successor Pontifex consuevit per Cancellariae Regulam X. indulgere *sex menses* dumtaxat a die coronationis suae incipiendos, ut expediantur litterae in forma *rationi congruit* ad perficiendas gratias a praedecessore concessas (9). Tum ne fraudibus ansa detur ad eludendas legitimas impetrationes, stylus inolevit multis gratiis de beneficiorum *resignatione*, ac *cessione*, tum *novae provisionis perinde valere, subrogationis, si neutri*, ceteris, ut aiunt, sanatoriis hanc adiicere clausulam: *quod infra* tres *menses proximos litterae apostolicae desuper expediri debeant* (10). Verum edicto speciali Datariorum nunc iam coguntur omnes, qui beneficia quum simplicia, tum residentialia per obitum vacantia, vel

(1) Clementina *dudum* 2. §. *nos etenim. de sepultur.* Nam *decet concessum semel a Principe beneficium esse mansurum*, ex *cap. decet* 16. *de Reg. Iur. in VI.*

(2) Reg. XXVII. *de non iudicando iuxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.*

(3) Reg. XXXI. *non valeat commissiones caussarum, nisi litteris expeditis.*

(4) Reg. LII. *ut nulli suffragetur dispensatio, nisi litteris confectis.*

(5) Card. de Luca *de benefic. disc.* 17. *num.* 18.

(6) Ex *const.* 33. Iulii III., quam laudat Mandos. *ad cit. Canc. Reg.* 26. *qu.* 3.

(7) Ex const. Bonifacii VIII. in extravag. *iniunctae* 1 *de electione* Praeterea constitutiones Alexandri V. Iulii II., et Pauli IV. promotos ad Cathedrales Ecclesias, et Abbatias, qui per annum expeditionem litterarum apostolicarum neglexerint, ipso iure privatos eisdem sanxerunt.

(8) Tradit Rigant. *in Reg. X. Canc. num* 91., *et seq.*

(9) Reg. V. *de litteris in forma* rationi congruit *expediendis.*

(10) Rigant. in *cit. Reg. X. num.* 65.

citra, vel ultra montes obtinuerint per signaturam, accipere intra sex menses ab eo die numerandos, quo gratiae in albo ipsius Datariae promulgantur, litteras rite expeditas, aliter possint ea per alios impetrari (1).

VIII. Exigua vix beneficia ab onerosa bullarum expeditione excipiuntur, nimirum simplicia, quorum annui redditus duos cum dimidio, vel tres ducatos auri de Camera non excedunt, et curata, si fructus certi ducatos sex auri de Camera, comprehensis etiam oneribus, aut si fructus una cum incertis duodecim ducatos auri similiter non excedunt (2): in his enim Sedes Apostolica fere indulget possessionem dari sine plumbatis litteris ex decreto simplicis signaturae.

IX. Duplex forma ex inveterato Cancellariae, seu Datariae Apostolicae stylo usuvenit in pontificiis collationum litteris, bullatis nimirum membranis: *forma gratiosa*, vel *forma dignum*, ut aiunt, seu *mandati de providendo*. Prior gratiam collationis *puram* largitur, posterior *conditionalem*. Quoties impetrator beneficii cum attestationibus sui Ordinarii, vel examinatorum Urbis, vel aliis informationibus arbitrio Datarii ostendit se quod ad mores, ac doctrinam idoneum ad beneficia ecclesiastica obtinenda, consequitur collationem in *forma gratiosa*, quae gratiam omnino perfectam largitur, et ius plenum in beneficio tribuit eatenus, ut possessionem, vel cum adsistentia alicuius personae in dignitate ecclesiastica constitutae possit apprehendere.

X. Ubi autem praedicta deficiat probatio idonei petentis, expediuntur bullae in altera *forma conditionali*, quibus Ordinario loci, vel alicui executori apostolico committitur, ut si dignum, atque habilem repererit impetrantem, ei beneficium tunc auctoritate apostolica conferat, ipsumque in possessionem immittat, *Mandamus* (de stylo dicitur in bullis pontificiis) *quatenus si post diligentem examinationem dictum N. ad obtinendum beneficium idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, eidem dictum beneficium auctoritate apostolica conferas*. Putant alii huic alteri formae nomenclaturam fuisse impositam ab aliis bullae initialibus verbis: *dignum arbitramur, et congruum*. Isthaec collatio posterioris formae eatenus est conditionalis, ut post repertam personae capacitatem verificata conditione habeatur collatio ab initio valida, et perfecta; retrotrahitur enim ad tempus expeditionis, et licet impedita sit in executione, ea nihilominus tribuit proviso plenum ius ad titulum, non aliter, quam si collatio fuerit in *forma gratiosa*. Contra vero, si reperiatur indignus, et non idoneus, collatio evanescit, perinde ac facta non sit, seu potius vim habebit mandati de providendo sub certa conditione, quo impetrans agere dicitur de iure quaerendo, non autem quaesito ex recepta sententia Curiae Romanae (3): istoque casu collatio non promanat immediate a Pon-

(1) Idem *loc. cit. n.* 72. Anni spatium eis, qui ad Cathedrales, vel Abbatiales Ecclesias promoti essent, concessum pro expeditione litterarum ab Alexandro V. et Iulio II. *const.* 4. ferunt Fagnanus, et Thomassin. apud Rigant. *ibidem num.* 74. *et ult.*

(2) Rigant. *in nar.* 1. *Reg. IX. Canc.* §. 2. *num.* 101, monet expeditioni simplicis signaturae locum non esse, quoties agitur de impetrandis, vel resignandis beneficiis tenuibus, vel derogatione medietati iurispatronatus, vel subrogatione in iura defuncti

(3) Quam tradit Card. de Luca *de benefic. disc.* 71. *in fine*.

tifice, sed potius ab Ordinario executore apostolico, adeont antequam executionem sit adeptus, nullum titulum in beneficio habere impetrans ipse dicatur, illudque resignare interim non possit (1).

XI. Praetereaque *novae provisionis* bullas, ut aiunt, largiri solet Summus Pontifex uedum iis, qui obtinuerint a Cardinalibus vigore indulti beneficia iu mensibus apostolicis vacantia, vel aliunde reservata (2): sed etiam ad roborandam, firmandamque priorem collationem vel ab ipsomet formatam, vel ab Ordinario concessam, ut supplcantur defectus, ac sanentur nullitates, quae in anteriori provisione forsan inciderint.

XII. Quum de pontificiis bullis sanitati restituendis agatis, Pontifex defectus, subscriptiones, et nullitates nominatim per impetrantem exprimendas, tollit, ut convalescant priores apostolicae bullae. Ad id Regula XLII. Cancellariae *de supplendis defectibus* disponit, quod *si petatur suppleri in genere, nullatenus litterae desuper concedantur, nisi in petitione huiusmodi defectus exprimantur, vel per* fiat, ut petitur *supplicatio signata fuerit* (3).

XIII. At ubi vitiosa Ordinarii collatio sit confirmanda, defectus fere non exprimuutur in specie, sed generatim in pontificiis novae provisionis litteris per hanc generalem clausulam: *cum ex certis caussis de viribus primae provisionis Ordinarii haesitetur, defectus omnes suprema potestas pontificia supplet.*

XIV. Verum in utrisque conditionalis adiicitur: *dummodo tempore datae praesentium non sit in eodem beneficio alicui specialiter ius quaesitum.* Propterea haec nova provisio non retrotrahitur ad datam prioris. Et versa vice nullum eidem priori collationis ius detrahit inquiens: *eidem oratori sine praeiudicio iuris ad illud iam aliunde, ut praefertur, quaesiti, sed ius iuri addendo, et antiquum conservando, et de illo etiam providere volentes* (4). Huc pertinet Cancellariae Regula XVII. *de non tollendo ius alteri quaesitum.* Ceterum duae collationes unius, eiusdemque beneficii in favorem unius personae non debent ambae valere, quoties posterior non faciat mentionem de priori: sed impetrans commodo utriusque carebit, si utraque uti voluerit (5). Secus dicendum, si una tantummodo utatur (6).

XV. Inter species litterarum novae provisionis recensentur itidem apostolicae litterae, quas nuncupant in forma *rationi congruit.* Videlicet, ubi per solam supplicationem a Papa defuncto signatam provisiones vacantium beneficiorum factae sint, successor Pontifex sub die coronationis suae mandat suas expediri litteras pro antecedentis gratiae observantia, et executione, quae incipiunt recitatis iam verbis: *rationi congruit, et honestati*, ex Regula X. Cancellariae, quam paullo superius memoravimus (7).

(1) Paris. *de resignat. lib.* 3. *qu.* 1. *num.* 149.
(2) Ex supradictis *cap.* 6. *num.* 17.
(3) Huius rescripti praerogativa, et vis paulo superius exponitur hoc. cap. *num.* 5.
(4) Formam litterarum *novae provisionis* videsis apud Rebuffum *in prax. benef. par.* 1. tit. *forma, et declaratio novae provisionis.*
(5) Innoc. III. *in cap ex tenore* 19. *de rescriptis.*
(6) Idem in *cap. plerumque* 23. *eod. tit.*
(7) Reg. X. *de litteris in forma* rationi congruit *expediendis,* de qua dictum supra *num.* 7.

XVI. Consimiles quoque litterae, quas nuncupant *perinde valere*, faciunt, ut revalescant gratiae defuncti Pontificis infra annum concessae, ubi dubium sit easdem vitio nullitatis laborare ob subreptionem, aliumque defectum, sine tamen praeiudicio iuris cuivis alteri interea quaesiti. Nam Cancellariae Regula XII. *omnes, et singulas a Romano Pontifice praedecessore infra annum ante diem eius obitus concessas gratiae, vel iustitiae litteras temporibus debitis earum executoribus, seu iudicibus non praesentatas omnino revalidat, et in statum pristinum, in quo videlicet antea fuerant, vel pro quibus erant obtentae, quoad hoc plenarie restituit* (1). *Non praesentatas*, ait Regula, quae idcirco ad vitiosas, et invalidas praedecessoris litteras extendi non potest, nova speciatim confirmatione indigentes, neque ad acta quaelibet, Sede vacante gesta, quae sunt sub novo Pontifice repetenda ex integro (2).

XVII. Insuper ubi utriusque collitigantis titulis, et ius viribus careat, alteruter diligentius obtinere solet gratiam apostolicam vulgo nuncupatam *si neutri*, per quam collitigans ius adipiscitur, quod antea non habebat. Quod si ambo eam obtinuerint, prior in tempore, potior erit in iure, etiamsi anticipatio in momento consistat, propterea quod ex eodem fonte utraque promanet (3). Cuipiam vero extraneo litigiosum beneficium impetranti gratia *si nulli* conceditur. De his, aliisque id genus impetrationum, et subrogationum gratiis pontificiis plura iam superius dixi, admonens interea, quaenam ipsarum consueverit placitum regium sortiri (4).

XVIII. *Ut nemini in quibuscumque beneficiis ecclesiasticis permittantur* coadiutoriae cum futura successione, decrevit Synodus Tridentina (5). Sacris enim canonibus vetitum est beneficia, antequam vacent, conferri, vel promitti (6). Sed ipsa quum Synodus declaraverit in cunctis de reformatione decretis salvam esse auctoritatem Sedis Apostolicae (7), suo quidem iure usi Pontificis Romani multos creare coadiutores cum futura successione consentientibus plerumque Ordinariis locorum consueverunt.

XIX. Parochialium tamen Ecclesiarum, et beneficiorum cum animarum cura collationem debet omnino praecedere examen in concursu coram examinatoribus synodalibus. Enimvero statuit Tridentina Synodus, *quum parochialis Ecclesiae* vacatio...*quodammodo contigerit* (sive in Curia, sive extra illam), *etiamsi reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter*... Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiae (8), *per edi-*

(1) Reg. XII. *de revalidatione litterarum praedecessoris.*

(2) Rigant. in *cit. Reg. XII. num.* 33.

(3) Honor. III. in *cap. Capitulum S. Crucis* 30. *de rescriptis*, de quo superius dixi *cap.* 6. *num.* 5.

(4) Vide *cap.* 5. *de reservat. num.* 61, 62., *et* 63.

(5) Trid. in *cap. cum in beneficiis* 7. *sess.* 25. *de ref.* Temporaneos tantum coadiutores Parochis imperitis, vel defectivis dari permisit in *cap. quia illiterati* 6. *sess.* 25. *de ref.*

(6) Conc. Lat. III. sub Alex. III. in *cap. nulla* 1. *de concess. praeb.*

(7) Trid. in *cap. postremo* 21. *sess.* 25. *de ref.*

(8) Tridentina Synodus in *cap. expedit* 18. *sess.* 24. *de ref.* in primis decrevit, ut *Episcopus, et qui iuspatronatus habet infra* decem *dies, vel aliud tempus ab Episcopo praescribendum* idoneos *aliquos* clericos *ad regendam Ecclesiam coram deputatis examinatoribus* nominet. *Liberum sit tamen etiam* aliis, *qui aliquos*

ctum publicum vocabit ad concursum omnes, qui volent examinari: *transacto constituto tempore*, decem puta dierum, omnes, qui ad concursum descripti fuerint, examinabuntur ab Episcopo, vel eius Vicario generali, atque ab aliis *examinatoribus synodalibus non paucioribus, quam tribus.* Quorum *votis*, si pares, aut singulares fuerint, *accedere possit Episcopus*, vel Vicarius, quibus magis videbitur. Peracto deinde examine *renuncientur*, Synodus ait, *quotcumque ab his examinatoribus idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis: ex hisque Episcopus eum eligat, quem ceteris* magis idoneum *iudicaverit, atque illi, et non alteri collatio Ecclesiae ab eo fiat*, ad quem spectabit eum conferre. *Si vero* iuris patronatus ecclesiastici erit, ac *institutio ad Episcopum, et non ad alium pertineat, is, quem* patronus digniorem *inter probatos ab examinatoribus censuerit, Episcopo* praesentabit, *ut ab eo instituatur. Cum vero institutio ab alio, quam ab Episcopo erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet; ad quem institutio spectat. Quod si* iurispatronatus laicorum *fuerit, debeat qui a patrono praesentatus erit, ab iisdem deputatis, ut supra, examinari, et nonnisi idoneus repertus fuerit, admitti:* alias collatio, seu institutio tamquam subreptitia nullius momenti erit (1).

XX. Tum S. Pius V. Tridentinam legem hanc declarans, et amplians multa imperavit. 1: ut servetur Tridentina forma concursus. 2: Episcopus parochiam, quae in mense ordinario vacaverit, conferre infra sex menses debeat, alias devolvatur provisio ad Sedem Apostolicam. 3: ut vacante in mense apostolico Ecclesia, teneatur Ordinarius intra quatuor menses, praevio concursu significare Summo Pontifici, vel eius Datario magis idoneum ex concurrentibus: aliter collatio apostolica fiat sine concursu Ordinarii. 4: patroni intra legitimum tempus nimirum sex, vel quatuor mensium, praesentare unum, vel plures idoneos teneatur, et praesentatus intra duos inde menses institutionem petere, ac obtinere. 5: Ordinarius nequeat ultra decem alios dies prorogare terminum vel concurrentibus, vel patronis a Tridentino constitutum decem dierum ad nominandos idoneos clericos coram synodalibus examinatoribus. 6: parochiales omnino dignioribus conferantur, alias lecto minus digno, posthabitus dignior valeat ab irrationabili iudicio Episcopi, et examinatorum appellare ad Metropolitanum, et Sedem Apostolicam, vel si Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Episcopum, tamquam Sedis Apostolicae delegatum: non impedita interim executione praelectionis ab Ordinario

ad id aptos noverint, eorum nomina *deferre, ut possit postea de cuiuslibet aetate, moribus, et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo, aut Synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per* edictum etiam *publicum vocentur qui volent examinari.* Primus hic Tridentini decreti articulus exolevit, quum solum usu vigeat episcopale edictum convocans concurrentes ad examen cum termino dierum decem.

(1) Necessitas publica videtur legem hanc Tridentinam postulasse. Nam *non est hoc consulere populis. sed nocere, non praestare regimen. sed augere discrimen: integritas enim praesidentium salus est subditorum*, scripsit S. Leo M. *ep.* 1.. alias 87. ad Episcopos Africae. Ad rem hanc videsis *inst.* 12. Lambertini, alias Benedicti XIV. qui necessitatem istam eligendi parochos digniores comprobat exemplo architecti, cum Guilielmo Parisiensi.

factae, atque per novum examen, si constiterit de irrationabili iudicio, collatio revocetur. Quidquid aliter fuerit gestum, denique irritum declaratur, et inane (1).

XXI. Deinde litteris S. Congregationis Concilii die 10. Ianuarii 1721. de mandato Clementis XI, haec alia in conferendis per concursum parochialibus Ecclesis praescripta sunt. 1: ut assignentur eadem omnibus concurrentibus quaestiones, iidem casus, idemque textus Evangelii uno eodemque tempore, iisque certum, et congruum horarum spatium constituatur, intra quod casus resolvant, et quaestionibus respondeant latine, conciunculam vero componant materno, et vulgari sermone. 2: ut concurrentes omnes in uno conclavi claudantur, in quo data singulis scribendi commoditate, et responsa et sermonem singuli sua manu scribant, et subscribant, e quo egredi, nisi postquam scripta confecerint, ac tradiderint examinatoribus, liceat nemini. 3: scripta responsa, et conciunculas tam Episcopus, vel Vicarius generalis, quam examinatores, et Cancellarius concursus subscribant. 4: collata inde per eiusmodi concursum ei Ecclesia parochiali, qui fuerit magis idoneus, ac dignior iudicatus, nisi intra decem dies a die collationis interponatur appellatio, non admittatur haec amplius tam a mala relatione examinatorum, quam ab irrationabili iudicio Episcopi. 5: si quis tamen intra decendium appellaverit, acta concursus, vel originalia, vel eorum copia rite collata coram Vicario generali, vel alio per Ordinarium deputato, et subscripta per cancellarium, et examinatores synodales, qui concursui interfuerint, clausa et obsignata, ad iudicem appellationis trasmittantur: ex quibus, nisi gravamen quo ad doctrinam liqueat, ad novum examen provocandi facultas frustra postulabitur. Quod vero ad mores, et reliqua, nisi probaverit appellans vel ex iisdem actis, vel aliis documentis non levibus illatum gravamen frustra persoquetur appellationem.

XXII. Denique nuperis Benedicti XIV. litteris encyclicis, datis die 14. Decembris 1742. (2) clarior methodus conficiendi concursum constituta est sequentibus septem articulis. In primis, statim habita notitia vacationis Ecclesiae ad praescriptum Tridentini idoneus in ea per Episcopum deputetur Vicarius curatus cum congrua fructuum portionis assignatione, onera ipsius Ecclesiae sustenturus, donec ei de rectore provideatur. 2: publico evulgetur edicto notitia concursus cito post decem dies celebrandi, eodemque edicto clare admoneantur concurentes, ut interim in Curia Episcopali suarum qualitatum, meritorum, et munerum probationes, attestationes tam iudiciales, quam extraiudiciales, aliaque id genus documenta, quae fraude vacent: ac veritate nitantur, exhibeant: alioquin decem lapsis diebus documenta eiusmodi, qualiacumque ea sint, nullatenus recipiantur. 3: eveniente die concursus, a Cancellario episcopali singulorum merita, qualitates, et requisita fideliter deprompta ex documentis tempore habili exhibitis, in scriptis summatim redigantur, et copia istiusmodi summarii tradatur non solum Episcopo, vel eius Vicario generali, sed omnibus sigillatim examinatoribus ad concursum adscitis, ut ferant

(1) S. Pius V. in *const. in conferendis* 33. data 15. Kal. April. 1567., quam exscribit St. Quaranta *in sum. bullar.* tit. *beneficiorum parochialium collatio.*
(2) Benedict. XIV. in *const. cum illud* 63. *to.* 1. Bullarii.

quum de scientia, tum de vita, moribus, aliisque dotibus regendae Ecclesiae necessariis iudicium. 4: die praestituta habeatur coram Episcopo, vel Vicario generali, et tribus saltem examinatoribus synodalibus concursus, servata tradita forma, totaque rerum in ea gestarum series scriptis diligenter enucleetur. Examinatores ad assequendam certam, et indubiam coniecturam scientiae, postquam diligenter expenderint singulorum peritiam in expiscando oretenus aliquo ecclesiasticae doctrinae capite, vel a sanctis Patribus, vel a sacro Concilio Tridentino, vel a Catechismo Romano excerpto, ac pari diligentia libraverint a quolibet scripto datas quaestionibus propositis responsiones, et postquam denique deprehenderint, qua quisque polleat gravitate sententiarum, et elegantia sermonis in concinnucula scripto pariter exarata, et textui Evangelico, vel alteri dato themati accomodata, parem, ni forte maiorem solertiam examinatores adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus regimini animarum consentaneis, morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestita Ecclesiae obsequia, adquisitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda: hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant, et idoneos Episcopo renuncient. 5: absoluto concursu, notulae requisitorum compendiariae comburantur, vel penes acta secreto custodiantur, et nemini ostendantur sine mandato Episcopi. Tum ab ipso Episcopo, cum primum libuerit, eligatur ex adprobatis dignior, nec illi possessio aliquo appellationis, vel inhibitionis obtentu retardetur. 6: si quem clericorum autem appellare contigerit a mala relatione examinatorum, vel ab irrationabili iudicio Episcopi, coram iudice appellationis acta concursus integra omnino producantur per appellantem, et nisi illis visis, et gravamine comperto sententiam pronuntiandam fore sciat ex probationibus solum ab actis concursus elicitis, tam respectu doctrinae, quam aliorum meritorum, nulloque modo recipiantur quaecumque documenta a concurrentibus exhibita, vel expiscata post diem habiti concursus: hac enim in parte dumtaxat derogatum est memoratis litteris S. Congregationis anni 1721. 7: et ubi parochialis Ecclesia conferatur uni ex adprobatis, quem Episcopus magis idoneum ob aliquam sibimetipsi tantummodo notam caussam iudicaverit, conquerentibus aliis inter adprobatos posthabitis, caussam eamdem iudici appellationis litteris familiaribus significabit inviolabili secreto custodiendam, ad detergendam iniustae praeelectionis notam, quemadmodum Patres Tridentini provide caverunt (1), et protestabitur coram Deo se minime dicturum malum bonum, et bonum malum, nec positurum tenebras lucem, et lucem tenebras. Quin si umquam suspecta videbitur fides iudicis appellationis de occulta eiusmodi caussa praeelectionis secreto servanda, certiorem faciat Episcopus sacram Congregationem Concilii, ipsumque Summum Pontificem. Et ubi sententiam iudicio Episcopi conformem iudex appellationis pronunciaverit: secundae appellationi locus non erit. Sin vero difformem, praeelectus ab Episcopo, qui caussa cecidit ad alium iudicem appellabit, retenta interim parochialis Ecclesiae possessione.

XXIII. Quoties autem collatio parochiarum, aliorumque beneficiorum

(1) Trid. *sess.* 24. *causae omnes* 20. *de ref* §. *praeterea*.

cum animarum cura ad Sedem Apostolicam pertineat, iisdem pontificiis litteris Benedicti XIV. constitutum est, ut concursus ab Episcopo sine ullo discrimine reservationum apostolicarum indicatur, nulla ad hunc actum petita venia, vel licentia. Absoluto concursu, si curatum beneficium ratione mensium dumtaxat sit reservatum: Episcopus inter adprobatos eliget magis idoneum, et Datariae significet, nec acta concursus transmittat, nisi a Dataria requirantur. Sin vero beneficia eiusmodi curata ex alio quovis capite, quam mensium apostolicorum, S. Sedi reservata sint: eo casu acta concursus ultro transmittat ad Datariam Episcopus, intereaque abstineat a referendo dignioris iudicio iuxta vetustum morem, tametsi familiaribus litteris denunciare Datario potest personam magis idoneam, et occulta forsan impedimenta concurrentium (1).

XXIV. Quod patroni ecclesiastici digniorem inter concurrentes ab examinatoribus probatos eligere, eumque praesentare Episcopo, si ad eum pertineat institutio, et ubi alius ab Episcopo ius habeat instituendi, non alium, nisi electum ab ipso Episcopo digniorem praesentare, a Patribus Tridentinis decretum iam videmus. Qua in re dubitanti Archiepiscopo Florentino rescripsit Benedictus XIV. in primis, quod patronus ecclesiasticus omnino teneatur in foro externo eum praesentare ad beneficium curatum, qui inter concurrentes ab examinatoribus coram Episcopo magis idoneus, magisque dignus renunciatus erit. 2: quod Episcopus, ad quem institutio pertineat, patroni praesentantis iudicium de magis idoneo, et digniori sequi tunc debeat, ubi ceteri concurrentium adquieverint, eorumque nemo reclamaverit: at aliquo ipsorum reclamante, Episcopus partes iudicis tunc sumpturus inquirat, rectum ne sit patroni iudicium. 3: quod appellatio posthabiti concurrentis non suspendat institutionem eius, quem patronus simul, et Episcopus digniorem iudicaverint: eam vero suspendat, si Episcopi sententia ab ea patroni discordet, usque ad exitum iudicii adpellationis (2).

XXV. *Si adeo exigui redditus*, ait Tridentinum, *dictae parochiali fuerint, ut totius huius examinationis operam non ferant, aut nemo sit, qui se examini quaerat subiicere, aut ob apertas factiones, seu subsidia, quae in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixae, ac tumultus possint excitari: poterit Ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa, privatum aliud examen, ceteris tamen, ut supra servatis adhibere.* Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis *circa examinationis formam addenda, remittendaque esse censuerit, providere* (3).

XXVI. In multis casibus parochiales Ecclesiae conferri sine concursu, et omissa examinis forma solemniori, scilicet in resignationibus ad favorem, et permutationibus, et devolutionibus, tradit Fagnanus (4). Quandoquidem quoties Ecclesia parochialis ad favorem certae personae in ma-

(1) Hactenus ex *cit. const.* Benedicti XIV.

(2) Bened. XIV. in *const. redditae nobis* 4. die 9. Aug. 1746. *to.* 2. Bullarii.

(3) Trid. in fine *cit. cap.* 18. *sess.* 23. *de ref.* Hoc episcopale arbitrium remittendi concursus in parochiis tenuissimis agnovit Rota penes Piton. *de contr. patr. post. alleg.* 5. *num.* 32.

(4) Faguan in *cap. manduto de simonia num.* 51. *to.* 5.

nibus summi Pontificis resignaretur, consuevit Apostolica Sedes eam resignatario conferre in forma *dignum* sub conditione, si idoneus ab Episcopo reperiatur in examine coram synodalibus examinatoribus habendo: quum in resignationibus eiusmodi conditionalibus, quae vacationem Ecclesiae interea non inducunt, nequeat Episcopus concursum indicere.

XXVII. Ad regiam vero collationem pertinentia beneficia, quibus adnexa cura animarum est, iamdiu consuevit Rex donare, seu conferre uni ex tribus regulariter per Capellanum Maiorem praevio saepe concursu adprobatis, et propositis. Ei collationis gratia regio primum rescripto conceditur, dein diploma rite expeditur obsignatum sigillo regio in cera rubra impresso, eoque in theca cypria, quae funiculo colligata pendet, incluso.

XXVIII. Canonici Theologi, et Poenitentiari praebendae, ut dignissimis omnium conferantur praevio concursu, et examine instar parochialium Ecclesiarum, decrevit Concilium IV. Mediolanensi (1). Synodus enim Tridentina decrevit neminem ad Canonici Theologi officium, et Sacrae Scripturae lectionem tam publice, quam privatim esse admittendum, nisi ab Episcopo loci antea examinatum, et adprobatum (2). Simul et Poenitentiarii officium, et praebendam ei dumtaxat conferendam, idque in superiori capite iam praemonui, qui *magister sit*, *vel doctor*, *vel licentiatus in theologia*, *vel iure canonico*, *et aetatem habeat annorum quadraginta*, *vel alias qui aptior pro loci qualitate reperiatur episcopali iudicio* (3). Cuiusmodi constitutionibus ne fraus fieret, Benedictus XIII. iure merito sanxit, ambo praebendas, et officia Canonicorum theologi, ac poenitentiarii, nonnisi praevio concursu conferenda dignioribus, et examen concurrentium fieri coram Episcopo, et *quatuor* saltem *examinatoribus*, etiamsi synodales non sint, ab eodem Episcopo actu deputandis, sive *saecularibus*, *sive regularibus*, *in theologica facultate licentiatis*, *et valde peritis*: ut collatio inde fiat magis idoneo, quem examinatores iidem probaverint, in mensibus ordinariis ab ipso Episcopo dioecesano, in mensibus autem reservatis ab Apostolica Sede, ad quam omnia concursus acta transmitti tunc oportet (4).

XXIX. Appellandi, et reclamandi facultatem concurrentibus ad curata beneficia, et praebendas theologi, et poenitentiarii, quae per concursum conferri dignioribus oportet, utique dant iura hactenus exposita: nullam vero expetentibus beneficia simplicia liberae collationis. Querelae in dies multae quidem obstrepunt eorum, qui ecclesiastica beneficia liberae collationis ambiunt, et frustra a collatoribus Episcopis, vel ab Apostolica Sede postulant, easque non raro ad Regem recurrentes deferunt, qui sese per iniuriam aliis ea impetrantibus posthabitos lamentantur. Sed liberum hactenus arbitrium ea in re Episcopis esse non deminuendum, nullaque vi cogendum, censuerunt pro Rege Nostro pupillo Ferdinando IV. Domini Regentes, ad regium Brundusii Gubernatorem rescribentes per Secretariam rerum ecclasiasticarum die 23. Ianuarii 1762.

(1) Conc. IV. Mediol. an. 1579. *cap.* 5. apud Thomassin. *par.* 2. *lib.* 1. *cap.* 32. *num.* 11.

(2) Trid. in *cap. eodem* 1. *sess.* 5. *de ref.*

(3) Trid. in *cap. Apostolus* 8. *sess.* 24. *de ref.*

(4) Bened. XIII. in *const. pastoralis*, quam habet Romanum eiusdem Pontificis Concilium in *append. num.* 2.

XXX. Quum nequeant beneficia antequam vacent, cuivis conferri, aut promitti (1): irrita collatio erit, quam Ordinarius, vel Papa fecerit cuiuslibet beneficii non vacantis, etiamsi post eam vacatio statim subsequatur. Ad vitandas hac in re fraudes, Cancellariae Regula XLVII. plane iubet: *quod si petatur aliquod beneficium vacans per modum in Cancellaria Apostolica exprimendum, talis impetratio non valeat, nec litterae desuper expediantur.* Et Bonifacius VIII. declaravit litteras apostolicas cum mandato de providendo ei, qui narraret beneficium ex resignatione vacare; non suffragaturas, si possessor antequam resignet mortem obiverit (2): quum expressum unus vacationis modus alium non complectatur. Ut valeat igitur impetratio, et collatio, exprimendus est certus vacationis modus, puta per obitum, vel resignationem, vel privationem, vel professionem regularem, vel matrimonium ultimi possessoris proprio etiam nomine, et cognomine designandi (3). Addit Regula XLVI. quod *non dentur litterae super beneficiis vacaturis per ingressum Religionis, nisi professio praecesserit datam desuper petitionis.* Quoties autem secuta vacatio revera sit ante impetrationem, ne gratia Pontificis corruat ex certo vacationis modo per errorem fortasse narrato, adiici Apostolicis litteris clausulae solent: *sive praemisso, sive alio quovis modo: vel alterius cuiuscumque personae* obitum, resignationem etc., *etiamsi devolutum existat* (4).

XXXI. *Ut ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur*, regula iuris est (5). Prohibuit sane Concilium Lateranense III. Abbatibus, Episcopis, aliisque Praelatis, *ne partem redditmum Ecclesiarum suis usibus appropriare praesumant: sed libertatem, quam sibi maiores conservare desiderant, minoribus suis bona voluntate conservent* (6). Consuetum solummodo ius cathedraticum possunt sibi Episcopi collatores reservare (7): quod duos solidos, duos videlicet ducatos Regni nequit excedere (8). Pro bono pacis autem Episcopus potest auctoritate ordinaria, et index etiam compromissarius alteri ex duobus electis, aut pracsentatis beneficium ad-

(1) Ex can. Conc. Later. III. in *cap. nulla 2. de concess. praeb.*

(2) Booif. VIII. *in cap. susceptum* 6. *de rescriptis in VI.*

(3) Rigaot. in *Reg. XVIII. num.* 47., *et seq. tom.* 3.

(4) Eas explicat Rigant. *loc. cit. num.* 32. *et seq.* Videsis dicenda inferius *cap.* 12. *num.* 14.

(5) Eamque tradit rubrica 12. *lib.* 3. Decretal. hisce verbis concepta. Innocentius II. in Syoodo Romana coostituit, ut unus quisque *libere, et absque deminutione aliqua, collata sibi dignitate, atque beneficio perfruatur, can. si quis praebendas* 15., *et ult. C.* 1. *qu.* 3. Alexander III. in Conc. Turonensi *cap. maioribus* 8. *de praeb.* indecorum oimis esse dixit, *ut minorum clericorum praebendae patiantur affectionem.* Idipsum rescripsere Innocentius III. io *cap. vacante* 26. et Gregorius IX. in *cap. cum caussam* 36. *de praeb.*

(6) Cooc. Later. III. sub Alex. III. in *cap. prohibemus* 7. *de censibus.* Idque firmavit Innoc. III. in *cap. un. ut eccles. benef. sine deminut. conf.* rescribens Mediolanensi Archiepiscopo in Lateranensi Concilio prohibitum: *ne quis conferendo ecclesiasticum beneficium partem proventuum suis usibus retinere praesumat.*

(7) Urbanus II. in Conc. Alveroiae *can. quaesitum* 4. *C.* 1. *qu.* 3. *salvo*, ait, *Episcoporum censu annuo, quem ex eisdem altaribus habere soliti sunt.*

(8) Ex Conc. Bracarensi II. an. 572. in *can. placuit* 1. Pelag. II. in *can. illud C.* 10. *qu.* 3. Ivone Carnotensi *par.* 3. *cap.* 136. Honor. III. in *cap. conquerente* 16. *de offic. ordin.*

iudicare, alteri pensionem annuam super eius fructibus reservare ad vitam collitigantis beneficiari dumtaxat, quam subire successor beneficiarius non tenetur (1). Ceterum pensiones perpetuas imponendi super ecclesiasticis beneficiis ius habet suprema tantum Romani Pontificis potestas.

XXXII. Ad voluntariam iurisdictionem quum pertineat collatio beneficiorum, eam ubilibet etiam extra dioecesim ab Episcopis recte fieri, consentiunt doctores (2). Nam Innocentius III. probavit, quod Eboracensis Archiepiscopus, dum in partibus cismarinis extra provinciam suam ageret, archidiaconatum Richemundiae contulisset (3). Leges enim ut proconsulibus (4), ita Episcopis, tamquam Ordinariis locorum indulgent, suam ut iurisdictionem voluntariam exercere extra dioecesim valeant, secus contentiosam.

§. un. *De optione canonica.*

XXXIII. Optio canonica vigens alicubi ex lege fundatinnis, vel statuto, vel privilegio, vel consuetudine, sed non Iure communi (5) vim habet impediendi, vel transferendi liberas Ordinariorum collationes in dignitatibus, praebendis, et canonicatibus Cathedralium, et Collegiorum: quoties nimirum velint, ubi mos est, Canonici antiquiores possessione, non aetate gradatim praebendas, dignitatesque maiorea Apostolicae Sedi non reser-

(1) Ex decretali epistola Innocentii III. in *cap. nisi essent* 22. *de praebendis*, quam fusius explicat Fagnanus. Pariter Alexander III. in *cap. cum venissent* 9. *de restit. spoliat.* non improbavit, quod Canonici auctoritate Archiepiscopi annuam pensionem vivente clerico beneficiario perceperunt super Ecclesia ei collata. Idemque rescripsit Carnotensi Episcopo in *cap. de cetero* 5. *de transact.*, quod census eiusmodi, seu pensio *vitam eius, qui solverit, non excedit.*

(2) Cum. Gl. in *cap. novit ille 7. de offic. legati* verb. *terminos*, Rigant. *in Reg. 2. Canc. §. 3. num. 103.*

(3) Innocentius III. in *cap post electionem 7. de concess. praeb.* In textu quidem vulgato desideratur haec clausula intercisa: *Archiepiscopo in partibus cismarinis agenti*: sed eam supplet Gunzalez ex Antonio Augustino.

(4) *Omnes proconsules statim ac Urbem egressi fuerint, habent iurisdictionem, non contentiosam, sed voluntariam*, ait Marcianus in *l. omnes. 2. D.* de *offic. procons.*

(5) In canonicis quidem electionibus, ut seniores iunioribus, antiqui novis, docti rudibus praeferantur, sacri canones iubent. Coelestinus I. ad Episc. Apuliae, et Calabriae rescribens: *quid proderit*, ait, *per singula clericos stipendia militasse, si hi, qui praefaturi sunt, ex laicis requirentur? qui saltu praepropero sic alienum honorem ambiunt immoderata cupiditate transcendere? can. quid proderit 7. dist.* 61. S. Leo *valde iniquum, et absurdum* esse scripsit: *ut imperiti magistris, novi antiquis, et rudes praeferantur emeritis, can. statuimus 8. ead dist. 61.* Gelasius in *can. ordinationes 7. dist. 75.* ad Episcopos Lucaniae rescripsit, *ne cuiuslibet utilitatis caussa, seu Presbyterum, seu diaconum his praeferrent, qui ante ipsos fuerint ordinati.* Concilium Agathense in *can. Episcoporum 4 dist. 74.* decrevit, ne quis Episcoporum *posteriorem priori praeponat:* nisi ob superbam huius, et simpliciorem illius naturam praeponendum aliquem elegerit Episcopus. Maiora inde merita virtutum, et morum, et scientiae in caussa fuere, ut suo Episcopi arbitrio in liberis collationibus officiorum, et praebendarum iuniores plerumque senioribus praeferrent.

vatas, quae vacaverint, praeoccupare, alia, quam habebant, dimissa, suamque optandi voluntatem infra viginti dies a notitia vacationis decurrendos aperuerint (1). Unicum vero id spatium XX. dierum quum simul omnibus detur, illud semel dilabitur tam primo negligenti, quam aliis posterioribus optandi ius habentibus (2). Si vacantem optaverit nemo, eam ipsam tunc Episcopus post viginti dies elapsos, vel post repudiatam (3) optionem probe conferet arbitratu suo: aliter conferret aliam ab optante vel uno, vel inter plures postremo dimissam, quae ipso iure, ipsoque facto per optionem vacabit (4).

XXXIV. S. R. E. Cardinales in primis privilegio fruuntur optandi collegii sui titulos, Episcopatus suburbicarios, et decanatum, ex quo Alexander V. in Concilio Pisano electus an. 1409. pro ea temporis conditione indulsit Cardinalibus utriusque obedientiae Romanae, et Avenionensis unos, eosdemque titulos adeptis optare vacantes, ut alteros dimitterent (5). Id quod a subsecutis Pontificibus firmatum, moderatumque alibi iam diximus (6). In militari etiam religione equitum Melitensium S. Io. Hieros. vigere consuetudinem, ut equites antiquiores ante alios in ea recepti, et professi commendas Ordinis pinguiores in singulis vacationibus optent

(1) Naturam, legemque optionis canonicae peculiarem edixit primus omnium Bonifacius VIII. in *cap. cum in tua 4. et ult. de consuetudine in VI. Cum in tua Ecclesia*, inquit, *in qua* consuetudo *habetur, quod antiquiores canonici gradatim meliores, si voluerint, possint cum vacant per se, vel per alios optare praebendas* non obstante mandato apostolico de providendo alicui de praebenda primo vacatura, *poterunt ipsi antiquiores iuxta consuetudinem optare, cum praebenda vacabit, et illa, quae optata non fuerit (si nulli sit debita) erit illi, pro quo scripsimus, conferenda. In praebendis vero* apud Sedem *Apostolicam vacantibus, cum de ipsis per Romanum Pontificem ordinatur, locus praedictae consuetudini non existit. Ne autem praetextu eiusdem consuetudinis provisiones auctoritate apostolica faciendae ultra debitum differantur: statuimus, ut executores super ipsis provisionibus deputati optare volentes per* viginti dies *dumtaxat expectent, quibus elapsis, libere in non optatis ad exequenda tibi mandata procedant, praefata consuetudine non obstante.*

(2) DD. communiter apud Monet. *de optione* cap. 4. *qu.* 3. *num.* 11., *et seq.* Nisi peculiare statutum, vel privilegium alicui Ecclesiae aliud spatium temporis vel longius, vel brevius indulserit.

(3) Innocentius IV. in *cap. quia cunctis.* 1. *de. concess. praeb. in VI.* rescripsit, quod post apostolicum de providendo mandatum, ut cuidam D. praebenda, vel dignitas sine cura, quam ipse duceret acceptandam, in Ecclesiae Carnotensi conferretur, Episcopus eiusmodi mandati non ignarus praeposituram deinde vacantem conferre non potuit, nisi antea ipsum D. requisivisset, an vellet eamdem acceptare: quum legata cuipiam electione, vel optione unius ex servis hereditariis irritam quoque leges habeant manumissionem servi, antequam legatarius unum elegerit, vel optaverit, ab haerede factam.

(4) *Cit. cap. ult. de consuet. in VI.*

(5) Ex traditis ab Onuphrio Panvinio *de septem Urb. Eccles. cap.* 3. in fine, Pagio in *Breviario gestor. Roman. Pontif. in vita Alex. V. tom.* 2 Spondano *an.* 1410, ceteris. Sunt nihilominus, qui initium eiusmodi optionis sumunt a Martino V: in his Flavius Cherubinus *ad Xysti V. const.* 55. *schol.* 2., *et* Mersii *de Eccles. reddit. par.* 1. *cap.* 12.

(6) Instit. Canon. *lib.* 1. *tit.* 13. *de Cardinal. num.* 6. Videsis Rigaut. *in. Reg. VIII. Canc.* §. 2.

gradatim, res est exploratissima (1). Hoc in Regno Canonicis Cathedralis Ecclesiae Salernitanae optandi ius esse, rerum usus me docuit (2). Alexander VII. Canonicis Cathedralis Messanae die 18. Iunii 1659. ex gratia speciali quidem indulsit, ut in futuris vacationibus canonicatuum, et praebendarum illius Ecclesiae ex quavis caussa etiam ratione mensium Sedi Apostolicae reservatorum fiant optiones a Canonicis, prout hactenus servatum fuit: dimittendas vero tunc ab optantibus Apostolica Sedes conferat (3).

XXXV. In praebendis *apud Sedem Apostolicam* vacantibus nullum esse optioni locum, Bonifacius VIII. plane iam edixit. Regula IX. Cancellariae de reservatione mensium aperte abrogans *consuetudines etiam immemorabiles optandi maiores, et pinguiores praebendas* iuxta clausulam, quam Xystus V. suis primum Regulis addidit, efficit, ut optio sileat in vacationibus, quae in mensibus reservatis contingunt, ad liberam collationem vel Sedis Apostolicae, vel Cardinalis Episcopi vigore indulti pertinentibus. At optio ut revirescit in sex mensibus ab Episcopo residente alternatis cum Romano Pontifice, ita ob Episcopi absentiam, si quis mensium alternorum mobilium rediverit ad apostolicam reservationem, et ipsa tunc simul reservationi succumbet (4). Cumque per Regulam XV. revocentur generatim facultates *quibusvis personis iure, vel consuetudine* concessae conferendi beneficia reservata, vel affecta, quae amotis reservationibus *ad eorum collationem, provisionem, praesentationem, electionem, et quamvis aliam dispositionem communiter, vel divisim* spectarent: Doctores inde consentiunt ex rebus in Romana Curia saepe iudicatis quod canonicam quoque optionem haec ipsa Regula complectatur velut speciem dispositionis, et electionis, ideoque optare praebendas quomodolibet reservatas, et affectas licere nemini (5). Vix indultum in fundationis limine optionem excipit Rigantius (6). Ne cui autem veniat in dubium optio in praebendis quibuscumque reservatis vetita: Sedes Apostolica dum reservatas eiusmodi praebendas confert, de stylo Datariae consuevit in apostolicis etiam litteris speciatim derogare cuilibet statuto, et consuetudini optandi (7).

XXXVI. Excludent praeterea optionem *resignatio* in favorem certae personae (8), *permutatio* mutuam inter ipsos permutantes resignationem continens (9), *concursus* ad praebendam theologalem, et poenitentialem, et

(1) Ex Rota *dec.* 578. *par.* 1. *rec.*, *et* alibi.

(2) De eo iure actum in Rota iu Salernitana Canonicatus 1. Martii 1734. coram Crescentio.

(3) Apud Rigant. *in par* 1. *Reg. IX.* §. 5. *num.* 39.

(4) Io. Petr. Moneta *de opt. canon. cap.* 3. *qu.* 3. *num.* 55. *et seq.*

(5) Id quod affatim probat Rigantius in comm. eiusdem Reg. XV.

(6) Ibidem *num.* 56.

(7) Idem *in par.* 1. *Reg IX.* §. 5. *num.* 24.

(8) Gonzalez in *Reg. VIII. gl.* 34. *num.* 35. post Rotam, et Parisium *de resign. lib.* 2. *qu.* 20.

(9) Moneta *de optione cap.* 3. *qu.* 5. *num.* 124. Nam ubi permutatio fiat secundum iuris formam, beneficia invicem resignata non alii debent, nisi permutantes ipsi obtinere, qui alias minime resignassent, excluso etiam eo, qui ius baberet obtinendi beneficium primo vacaturum, et Bonifacio VIII. in *cap. un. de rer. permut. in VI.*

curas animarum tridentina lege, et constitutionibus apostolicis imperatus (1), *ius nominandi*, aut praesentandi, aut eligendi reservatum patronis quum laicis, tum ecclesiasticis (2). Nulla enim ratio patitur, quod optionis privilegium, quo ordinarii collatoris dumtaxat arbitrium refroenatur, legitimam cuiusque libertatem resignandi, permutandique beneficia sua, aut in concursu ad animarum curas, officiaque theologi, et poenitentiarii maiorem exercendi virtutem, aut patronatum exercendi, publico, et communi iure concessam (3). Et versa vice nec poenitentiarius, nec theologus ius habent optandi alias praebendas, quum suas alii nequeant optare (4). Idipsum de Canonico ad praesentationem patronorum instituto iudicandum erit: nisi consuetudo speciatim ei quoque optionem indulserit.

XXXVII. Sed licebit Canonico antiquiori praebendam suam annua pensione oneratam iunioribus relinquere, alteramque vacantem optare immunem, et pinguiorem, ubi titulus nimirum optione mutatur, nisi pensionem cum fraude acceptasset, conscius vacationis cito futurae ex decumbentibus, puta Canonicis graviter infirmis (5). Qui enim suo utitur iure, nemini facit iniuriam (6). *Et rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore* (7).

XXXVIII. Coadiutori cum futura successione ius optandi non esse inde colligitur, quia is unam cum coadiuto personam in collegio repraesentans nequit optantium gradus praevertere, nec numerum augere cum aliorum praeiudicio. Coadiutus vero Canonicus tunc poterit aliam optare praebendam, ubi indulta coadiutori successio sit ad ordinariam dumtaxat praebendam optioni non subiectam: secus erit, si ad praebendam simul optabilem extensa ea sit (8).

XXXIX. Collationem, seu investituram Episcopi, aliusve Ordinarii non requiri in optionibus canonicis Rota saepe definivit ex communi Doctorum sententia (9). Nam ex textu Bonifacii VIII, alia quum sit *Canonicorum receptio*, alia *praebendarum collatio*, et utraque facienda, vel vocatis absentibus Canonicis, vel non iuxta Ecclesiae consuetudinem (10): probe colligitur Canonicorum receptionem ex optandi consuetudine fieri sine ritu collationis. Et ubi optio consueverit ab ipso Capitulo, vel ab eo, qui Ca-

(1) S. Congr. Conc. apud Hier. Gonzalez. *loc. cit. num.* 78. *ad* 83.

(2) Moneta *loc. cit. num.* 112.

(3) *Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri*, ex Papiniano in *l. non debet* 74. *D. de Reg. Iur.*

(4) Sicuti S. Congr. declaravit apud Gonzalez *loc. cit. num.* 79., *et* 18.

(5) Gonzalez in Reg. VIII. *Gl.* 34. num. 43. ex Rota coram Puteo lib 3. dec. 155.

(6) Innoc. III. in *cap. cum Ecclesia* 31. *de elect.*

(7) Bonif. VIII. in *cap. rationi* 77. *de Reg. Iur. in VI.*

(8) Gonzalez *loc. cit. num.* 97., *et seq.* Hoc autem in Regno sublatis iam coadiutoribus cum futura successione, ex antedictis *num.* 18. nullus erit huius distinctionis usus.

(9) Cassador. *dec.* 7. *de praeb.* et alibi, DD. apud Monet. *loc. cit. cap.* 5. *qu.* 3. *cum.* 32.

(10) Bonif. VIII. in *cap. cum Ecclesiis* 83. *de praeb. in VI.* Ubi glossa ad marginem adnotat, *quod sola receptio non inducat collationem.*

pitulo praesidet, admitti: admissionem eiusmodi tunc collationis, seu institutionis vicem supplere censuit Rota (1).

XL. Ad formam optionis explendam itaque sufficiet, quod in Capitulo, seu Collegio Canonicorum rite congregato, et coram Dignitatibus; et Canonicis vel maiorom partem conflantibus constituti antiquiores gradatim unus post alium per semetipsos, aut per idoneos procuratores declarent palam sese illam optare praebendam ab eo die vacantem per obitum illius ultimi possessoris, vel renunciationem eius liberam, vel alium quemlibet modum, suamque ab se hactenus possessam dimittere iunioribus optandam, vel vacuam arbitrio Episcopi, aliusve collatoris ordinarii concedendam: salvo sibi ad hanc ipsam regressu, quoties optio ista suum fortassis non sortiatur effectum (2). Ubi accesserit ad id continuo consensus Capituli, et praesidentis capitularis adprobatio: in capitularium actorum codice tum perfecta optio describitur, atque in possessionem quisque optatae sedis, ac praebendae immittitur more consueto. Si vero quis contradixerit, aut reclamaverit, quaestio ad forum competens deferenda tunc est (3).

XLI. Duplex autem genus optionis distinguere oportet: nimirum altero novus titulus novae prebendae adquiritur, seu spirituale ius adhaerens officio, et beneficio ecclesiastico, altero antiquus titulus non commutatur, nec dimittitur, sed retinetur cum novis optatis accessionibus rerum temporalium, et fructuum pinguiorum (4). Quoties vero alterutrum optionis genus in dubio sit, Rota censuit non mutari titulum (5). Alterum enim ab altero maxime diversos parit effectus. Horum praecipuus est, quod in primo genere optionis titulum mutantis omnia onera dimissae praebendae, praesertim pensio annua super eius fructibus imposita, in successorem transeant, qui hanc indo, vel optione posteriori, vel collatione obtinuerit: in secundo autem genere, quo titulus non mutatur, onera cuncta, pensionem quoque secum ferat, qui ad aliam transiit sine novo titulo praebendam (6). Hac ipsa discriminis ratione fit, ut aliquo familiarium Papae, vel Cardinalis novam optante praebendam cum mutatione tituli, reservatio maneat infixa praebendae, quam dimiserit, successorem-

(1) Rota coram Puteo *dec.* 125. *lib.* 3., Achill. *dec.* 4. *de praeb.*, Covarr. *lib.* 3. *var. cap.* 16. *num.* 10., Gonzalez. *loc. cit. num.* 70.

(2) Formam instrumenti, quo solet notarius factam optionem describere, habet Moneta *cit. cap.* 5. *num.* 40.

(3) Abbas *cons.* 159. *vol.* 1. tenet necessarium non esse Capituli consensum, sed sufficere, quod optionis instrumentum Capitulo denuncietur intra 20. dies. Addunt Rebuffus, et Covarruvius apud Monetam *loc. cit. num.* 37. et Caldarinus *cons.* 7. *de consuetud.* apud Gonzalez *in Reg VIII. gl.* 34. *num.* 54. optanti licere vacuam possessionem optatae praebendae, rerumque ei adnexarum adprehendere auctoritate propria. Sed hisce in rebus mos cuiusque loci servandus est.

(4) Gonzalez *loc. cit. num* 61. *et seq.* Passerin. in *cap. cum in tua* 4. *de consuet. num.* 111., *et seq.* Rota *dec.* 626. coram Remboldo, et *dec.* 286. coram Merlino.

(5) Rota *dec.* 391. *num.* 8. *par.* 19. *rec.*

(6) Rota coram Blanchetto in *Cordubensi pensionis* 30. Aprilis 1593. coram Mochedano *dec.* 1., 2., *et* 30. *de renunciat.* et alibi, Gigas *de pension. qu.* 63. Paris. *de resignat.* lib. 1. *qu* 8, Gonzalez *loc. cit. num.* 45, *et seq.*

que afficiat: sed titulo per optionem non mutato, nova praebenda in reservationem cadat, uti subrogata in locum praebendae dimissae, quae libertatem a reservatione adquirit (1).

XLII. Aliam optionis canonicae speciem in beneficiis incompatibilibus ius Decretalium exhibet. Alexander III. enim rescripsit, quod duas habens Ecclesias, unam, *quam voluerit*, sibi retineret, alteram loci Ordinarius alii conferret (2). Et rursus, quod Archidiaconum in duabus Ecclesiis Burdegalensi, et Tolosana constitutum Archiepiscopus Burdegalensis, *altero, quem maluerit, archidiaconatu* faceret esse contentum (3). Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. tale arbitrium optandi, seu eligendi alterum ex beneficiis, vel curam animarum, vel residentiam adnexam habentibus ademit, statuens: ut *quicumque receperit aliquod beneficium* curam *habens* animarum *adnexam, si prius tale beneficium habebat, eo sit* ipso iure privatus: *et si forte illud retinere contenderit, etiam* alio spolietur... *Hoc idem in* personatibus *esse observandum*: addens, *ut in* eadem Ecclesia *nullus* plures dignitates, *aut* personatus *habere praesumat, etiamsi curam non habeant animarum* (4). Idipsum placuit Ioanni XXII. (5). Hanc denique Innocentii III. sanctionem firmavit etiam Synodus Tridentina (6). Abrogatam hinc penitus optionem alterutrius incompatibilis vident omnes, quae nullum idcirco locum habet. In Galliam tamen eam vigere adhuc, et cuilibet adepto secundum beneficium incompatibile dari annum, et diem ad optandum, et eligendum, quod sibi retinere maluerit, Doctores tradunt (7).

CAP. XI.

De commenda.

I. Ad custodiam, vel depositum datur per commendam Ecclesiae administratio, vel cura.

II. Antiqui mores, et canones commendari ad tempus Ecclesias, et monasteria permittebant.

III. Episcopis praesertim vagantibus bellorum tempore, atque ad reformandos Regularium mores unam in titulum, aliam commendatam dari olim consuevit.

(1) Rigant. *in Reg. IV.* §. 5. *num.* 159. post Zabarell. Passerin. Garz., et Rotam.

(2) Alex III. in *cap. referente* 7. *de praebendis.*

(3) Idem in *cap. praeterea* 14. *eod. tit.*

(4) Innoc. III. in *cap. de multa* 28. *eod. tit.*

(5) Io. XXII. in *extravag. execrabilis* 4. *de praeb.* §. *qui vero deinceps.*

(6) Trid. in *cap. quicumque* 4. *sess.* 7. *de ref.*, *et cap. cum dignitates* 12. *sess.* 24.

(7) Franc. le Roye *lib.* 2. *instit. canon. cap.* 16., et Wan-Espen *par.* 2. *tit.* 20. *cap.* 4. *num.* 11., *et seq.*

IV. Nono saeculo commendare quoque laicis Ecclesias, et monasteria orsi sunt Galliarum Reges.

V. Id commonitionibus, et censuris Pontifices, et Patres emendare studuerunt.

VI. Commendas plurimas ab seipso largitas Clemens V. non sine caussa revocavit, alias a praedecessoribus concessas tum resciderunt Benedictus XII., et Clemens VI.

VII. Concilium Constantiense vetuit, et monasteria ultra decem religiosos continentia, et maiores dignitates, et parochiales commendari.

VIII. Sed in Gallia commendae monasteriorum plus invaluerunt.

IX. Leo X. in Conc. Later. V. in consuetis abbatiarum commendis mensam conventualem ab ea commendatarium primus distinxit, et separandam iussit.

X. Clemens VII. Regi Galliae firmavit consuetudinem nominandi clericos saeculares ad Regularium commendas.

XI. Tridentina Synodus monasteria, quae suam habent familiam regularem, et capita Ordinum non commendari mavult.

XII. Sed religioso conventu destituta reliquit arbitrio Papae.

XIII. Si quid collationi in titulum obstat, potius commendam indulgere, quam aliam dispensationem consuevit Sedes Apostolica.

XIV. Commenda enim non mutat, sed conservat propriam vel beneficii saecularis, vel monasterii naturam: hinc mobiles ad natum Abbatis Commendatarii collationes beneficiorum S. Antonii Viennensi hoc in Regno.

XV. Commendarum aliae ad vitam perpetuo, aliae ad tempus conceduntur.

XVI. Commendatarii Abbates nunc iisdem titularium iuribus, et praerogativis fruuntur.

XVII. In Gallia coguntur commendatarii sacros Ordines intra annum suscipere, et munia titularium, quoad fieri potest, obire.

XVIII. In Italia neque ad sacros Ordines, nec ad residentiam obligantur: nisi curam animarum debeant ipsimet exercere.

XIX. Temporaneas parochialium commendas ad sex menses olim poterant Episcopi, et Capitulum Sede vacante: hodie secus post legem Tridentinam.

XX. Et perpetuas igitur, et temporaneas commendas Papa solus concedendi ius habet.

XXI. Tum aliquis Cardinalium, Praelatusve insignis, cui Papa indultum commendandi speciatim dederit, variis conditionibus limitari solitum.

XXII. Nec beneficia regiae vel nominationis, vel collationis commendare licet sine indulto speciali Sedis Apostolicae.

XXIII. Cancellariae Regula XLIII. iubet expressam in signaturae gratiae mentionem commendae.

XXIV. Forma commendae iam consueta liberum usumfructum commendatario, instar titularis, largitur.

XXV. Sed nova commenda cuiuslibet monasterii non conceditur, nisi cum decreto restaurandi aedificia, alienata bona recuperandi, et redeundi posthac ad primaevam tituli regularis naturam.

XXVI. Abusus commendarum vitio non legis novae disciplinae, sed hominum irrumpentes usui earum legitimo, et proficuo nil detrahere valent.

XXVII. Hoc in Regno abbatiam S. Antonii Viennensis Papa commendare in perpetuum solet Archiepiscopo Neapolitano, ei dimittens collationem beneficiorum sub eodem titulo in toto Regno, exclusis tum apostolicis reservationibus, tum locorum Ordinariis.

XXVIII. Commendae regulares equitum Melitensium iure speciali a M. Magistro Ordinis conferuntur professis antiquioribus cuiusque Nationis.

I. Sub collatione commenda quandoque continetur (1). In *commendam* dare Ecclesiam idem sonat, quod eam custodiae, seu depositi causa committere alicui administrandam, donec de idoneo rectore provideatur, adeout commendatarius pro *depositario*, vel *administratore*, vel *curatore*, vel *custode* habeatur (2).

II. Usus commendandi Ecclesias, et Cathedrales, et parochiales, et regulares clericis etiam saecularibus, vetustissimus est. S. Athanasius Alexandrinus commendatam sibi aliam Ecclesiam scribit (3). S. Ambrosius presbytero commendavit vacantem Ecclesiam episcopalem ad forum Cornelii, donec ordinaretur Episcopus. Pelagius I., et S. Gregorius M. visitationem simul, et curam vacantium Ecclesiarum, praesertim Catanensis, Panormitanae, Aprutinae commendarunt Episcopis viciniorbus (4). Ad monasteria quod attinet, saeculo VI. Concilium Aurelianense III. Episcopis indulsit, ut clericos ab Ecclesia Cathedrali ad monasterium, aut parochiam transferrent, administrationem, h. e. commendae speciem su-

(1) Scribit Rebuff. in *prax benefic. ad Reg. Canc. de public. resignat. Gl.* 16.

(2) *Commendare nihil aliud est, quam deponere*, docet Ulpianus in *l. commendare* 186 *D. de verb. sign.*

(3) Apud Nicephor. *hist. eccl. lib.* 11. S. Ambrosius *ep.* 44. *Commendo tibi fili, ait, Ecclesiam, quae est ad forum Cornelii, quo eam de proximo intervisas frequentius, donec ei ordinetur Episcopus.* Simplicius Papa *ep.* 9. curam Ecclesiae, donec accusatio contra Episcopum Aufinii disculeretur, Severo Episcopo viciniori etiam commendavit.

(4) Pelagius I. in *can. Catinensis* 17. S. Greg. M. in *can. obitum* 16. *can. bene novit* 16., *et can. quoniam* 19., *et ult. dist.* 61.

scepturos (1). S. Gregorius M. ad Ioannem Ravennatem Episcopum scribens, *aliqua loca dudum monasteriis consecrata*, ait *nunc habitacula clericorum, aut etiam laicorum facta sunt, dumque hi, qui sunt in Ecclesiis, fingunt se religiose vivere, monasteriis praeponi appetunt, et per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo potest et ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monastica regula ordinate persistere: ut ipse monasterii districtionem teneat, qui quotidie in ministerio ecclesiastico cogitur permanere... ego nullo modo patior, ut sacra loca per clericorum ambitum destituantur* (2). Idemque Mariniano Episcopo etiam Ravennati condoluit, *monasteria clericorum dominio praegravari: ita ut* (ait) *occasione* quasi regiminis *ea velut* in proprietate *possideant* (3): Simul rescripsit Maximiano Episcopo Syracusano, ut presbyteros, diaconos, ceteros cuiuslibet Ordinis clericos *per monasteria abbates* esse non permitterot, aut clericatus militiam deinceps non haberet, qui Abbatis locum praeoptasset (4). Dum vero septima Synodus Oecumenica Nicaena II. an. 787. conscribit clericum in duabus Urbis cuiuslibet Ecclesiis vetuit: *ceterum in villis*, ait, *quae foris sunt, propter inopiam hominum indulgeatur* (5).

III. Processu temporum quum disciplina regularis in permultis monasteriis, religiosisque domibus collaberetur, et Episcopi suas interim Ecclesias derelinquere cogerentur ob irruptionem hostium praecipue Saracenorum, qui Siciliae, Neapolis, aliasque Italiae regiones depraedabantur: factum est, ut Romana Sedes, Episcopis eiusmodi fugatis, alias Ecclesias Cathedrales, vel monasteria (6) in commendam perpetuam quoad viverent, saepe darent, quum ad eos ipsos substentandos, tum ad reformandos Regularium mores, vitamque communem instaurandam. S. Gregorius M. Agnellum Fundorum Episcopum, ea ab hostibus vastata urbe, constituit Episcopum Tarracinensis Ecclesiae *cardinalem: ita ut Funden-*

(1) Conc. Aurelian. III. an. 538. *can.* 18., N. Alexander in *hist. saec. VI. cap.* 5. *de Conciliis art.* 15. in eo canone notat, clericos ab Ecclesia Cathedrali ad monasterium translatos non abbatiae titulum, sed monasterii administrationem, et commendae speciem suscepisse.

(2) S. Greg. M. ad Ioannem Episcopum Ravennatem in *can. pervenit* 26. *C.* 18. *qu.* 2, *et can. nemo* 2. *C.* 16. *qu.* 1. In hos duo canones Gratianus dissecuit istud fragmentom epistolae Gregorianae. Hanc vero ipsam Lud. Ant. Muratorius *dissert.* 73. *antiquit. Ital.* memorans, innuit alludere ad abusum commendarum tunc irrepentem in dioecesi Ravennate.

(3) S. Greg. in *can. dudum ad nos* 27. *C.* 18. *qu.* 2.

(4) Idem in *can. presbyteros* 38. *C.* 16. *qu.* 1.

(5) Septima Synodus in *can. clericus* 1. *C.* 21 *qu.* 1. *In duarum* etiam *civitatum Ecclesiis clericum conscribi non oportet*, ex antiquiori canone Concilii Chalcedonensis in *can. clericum* 2. *eod. C. et qu.*

(6) Monasteria enim, seu Abatias, aliaque beneficia regularia conferre, vel commendare in perpetuum saecularibus clericis non alii potuerunt, nisi Romani Pontifices: ex quo S. Gregorius M. Castorio Ariminensi Episcopo rescribens iussit, ut *Abbas in monasterio non per Episcopum, aut per aliquem extraneorum ordinetur*, *can. abbas* 2. *C.* 18. *qu.* 2. Et Pelagius in *sequ. can. abbatem* 4. cum monachis cuiusque congregationis eligondum dimisit. Thomassiu. *to.* 1. *vet. nov. disc. lib.* 3. *cap.* 69. affatim ostendit vetitum frequentibus Conciliorum decretis, ne quis praeter Pontificem Romanum monasteria, et regularia beneficia in perpetuum conferret.

sis Ecclesiae Episcopus (ait) *esse non desinas, nec curam, gubernationemque eius praetereas* (1). Leo IV, qui nono saeculo sedit, plurimasque instauravit Ecclesias a Saracenis vastatas, primus omnium videtur vocabula *tituli*, *et commendae* explicatius distinxisse: dum rescripsit, quod plures Ecclesias retinens, unam *titulatam*, aliam vero *sub commendatione* debeat retinere (2), auctoritate scilicet episcopali, et canonica. Nam idem Leo IV. in Concilio Romano an. 853, Anastasium presbyterum cardinalem deposuit, quod in alienis parochiis, relicta propria, moraretur (3).

IV. Eodem saeculo nono videntur irrepsisse commendae ad vitam etiam laicales una cum investituris Ecclesiarum laicis. Baronius ad annum 839. fert Carolum Martellum in Gallia ante omnes Ecclesiarum, et monasteriorum Abbates creasse laicos Comites, et Duces pro remunerandis militiae laboribus (4), illiusque exemplum imitatos postea fuisse Carolum M., et Pipinum, Ludovicum Pium, Lotharium I, Ludovicum II, ceteros Galliarum Reges, et Principes (5). Ea de re conqueri non destiterunt Patres, ac Pontifices, praesertim Nicolaus I (6). At Reges reponebant sese ab eo more discedere non posse, ne viderentur suae Reipublicae militiam defraudare (7).

V. Frequentes inde Conciliorum canones, et Pontificum decreta, et epistolae pro viribus connitentium sacrilegas eiusmodi invasiones amovere commonitionibus, et censuris. Ioannes VIII, anno 877. Adelardum Episcopum excommunicavit, quod Nonantulae monasterium callide petiisset ab Imperatore, *quod nullus*, ait, *umquam Episcoporum, vel iudicum* (puta comitum) *in beneficium* adhuc quaesiverat (8). Alexander II. an. 1061. in Synodo decrevit, ut nullus laicorum Ecclesias, vel Ecclesiarum bona occupet, vel disponat. Qui vero secus egerit, ab Ecclesiae liminibus arceatur. Per laicos nullo modo quilibet clericus, vel presbyter obtinet Ec-

(1) S. Greg. in *can. relatio* 5., *et can. illud quoque* 6., *et ult. C.* 21. *qu.* 1.

(2) Leo IV. in *can. qui plures* 3. *C.* 21. *qu.* 1. Tum Urbanus II. in Conc. Placentino an. 1095, *in duabus* Ecclesiis (ait) *aliquem titulari, non liceat: sed unusquisque in qua titulatus est, in ea tantum canonicus habeatur. can. sanctorum* 2., *et ult. dist.* 70.

(3) Leo IV. in *cap.* 2. *de cler. non resident.*, quod in vulgata Decretalium editione male inscriptum Leoni III. observat Gonzalez *in notis* ad hocce *cap.* 3.

(4) Baronius ad an. 839. *num.* 311. eam ob caussam Carolum Martellum in tartaris damnatum cruciari scribit.

(5) Liquet ex Capitular. Caroli M. *lib.* 5. *cap.* 181. ex Conc. Aquisgran. II. an. 838. *cap.* 3. *can.* 19., et Meldense an. 845. *cap.* 9. Ivone Carnotensi *ep.* 181., Flodoard. *lib.* 2. *hist. Rhemens. cap.* 20. Lupo Servato ep. 11., et monumentis a L. A. Muratorio vulgaris *dissert.* 73. *antiq. Ital.*

(6) Nicolaus I. *ep.* ad Odonem Belloacensem Wala eximius Abbas Corbeiensis in eius vita *lib.* 2. apud Mabillon. in *actis SS. Benedictin.* fertur ita Ludovico Pio Augusto adlocutus: *nemo te Augustorum clarissime fallat; quia valde periculosissimum est res semel Deo fideliter dicatas ad usus pauperum, et servorum Dei, violenter postmodum diripere, et ad saeculares usus contra auctoritatem divinam retorquere.*

(7) Car. Du Fresne *in glossar. latin.* verbo *Abbatescomites.*

(8) Ex *ep.* 48. Ioannis VIII. ad Carolum Calvum Imp. et *ep.* 49. ad Clerum Veronensem apud Murator. *loc. cit.*

clesiam, nec gratis, nec pretio (1). S. Gregorius VII. in Romana Synodo an. 1074, sanxit, ne quis *deinceps Episcopatum, vel Abbatiam de manu alicuius laicae personae suscipiat*; alias *nullatenus inter Episcopos, vel Abbates habeatur,* interdicens tam accipientibus clericis, quam dantibus investituram laicis *gratiam B. Petri, et introitum Ecclesiae* (2). Urbanus II. an. 1078, *decimas, et Ecclesias a laicis,* ait, *monachi non suscipiant absque consensu, et voluntate Episcoporum*: alias *canonicae ultioni subiaceant* (3). Paschalis II. in Conc. Guastallensi an. 1106. decrevit excommunicationi subiacere clericum, abbatem, monachum, *qui per laicos Ecclesias obtinuerit*: laicos autem dantes ab Ecclesiae liminibus arcendos (4).

VI. Evulsis laicorum investituris, et commendis, episcopalis potestas consuevit Ecclesias (5) ad tempus commendare sub Alexandro III. (6), et Honorio III. (7): tum irrepsit sensim, et invaluit nimium in clericis abusus polygamiae spiritualis, sc. plurium uni Cathedralium, et Abbatiarum in commendam perpetuo ad vitam collatarum. Clemens V. in ipso sui pontificatus exordio an. 1308. *nonnullis clericis, et personis ecclesiasticis,* ait, *et religiosis et saecularibus diversorum ordinum, dignitatis, conditionum, et statuum, Patriarchales, Archiepiscopales et Episcopales Ecclesias, ac monasteria destituta pastoribus, sub* commendae, *vel* custodiae, *seu* curae, *vel* guardiae, *aut* administrationis *titulo duximus* perpetuo ad vitam, *seu ad* certi temporis *spatium committendo . . . verum perspeximus evidenter, quod Ecclesiarum, et monasteriorum eorumdem cura negligitur, bona, et iura dissipantur ipsorum, ac subiectis personis, et populis spiritualiter plurimum, et temporaliter derogatur, eisque redundant ad noxam, quae dicebantur cedere ad profectum, ac nedum ipsis, sed etiam Romanae matri Ecclesiae graviora inde futura timentur pericula . . . volentes potius opportunum remedium adhibere, omnes, et singulas promissiones huiusmodi* per nos factas *quibuscumque ... etiam S. R. E. Cardinalibus auctoritate apostolica nunc ex certa scientia revocamus, et decernimus de cetero non habere aliquam roboris firmitatem* (8). Mox Ioannes XXII. nedum Cardi-

(1) Alexand. II. in *can. nullus* 18., et *can. per laicos* 20. *C.* 16. *qu.* 7., ibique Romani Correctores epistolam eiusdem Pontificis collaudant.

(2) S. Greg. VII. in *can. si quis deinceps* 12. *C.* 16, *qu.* 7.

(3) Urban. II. in *can decimas* 39. *ead. C. et qu.*

(4) Paschal. II. in *can si quis clericus* 16. *can. constitutiones* 17., et *can. nullus* 18. *ead. C. et qu.*

(5) Urbanus II. in Concilio Placentino *can. sanctorum* 2. *dist.* 70. statuens, quod *licet Episcopi dispositione unus diversis praeesse possit Ecclesiis*, canonicus tamen praebendarius unius tantum Ecclesiae esse debeat: commendas videtur arbitrio Episcoporum ita permisisse.

(6) Alexander III. in *cap. si constiterit* 12. *de accusat.* rescripsit, quod *Ecclesia non perpetuo concessa, sed ad tempus commendata* presbyter de vinolentia, et pernoctatione in tabernis convictus, vel confessus privandus esset.

(7) Honor. III. in *cap. dudum* 54. *de elect.* rescripsit, quod *nullus potuerit plures parochiales Ecclesias obtinere, nisi unam intitulatam, et alteram commendatam haberet:* h. e. ad tempus commendatam.

(8) Clemens V. in extravag. *ex supernae* 2. *de praebendis* inter comm. Guilielmus Durandus Episc. Mimatensis lib. *de modo generalis Concilii celebrandi*, quem ipsius Clementis V. mandato ante Concilium Viennens conscripsit, *par.* 3. *rubr.* 20. abusum commendarum inter alia reformandum proposuit.

nalibus, sed aliis etiam commendas Ecclesiarum, et monasteriorum largitus est, quas omnes, praeterquam Cardinalibus concessas, abrogavit Benedictus XII. successor eius. Pariter commendas ab Innocentio VI. provisas rescidit Clemens VI (1).

VII. Concilium Constantiense anno 1414. decrevit, ut ne monasteria, aut magni prioratus conventuales, qui ultra decem religiosos, et claustralia officia habere consuevisset, nec dignitates maiores post pontificalem in Cathedralibus, et Collegiatis, nec parochiales Ecclesiae nullis personis etiam Cardinalibus commendarentur amplius (2).

VIII. Sed monasteriorum commendae magis increbuerunt. Paulus II. suum ineundo pontificatum anno 1464. fassus est in Concistorio: *credere se a pontificatu Callisti III.* (ab anno scilicet 1455.) *ad eum diem amplius quam quincenta monasteria esse iam commendata, atque adeo in metu sibi esse, ne corruptela haec maturius opinio in scandalum grave erumperet:* dum probavit sententiam Ioannis Carvai adversantem novae insignis coenobii Gallicani commendae, quam nescio quis Episcopus ambibat (3).

IX. Leo X. in Concilio Laterense V. an. 1517. indemnitati monasteriorum consulere volens, vetuit monasteria numquam commendata commendari, quae vero commendata aliquando fuissent, nonnisi Cardinalibus, personisque benemeritis, et qualificatis commendari posse: et praecepit, ut commendatarii mensam haberent a conventuali separatam (4).

X. Sed Clemens VII. Francisco I. Galliarum Regi an. 1531. speciatim indulsit, ut vigore consuetudinis Rex clericos saeculares ad Abbatias, et prioratus ea lege nominaret, ut solo commendationis titulo saeculare ea beneficia regularia possideant: exceptis monasteriis, quae sunt capita ordinum (5).

XI. Patres vero Tridentini praeoptarunt, ut monasteria iam commendata, et deinceps vacatura, quae suos conventus habent, *nonnisi regularibus spectatas virtutis, et sanctitatis conferantur*, praesertim quae capita sunt ordinum, utque *in provisionibus horum monasteriorum principalium qualitas singulorum nominatim exprimatur, aliter facta provisio subreptitia esse censeatur, nullaque subsequenti triennali possessione adiuvetur* (6). Ordinum capita sunt hoc in Regno monasterium *Casinense* a S. Benedicto fundatum in monte Casino, alterumque Montisvirginis a S. Guilielmo institutum. Alibi alia, nimirum *Camaldusense*, *et Vallisumbrosae* in Tu-

(1) Hanc Clementis VI. rescissionem fert Odoricus Raynaldus *ad an.* 1353. *num.* 13. priorem Benedicti XII. eius vitae scriptores.

(2) Conc. Constantiens. *in appendice ad sess.* 40. alias 43. *art.* 6. *de commendis*, apud Philip. Labbaeum.

(3) Ex traditis a Cardinali Papiensi *ep.*93., qui haec de suo addit ibidem: *Commendandorum ab initio coenobiorum non ea fuit ratio patribus nostris, ut saginae ecclesiasticorum illa darentur: sed ut fide, et studio Maioris alicuius ea, quae occupata a saecularibus essent, redimerentur, et divinus cultus in pristinum statum revocaretur. Deflexit res, et in abusum hunc venit odibilem Deo, et sorti nostrae infamem.*

(4) Leo X. in Conc. Later V. *sess.* 9. in bulla *reform. Curiae.*

(5) Apud Rigant. in *Reg.* 43. *num.* 82.

(6) Trid. in *cap. cum pleraque* 21. *sess.* 25. *de Regularibus.*

scia. In Gallis *Cluniacense*, *Cartusianum* Gratianopolis, *S. Antonii Viennensis* apud Motam, *Praemonstratense* Canonicorum regularium Cruciferorum Hui ad Mosam, *Sanctissimae Trinitatis* redemptionis captivorum apud cervum frigidum, *Grandimontense*, cetera.

XII. Monasteria monachis destituta Patres Tridentini suo quidem silentio reliquerunt Sedis Apostolicae arbitrio commendanda, et providenda. In quibus autem conventus religiosorum viget, si commendari ea consueverint, adhuc in commendam perpetuam saecularibus Praelatis ea dari mos est hac lege, ut congruam fructuum portionem tradere pro mensa conventuali debeant commendarii, ac segregare iuxta decretum Concilii Lateranensis V., quod auctoritatem Sedis Apostolicae in commendarum provisione studuit, ea divisione fructuum conservare. Hinc patet, cur post Tridentinum in Italia, et in hoc etiam Regno Neapolitano perplura monasteria, et Abbatias regularium, Ordinis praesertim divi Benedicti, clerici saeculares in commendam perpetuam durante ipsorum vita a Summo Romano Pontifice obtinuerunt cum libera proventuum administratione, ac dispositione, non aliter, quam veri beneficiarii, ac titulares perpetui, quemadmodum liquet ex Datariae Apostolicae litteris.

XIII. Tunc dare in commendam beneficia solet Curia Romana, quum aliquod obstet canonicum impedimentum, quominus eorum collatio in titulum fiat. Scilicet, ubi Sedes Apostolica alicui ante aetatem legitimam velit beneficium curatum concedere, illud potius commendat, quousque ad annum canonibus praescriptum perveniat, deindeque confert in titulum, quam collationem anticipatam in titulum natu minori praevia dispensatione largiatur. Similiter monasteriorum Abbatias clericis saecularibus frequentius commendat, quam supprimit earum qualitatem regularem (1). Et e contrario personis regularibus magis beneficia commendat, quam dispensationem indulgeat canonibus (2) vetantibus, ne saecularia regularibus conferantur (3). Incongruum enim videtur, ut regulares saecularibus, et e converso subdantur (4).

XIV. Per commendam monasteriorum, et Abbatiarum regularium autoritate pontificia Praelatis, et clericis saecularibus concessam, ipsa regularis qualitas, et natura nil mutatur. sed in eodem statu perinde permanet, ac si commendatarius esset Abbas, vel Prior vota regularia professus (5), et quovis lapsu temporis ea non praescribitur (6). Exinde fa-

(1) Rebuff. id observat in *prax. benef. tit. de commenda n. 7. et seq.*

(2) Trid in. *cap. regularia* 10. *sess.* 14. *de reform.* decrevit, ut regularia beneficia *in titulum* regularibus professis provideri consueta, cum vacare contigerit, religiosis tantum illius ordinis, vel iis, qui habitum omnino suscipere, et professionem emittere teneantur, et non aliis conferantur.

(3) Innoc. III. in *cap. dilectus* 2. *de capell. monac.*

(4) Rebuff. *loc. cit. num.* 23.

(5) Card. de Luca *in summa de benefic. num.* 193., *et disc.* 64. *num.* 7. Fagnan. in *cit. cap. in Ecclesiis num.* 16. *de capell. monachor.* Rigant. in *Reg.* 43. *num.* 219.

(6) Bon f. VIII. in *cap. cum de beneficio* 5. *de praeb. in VI.* declaravit beneficium qualitatem saecularem induere, si tanto tempore *ab uno, vel pluribus saecularibus clericis constitutis in eo rectoribus* continue gubernatum sit, ut *praescriptio legitima* sit completa, etiamsi *ante*, vel *post religiosi* quandoque ministraverint in

cile intelligitur, beneficia monasterio commendato adnexa non quidem perpetua, sed temporanea, atque ad nutum mobilia esse ob insitam regularibus beneficiis mobilem naturam. Qualia sunt ex. gr. S. Antonii Viennensis beneficia, quae Abbas commendatarius hoc in Regno passim confert clericis etiam saecularibus non in titulum perpetuum, sed cum revocabili iure administrandi ad beneplacitum, et nutum ipsius Abbatis conferentis (1).

XV. Duplex commendae species est, altera scilicet *perpetua*, ad vitam commendatarii duratura, et altera *temporanea*, quae postquam idoneo rectori collata in titulum erit Ecclesia, cessare continuo debebit. Inspecta quidem natura commendae, ea temporanea potius est, et revocabilis ad nutum Superioris commendantis (2): quemadmodum quoque depositum revocabile est arbitrio deponentis. *Perpetuam* commendam Sedes dumtaxat Apostolica indulget, et quandoque non intuitu personae, sed Ecclesiae: quemadmodum e. g. Episcopo Aquini, et Pontiscorvi pro tempore commendavit Praepositūram Ecclesiae Atinensis.

XVI. Hodiernos commendatarios veris titularibus Doctores aequiparant (3): quum suos faciant pleno iure commendatae Ecclesiae fructus, liberamque administrationem exerceant instar titularium. S. Congregatio Concilii praeterea censuit posse commendatarium non secus, quam superiorem regularem, dimissorias litteras ad Ordines concedere, si constet monasterio commendato, eiusque monachis id privilegium fuisse concessum nominatim (4). Gregorius XIII. ad interrogata Concilii Rothomagensis anno 1581. rescripsit ex S. Congr. Conc. sententia: *commendatarios inter Abbates esse in Synodo recipiendos: Abbates benedictos, et qui usum mitrae habeant, praecedere debere commendatarios:* neutros vocem *definitivam, sed* consultivam *tantum habere* (5). Propterea commendam nunc parum, vel nihil differre a titulo collationis, eamque tituli etiam canonici vim habere consentiunt Doctores (6).

XVII. In Gallia omnes commendatarii ad sacros Ordines intra annum suscipiendos coguntur. Nam in eodem provinciali Concilio Rothomagensi decretum est, ut *Abbates, et Priores regulares, atque etiam exempti, aut*

eodem. Sed loquens palam textus hic *de institutis rectoribus* tacito sensu excludit praescriptionem in commendatarjis, Passerin. in *eod. cap.* 5. *num.* 21.

(1) Videsis dicenda inferius hoc eodem *cap. num.* 27.

(2) *Gl. in can. qui plures C.* 21. *qu.* 1.

(3) Fagnan. in *cap. in Ecclesiis de capell. monachor. num.* 5. Melitensium equitum Ordinis S. Io. Hieros. commendas instar beneficiorum ecclesiasticorum habet Rota coram Lancellotto *dec.* 221. 332., *et* 565. alibique. Videsis Escano *in propugnac. Relig. Hierasolym. discept.* 10., *et* 11. At commendas Ordinis S. Stephani Calatravae de Spatha officiis temporalibus aequiparari, et vera beneficia non esse commonet Ant. M. de Nigris *lib.* 1. *de vacat. beneficior, cap.* 12. *num.* 13.

(4) S. Congr. apud Gallemart. *in declarat. ad cap. ordinationes* 8. *sess.* 23. *de ref. num.* 4. §. *item.*

(5) Ex actis Conc. provinc. Rothotomagensis an. 1581, cui praesedit Carolus Cardinalis Borbonius, apud N. Alexand. *in hist. saec. XVI. cap.* 7. *art.* 4. *num.* 23.

(6) Gomesius, Mandosius, Kokier, Rigantius *in Canc. Reg. XXX. num.* 32. Rota coram Penia *dec.* 1321., *et* 1409, tum *dec.* 569. *par.* 5. *rec. num.* 41., *et dec.* 523. *num.* 51., *et seq. par.* 19. *rec.*

commendatarii, *si aetatem praescriptam a iure ad suscipiendos sacros Ordines attigerint, intra annum promoveantur: facultatesque de non promovendo, praeterquam in casibus a Iure expressis concessae* ad annum *tantum suffragentur: alias Episcopus pro suo iure agat usque ad declarationem vacantium omnium beneficiorum. Promoti vero iisdem legibus ad* celebrandam Missam, *quibus omnes presbyteri, atque Episcopi obligentur, et compellantur ab Ordinariis, si fuerint contumaces, aut contemptores, Commendatarii, quamvis ad* regularem observantiam *non obligentur, ne tamen fiant sine iugo, atque omni regula, decet eos* medium statum, *atque ordinem sequi, et ostendere inter regulares, et saeculares clericos in vestitu, in victu, et in omni conatu.* Tonsura *utantur ampliori, quam Sacerdotes*, habitu *propius ad* regularem *accedente, nec existiment sibi commendatum monasteriorum regimen ad* luxum, *et prodigalitatem, aut augendam rem suam, et consanguineorum familiam, sed ad piam, et iustam alienarum rerum dispensationem, et quarum non habent* proprietatem, *Deoque de omnibus reddendam esse rationem* (1). Propterea in apostolicis litteris commendas in Gallia conferentibus additur de stylo decretum, ut infra annum sacris initientur, alioquin eo elapso, vacent ipso iure commendae (2). Ex decreto Concilii Rhemensis an. 1583. in Gallia *compelluntur quoque commendatarii, vel eorum vicarii, ut intersint* visitationibus, *visitatoresque honeste excipiant, et executioni mandent quae in eis statuta fuerint* (3).

XVIII. In Italia, et alibi neque ad sacros Ordines suscipiendos, neque ad residentiam commendatarii communi iure adiguntur: si monasteria omni cura spirituali, et conventu carent, vel si temporalem solummodo iurisdictionem habent, vel si animarum cura sacramentalis non commendatario, sed conventui solum incumbit, vel si iurisdictionem sacramentalem ex indulto apostolico habentes nequeant actu exercere ob externa impedimenta de facto, vel si iurisdictionem spiritualem actu exerceant sine cura animarum. E contrario ad utrumque tenentur: si animarum cura sacramentalis, vel monachorum, vel saecularium adnexa ipsimet commendatario sit (4).

XIX. Temporaneam ad sex menses commendam antiquo iure nedum Episcopus, sed Capitulum etiam Sede vacante posset concedere, ubi vel evidens necessitas, vel utilitas Ecclesiae suaderet. In Concilio enim Lugdunensi sub Gregorio X. statutum est (5), ut nemo Ecclesiam parochialem alicui commendare praesumat, nec umquam ultra sex menses: alias ipso iure irrita habeatur commendatio. Plures quidem parochiales Ecclesias nemini licuisse ab Episcopo obtinere, nisi unam in titulum, et alteram in commendam liquet ex antedicta Leonis IV. epistola (6). Rescripsit etiam Honorius III. Archidiaconum Ambianensem nequivisse canonice habere duas parochiales concessione Archiepiscopi Rothogensis in titulum, licet

(1) Conc. Rothomagen. *tit. de monasteriis cap.* 4. Idipsum iisdem fere verbis constituit Conc. Aquense an. 1585. *tit. de monasteriis.*
(2) Gallemart. in *adnotat. ad cap.* 2. *sess.* 6. *de reform.*
(3) Conc. Rhemense *tit. de Regular. et eor. monast. cap.* 21.
(4) Ex adnotationibus Gallemart, *ad cit. cap.* 2. *Trid. sess.* 6. *de ref.*
(5) Greg. X. *in cap. nemo deinceps* 15. *de elect. in VI.*
(6) Leo IV. in *cit. can. qui plures* 3. *C.* 21. *qu.* 1.

alteram *intitulatam*, alteram vero *commendatam* habere permisisset (1). At Concilium Tridentinum privatos ipso iure beneficiis ipsis maluit eos, qui duo, vel plura imcompatibilia *per viam* quoque *commendae perpetuae, aut alio quocumque nomine, et titulo retinere praesumpserint* (2). Hinc S. Congregatio Concilii declaravit commendas, quae ad sex menses in Ecclesiis curatis fieri olim poterant ab Ordinariis locorum iuxta canonem Lugdunensem, aliosque antiquiores nunc locum non habere amplius post Tridentinum (3). Hoc enim postremo Concilio oecumenico statutum est in vacantibus Ecclesiis parochialibus deputandos fore ab Episcopis non commendatarios semestres, sed vicarios, seu Oeconomos cum congrua eorum arbitrio assignatione portionis fructuum, qui onera earumdem Ecclesiarum sustineant, donec de rectoribus provideatur (4).

XX. Itaque Romani tantum Pontificis suprema potestas commendas monasteriorum, Ecclesiarumque perinde perpetuas, ac temporaneas indulget, cui soli ius est sacris disciplinae canonibus, et cuiuslibet Concilii Oecumenici decretis apostolica dispensatione derogandi, quoties maluerit ad libitum suum quomodolibet commendare, quam conferre in titulum beneficia quum regularia, tum saecularia. Leo XI, qui sedit vix dies viginti septem, an. 1605. omnia beneficia et regularia, et saecularia, quae ante obitum Clementis VIII. praedecessoris sui vacaverant, valorem annuum ducentorum auri de camera non excedentia, insigni exemplo ad sex menses commendavit tribus S. R. E. Cardinalibus Gallo, Razelio, et Madruzio (5). Et vicissim beneficia clericorum saecularium religiosis professis quandoque in commendam, et administrationem concesserunt Summi Pontifices, praesertim Innocentius XII, et Clemens XI. a Rigantio laudati (6). Hodiernae simul litterae, seu bullae Sedis Apostolicae ostendunt morem, stylumque concedendi S. R. E. Cardinalibus nedum Cathedrales Ecclesias, et monasteria, sed beneficia quaelibet, etiam simplicia clericorum saecularium in commendam perpetuam, quae ceteris clericis in titulum conferuntur, etiam cum dispensatione super pluralitate incompatibilium. Per Cancellariae Regulam II. Sedi Apostolicae reservata monasteria generatim excedentis ducentos annuos florenos auri, tam si conventum habeant, quam non, superius dixi (7).

XXI. Nonnullis autem Cardinalibus, aliisque benemeritis, et insignibus Praelatis indulserunt aliquando Pontifices ipsi, in his Urbanus VIII., Innocentius X, Alexander VII, Clemens IX., et X, Alexander VIII, Innocentius XII, et Clemens XI, facultatem commendandi beneficia, et monasteria tam commendari consueta, quam non, ea lege, ut novam apostolicam provisionem isti commendatarii deberent intra menses aliquot obtinere (8).

(1) Honor, III. in *cap. dudum* 54. *de elect.*
(2) Trid in *cap. quicumque* 4. *sess.* 7. *de reform.*
(3) Apud Gallemart *in declarat. ad idem cap.* 4. *sess.* 7. *n.* 7., *et ult.*
(4) Trid. in *cap. expedit* 18. *sess.* 24. *de reform.*, ubi Gallemart. *in declar. num.* 10. fert duos aureos pro singulis mensibus a S. Congr. Conc. aestimatos pro conditione loci fuisse congruam vicarii curati portionem.
(5) Ex Rigant. *in Reg.* 63 *Canc. num.* 8.
(6) Rigant. in *Reg.* 43. *num.* 19.
(7) *Cap.* 5. *de reservat, et affect. num.* 88.
(8) Apud Rigant., *ibid. num.* 30., *et seq.*

Ad abusus autem in eiusmodi indultis reformandos, Congregatio particularis a Clemente XI. deputata decrevit die 16. Ian. 1701, 1: ut indulta commendandi non concedantur ad vitam, sed ad quinquennium, aliudve tempus limitatum personis tantum eximiis, et benemeritis, quibus numquam liceat commendare prioratus conventuales, et officia claustralia; nec beneficia curata, nec maiores dignitates Cathedralium, et Collegiatarum, nec resignata in manibus Papae, nec vacantia quomodolibet apud Sedem Apostolicam, neque fundata in patria obedientiae apud Gallos; utque iis tantum Ecclesiae, et beneficia non excepta commendent, qui possint, ac velint recuperare bona alienata, ac restaurare aedificia Ecclesiarum: iisque recuperatis, ac refectis *in titulum* exinde conferant. Praeterea ut novis provisionibus apostolicis novarum eiusmodi commendarum addatur decretum *revertendi in titulum*, ab Apostolica Sede petendis infra menses octo a die provisionis vigore indulti, et non concedendis, nisi ante constiterit necessitas restaurandi aedificia, et bona ipsius recuperandi (1). Quandoquidem novae commendae iterationem denegare potius, quam concedere Apostolica Sedes consuevit (2).

XXII. Reges etiam, supremique Principes Ecclesias, beneficia, et Abbatias regii patronatus cum iure quum nominandi, vel praesentandi, tum conferendi, nequeunt sine indulto speciali Sedis Apostolicae in commendam dare ad vitam, vel ad tempus limitatum: nec saeculares clericos ad regularia, aut regulares ad saecularia promovere suo vel nominationis, vel collationis iure, nisi accesserit Papae auctoritas (3).

XXIII. Cancellariae Regula XLIII. disponit: *quod nulli saeculari de regulari, nec religioso de saeculari beneficio commenda detur, nisi in signatura, vel per clausulam ad partem super petitione commendae huiusmodi de commenda ipsa mentio fiat.* Et quoniam commendatum beneficium vacat *de facto* dumtaxat per cessum, vel decessum commendatarii, idemque simul *de iure*, *et de facto* vacat, *ut prius* vacaverat ex persona illius titularis, per cuius obitum, vel cessionem illud ipsum Sedes Apostolica primum commendavit ex rebus a Dataria, et Rota saepe iudicatis (4): oportet idcirco ad vitandam obreptionem, ut impetrans enarret postremam vacationem *de facto* per cessum, vel decessum ultimi possessoris commendatarii. Nam si solam narraret vacationem *de iure, ut prius*, quae ad titulum redit, commendam reticens, eiusmodi dolosae preces gratiam collationis vitiarent.

XXIV. Haec forma verborum inolevit in pontificiis litteris monasteria ea commendantibus, quae dari in commendam consueverunt: *ut commodius onera sustentare valeas, de alicuius subventionis auxilio provideri cupientes, monasterium N. auctoritate apostolica tibi concedimus*, et commendamus, *ac providemus, per te* quamdiu vixeris, *tenendum, et possidendum, ita quod durante commenda huiusmodi de fructibus, redditibus, et proventibus ipsius monasterii* disponere, et ordinare *valeas, sicut veri Abbates, et Priores ipsius; qui fuerunt pro tempore, ordinare, et disponere potuerunt, et*

(1) Ibidem *num.* 32.
(2) Rigant. *ibidem num.* 71.
(3) Fagnan. in *cap. cum causam* 12. *de elect.* Rigant. *loc. cit. n.* 43. *et* 44.
(4) Apud Rigant. *in Reg. I. Canc.* §. 7. *num.* 233, 247., *et* 258.

etiam debuerunt, alienatione tamen bonorum immobilium, et pretiosiorum mobilium tibi penitus interdicta. Si tamen clausulae istae in bullis apostolicis omitterentur, commendatarius fructus non faceret suos: sed rationem redditurus de eis futuro titulari esset, instar depositarii. Si adsit autem sufficiens in commendato monasterio familia religiosa, haec litteris pontificiis adiicitur clausula: *quod propter commendam nostram huiusmodi solitus monachorum, et ministrorum numerus non minuatur* (1).

XXV. Quoties vero acciderit monasterium aliquod novae commendae subiici ob urgentem aliquam caussam necessitatis, vel utilitatis iam expositam, hae aliae conditiones, et clausulae litteris apostolicis adduntur. *quod dictus N. in primis, et ante omnia teneatur* cautionem idoneam *in actis Curiae episcopalis de* restaurandi *dicti monasterii* aedificiis, *illiusque* bonis *alienatis* recuperandis *praestare, ac in restauratione huiusmodi summam Episcopo, sive tibi* (executori) *bene visam infra terminum ab eodem Episcopo, sive a te statuendum, ratam partem scilicet summae huiusmodi singulis annis expendendam, et de praemissorum implemento in actis eiusdem Curiae Episcopalis in fine cuiusque anni docere: alias cautione huiusmodi non praestita, vel etiam ea praestita, et infra terminum praefatum restauratione usque ad summam designatam non facta, ac in actis praefatis non iustificata, in quemlibet eventum huiusmodi* commenda *de dicto monasterio* cesset, *eaque cessante, dictum monasterium* vacet eo ipso, *et dictus N. ad* restitutionem *omnium fructuum perceptorum per censuras ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris, et facti remedia cogi, et compelli possit, et debeat. Volumus praeterea, quod dicto N.* cedente, *vel* decedente, *aut alias dictum monasterium quomodolibet dimittente, vel* amittente, *illud amplius non commendetur, sed ad* pristinam tituli naturam reverti, *et personae regulari idoneae conferri debeat, ac si dicto N. numquam commendatum fuisset: et si commendari contigerit absque speciali mentione, et derogatione posterioris voluntatis nostrae, huiusmodi commenda de dicto monasterio nulla sit eo ipso* (2).

XXVI. Sunt qui vellent, in his monachi potissimum, commendas omnes radicitus convellere, tamquam abnormes, et priscis Ecclesiae legibus improbatas: dum exagerant plus aequo, declamantes perniciem regularis disciplinae, ruinas aedium sacrarum, luxum commendatariorum ex eis promanantia. Vicissim alii corruptos mores Regularibus ipsis exprobrant, profligatam e claustris paupertatem, degenerem a primitiva institutione formam vivendi, abusum pecuniae: unde palam sit necessitas sustinendi commendas nedum consuetas in monasteriis conventu fratrum carentibus adhuc, verum in pinguioribus etiam in religiosa familia instructis, quae portionem congruam redditaum pro sua mensa, et substentatione iam habet seiunctam a redditibus commendatariorum. Qui privato interea calamo student leges, ac mores ita receptos emendare in melius, et veterem Ecclesiae disciplinam instaurare, dum novam vigentem carpunt audacissime; ii quidem ipsi non vident mobilem disciplinae naturam arbitrio summarum sollummodo potestatum subiectam, eoque minus capiunt caussas eiusmodi mobilitatis pro conditione temporum, locorum,

(1) Ex Rigant. *ibidem num.* 51.
(2) Rigant. *ibidem num.* 60.

personarum varias. Abusus itaque varios in commendis simul, et titulis, aliisque rebus Eclesiae ortos, et repullulantes in diem vitio non legis novae, sed hominum vertunt rectius aequi rerum aestimatores: usum proficuum, et quandoque necessarium probant, et collaudant: Synodus Tridentina eas propterea non improbandas censuit. sed nonnullos reformavit abusus, alios Romani Pontificis pietati, ac prudentiae corrigendos reliquit pro conditione temporum, et locorum. Nam Principes, qui nominandi ius habent, praesertim Galliae Reges usque adeo passi non sunt regium sibi froenari arbitrium nominandi Regulares dumtaxat ad Abbatias monasteriorum, quum clericos plerumque saeculares consueverint ad eas regiis nominationibus promovere (1): ut non dubitent Galliae scriptores Summo Pontifici negare facultatem reducendi in titulum monasteria commendari solita (2).

XXVII. Abbatiam Praeceptoriae generalis Neapolitanae S. Antonii Viennensi monasterio Viennensi in Delphinatu olim unitam Paulus V. Io. Baptistae Victorio primus omnium commendavit, mox Urbanus VIII. Cardinali Magalotto nedum in commendam dedit. sed unionem ipsius, omniumque adnexorum dissolvit, nullumque ius deinceps Viennensi monasterio in ea superesse decrevit anno 1626. (3): cui pro substendando procuratore generali in Curia Romana praeceptoriam S. Antonii civitatis Sarnensis adnexuit. Subsecuti deinde Pontifices Archiepiscopis Neapolitanis eam commendare gradatim consueverunt Omnia vero beneficia ubilibet intra Regnum consistentia sub eodem titulo S. Antonii quum libera, et simplicia, tum de iurepatronatus, et curata ad collationem, vel institutionem ordinariam istius Abbatis olim titularis, nunc commendatarii pertinere palam est (4). Nam S. Congregatio particularis sub Urbano VIII. in Neapolitana Praeceptoriae S. Antonii Viennesis 6, Iulii 1627, ad quinque postulata dubia respondens censuit 1: Praeceptorem generalem *habere fundatam intentionem conferendi praeceptorias, et alia membra generalis praeceptoriae* in toto Regno, *nec non cetera beneficia, quae conceduntur in constitutione Clementis VII, sive ratione eiusdem privilegii, sive ex dispositione Iuris communis.* 2: extendi ad beneficia etiam iurispatronatus laicorum: *quoad institutionem una cum iure devolutivo.* 3: eadem beneficia *esse manualia de sui natura, exceptis curatis, et electivis.* 4: *ea non cadere sub reservatione: posse tamen cadere sub affectione, nisi haec tollatur per indultum, cuius copia transmittatur.* 5: *Ordinarios non posse conferre, nisi obstet legitima praescriptio cum requisitis* Perusinae I. Benvignati coram Pamphilio, et Ferrariensis coram Penia, *et nisi obstet ultimus status cum requisitis* (5).

XXVIII. Ad commendas Melitensium equitum S. Io. Hierosolymitani

(1) Id quod observat N. Alexander in *hist saec.* 16. *dissert.* 12.

(2) Fleury Inst. *Iur. canon. par.* 2. *cap.* 26.

(3) S. Congr. Conc. in *Neap. collationis benefic.* 8. *Iulii* 1690. Rota in *Neap. seu Tranen. praeceptoriae* 20. *Iun.* 1696. coram Molines, apud Rigant. in *Reg. IV.* §. 4. *num.* 15.

(4) Ex Clementis VII. *const.* 2. §. 19, Rota *dec.* 71. coram Durano, Montan. *contr.* 81., S. Congr., et Rota apud Rigant. *loc. cit. num.* 20., *et* 57.

(5) S. Congr. particularis apud Rigant. *ibidem num.* 52.

hactenus dicta non pertinent. Huius enim sacri militaris Ordinis, et commendae, et baiulivatus, et prioratus, et praeceptoriae, et hospitalia, et cetera beneficia nullis subiacent apostolicis reservationibus, nec Regulis Cancellariae, etiamsi apud Sedem, et intra duas ab Urbe diaetas quomodolibet vacaverint (1): quum ipsamet Regula IV. Cancellariae reservans dignitates conventuales, et praeceptorias Ordinum quorumcumque, palam excipiat beneficia *militarium*, scilicet Ordinum militarium. Sed a M. Magistro eiusdem Ordinis conferuntur, ubi iurisdictionem, administrationemque adnexam habeant, nonnisi equitibus antiquioribus in eo professis tantum cuiusque linguae, seu nationis, salvo antiquioribus iure optandi iam superius exposito. Non professis indulgere aliquando consuevit Sedes Apostolica, ut possent commendas eiusmodi iurisdictionem habentes obtinere cum onere emittendi professionem (2). Quae tamen iurisdictione sunt expertes, eas conferri personis etiam non professis, sed ad profitendum idoneis, suscepto habitu licebit (3). Administrationem, liberamque in pios usus dispositionem, sicut beneficiarii clerici saeculares, utique habent commendatarii, baiulivi, ceteri hospitalarii Melitensis religionis (4): sed non proprietatem, quae ipsi manet Ordini adnexa (5). Iique ad residentiam tenentur, alias fructus non faciunt suos (6). Aequitas iuris tum suasit, ut cuiusque nationis, et linguae commendas, baiulivas, ceteras Ecclesias, domosque religiosas administrandi, seu adipiscendi ius haberent soli eiusdem equites, exclusis alienigenis (7). Hinc plura in Capitulis generalibus decreta de commendarum diviso, vel promiscuo usu inter plures eiusdem linguae prioratus, vel plures eiusdem Regis provincias (8). In hoc autem Regno Neapolitano statim ac imperiali rescripto Caroli VI. cautum est, ut nonnisi regnicolae cunctas Regni Ecclesias, et beneficia quaelibet

(1) Ex Pii IV. *const.* 9. §. 5., *et* 23, Rota coram Puteo *dec.* 138. *lib.* 1. Achille de Grassis *dec.* 9. *tit. de praebendis*, Escano *in propugn. Relig. Hierosol. discept.* 10. *cap.* 3. *num.* 13., *et seq:* Rigant. *in Reg. I. Canc.* §. 1. *num.* 319. Multas nihilominus collationes commendarum, beneficiorumque sacrae ipsius Religionis, dum in Curia, et apud Sedem vacassent, ab Apostolica Sede factas fert Rigantius *ibidem num.* 323. Idemque addit in §. 7. *eiusdem Reg. I. num.* 57. vacare per promotionem ad Episcopatum commendas, et prioratus Ordinis S. Io. Hierosolymitani: Summum vero Pontificem de iis, non ut reservatis disponere, sed locum dare *smutitioni*, ait, favore *antianorum*, ex Rotae *dec.* 221, 532., *et* 566. *in Milevitana commendae* coram Lancetta.

(2) Rot. *dec.* 329. *par.* 2. *rec.*, Thomassin. *par.* 2. *lib.* 3. *cap.* 20., Rigant. *in Reg. LIX. Canc. num.* 11.

(3) Escano *loc. cit. discept.* 13. *cap.* I. *num.* 25. Rigant. *ibidem num.* 6. Tertia, et quarta ex decem regulis generalibus Ordinis S. Io. Hieros. per eum expositis Clero Gallicano ita se habent. 3. *Quod iuspatronatus providendi, et instituendi personas idoneas ad baiulivas, prioratus, praeceptorias, hospitalia, membra et alia beneficia, et loca dicti Hospitalis ad Magistrum, et Conventum spectat.* 4. *Beneficia dicti Ordinis obtinentes, et fructus percipientes infra* sex menses *post intimationem habitum suscipere, et professionem emittere tenentur.*

(4) Rigant. *in Reg. XLII. num.* 283.

(5) *Ex statutis Ord. Hierosol. tit.* 5. *num.* 1.

(6) *Ex iisdem statutis tit.* 18.

(7) *Ex Statut. tit.* 5. *num.* 14.

(8) Videsis Iacobum Bossium *in hist. Melitensi.*

obtineret: religiosi equites Melitenses nostri iure merito postularunt sese eo ipso indulto frui etiam debere.

CAP. XII.

De precum veritate subreptione et obreptione in impetrationibus (*)

I. Collationibus pontificiis ea semper inest conditio, si preces veritate nitantur.
II. Easque tam subreptio falsitatem suggerens, quam obreptio veritatem reticens rescindit.
III. Quum dolosa obreptio, vel subreptio, tum quae sine dolo caussam gratiae dederit, irritas ipso iure litteras efficit: secus, quae non caussa fuit collationis, et sine fraude irrepsit.
IV. Impetrantis, et nomen cum agnomine, et dioecesis, ea etiam, in qua sit beneficium, sunt exprimenda.
V. Simul et qualitas beneficii.
VI. Et valor annus certorum reddituum.
VII. Levis error in sexta parte toleratur pro sustinenda collationis gratia, nullus pro impetratione posteriori.
VIII. Certi redditus, deductis oneribus, in exprimendo valore computantur.
IX. Errorem valoris plura excusant, eumque licet in expeditione bullarum emendare, augendo valorem in tertia parte.
X. In concistorialibus valor antiquus in libris Camerae taxatus attenditur, in aliis nonnumquam Regulae derogatur.
XI. Resignationes irritas facit maioris valoris dolosa expressio.
XII. Ordinariorum collationibus nil officit valor vel reticitus, vel falso expressus.
XIII. Annatarum species quatuor expressionem valoris postulant.
XIV. Vacationis modum certum exponi etiam oportet.
XV. Alius vacationis modus non suffragatur, nisi expressus revera de facto acciderit.
XVI. Quaevis possessio facti reticita vacationem veram excludit in litteris generaliter expressam.
XVII. In collationibus Ordinariorum vacationis modus impune reticetur.
XVIII. Quonam mense reservato, et an in Curia, vel extra eam acciderit vacatio, narrandum simul est.

(*) Ad *tit. XLIII. lib. I.* Decretal. *de rescriptis.*

XIX. Et an familiaris Cardinalium is fuerit, per cuius cessum, vel decessum vacat beneficium.
XX. Impetrantis praeterea dignitas, aliorumque beneficiorum possessio.
XXI. Numerus item praebendarum, et canonicatuum in Ecclesiis numeratis non excedendus.
XXII. Errores in impetrationibus admissi novis vel precibus, vel provisionibus emendari solent.
XXIII. Emendatio aliis nocitura difficilior est.
XXIV. Levia errata facile diluuntur.

I. Collationes a Sede Apostolica ad petitionem beneficiariorum expeditae hanc semper continent conditionem vel expressam, vel tacitam, *si preces veritate nitantur* (1). Enimvero hanc ipsam, quoties in pontificiis litteris non pateat expressa, subintelligendam esse declaravit Alexander III. (2). Cumque consueverint in supplicatione, et signatura gratiae, quae litteras praeit, sigillatim Pontifices rescribere *fiat ut petitur*, ad narrata, et exposita sese huiuscemodi verbis referre satis indicant. Tum Cancellariae Regula LXI. palam iubet, *quod in litteris super beneficiis per constitutionem* execrabilis *vacantibus ponatur clausula*, si est ita: *similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus* (3). Civili etiam iure cautum est, ut *responsuro Principi vera precatio rem aperiat cognoscendam* (4).

II. Quamobrem tacita veritate, vel suggesta falsitate extortae litterae tamquam subreptitiae, vel obreptitiae sunt irritae, nulliusque momenti (5): quum suffragari non debeant ei, qui suppetit. *Subreptio* dicitur, quum falsis, et mendacibus precibus rescripta impetrantur: *obreptio* autem, quum veritas in precibus reticetur. Sed quandoque Pontifices, et Icti eisdem vocibus promiscue utuntur, nullum discrimen inter eas quoad effectum facientes (6).

III. Innocentius III. hanc perpetuam tradidit normam pro diiudicanda nullitate litterarum apostolicarum. Ubi dolosa, vel fraudulenta obreptio, seu subreptio fuerit, semper irritas ipso iure litteras esse. Ubi autem sine dolo, ac fraude, sed ignoranter, bonaque fide veritas tacita, vel mendacium expositum sit, qua expressa, quove tacito Pontifex nullas prorsus litteras dedisset, vel aliquod celatum sit, quod expressum in diversam sententiam Pontificis animum traxisset: eas pariter esse invalidas, tam-

(1) *Nam in contrahendo quod agitur, pro cauto habendum est*, Pomponius ait in *l. cum quid* 3. *D. de rebus creditis, et si certum petatur.*
(2) Alexand. III. in *cap. ex parte* 2. *de rescriptis.*
(3) Hanc ipsam clausulam *si est ita*, similem alteri, *si preces veritate nitantur*, probavit Innocentius III. in *cap. olim ex litteris* 25. *eod. tit.*
(4) Sic Theod, et Valentin. Florentin. rescripsere *l. instrumentorum* 8., *et ult. C. de precibus Imp. offerendis.*
(5) Innoc. III. in *cap. cum nostris* 6. *de concess. praeb. cap. cum dilecta* 22. *de rescriptis*, Greg. IX in *cap. ex insinuatione* 37. *eod. tit.*
(6) Emm. Gonzalez *ad cap.* 20. *de rescriptis num.* 4.

quam concessioni caussam dantes. Secus vero, si veritate exposita, mendaciove suppresso adhuc litteras Papa concessisset: tunc enim delegatus secundum Iuris ordinem ad eas exequendas procedere poterit. *Nos igitur*, Pontifex ait, *inter eos, qui per* fraudem, *vel* malitiam, *et illos qui per* simplicitatem, *vel* ignorantiam *litteras a nobis impetrant, huiusmodi credimus discretionem adhibendam, ut hi, qui priori modo* falsitatem exprimunt, *vel* supprimunt veritatem, *in suae perversitatis poenam* nullum *ex illis commodum consequantur, ita videlicet, quod delegatus, postquam sibi super hoc facta sit fides, nullatenus de caussa cognoscat. Inter alios autem, qui posteriori modo litteras impetrant, duximus distinguendum quae falsitas suggesta fuerit, vel quae veritas sit suppressa. Nam si talis expressa sit falsitas, vel veritas occultata, quae* quamvis fuisset tacita, vel *expressa*, nos *nihilominus saltem in forma communi litteras* dedissemus, *delegatus non sequens formam in litteris ipsis adpositam, secundum ordinem iuris in causa procedat. Si vero per huiusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem etiam veritatis litterae fuerint impetratae, qua tacita, vel expressa*, nos nullas *prorsus litteras* dedissemus, *a delegato non est aliquatenus procedendum, nisi forsitan eatenus, ut partibus ad suam praesentiam convocatis, de precum qualitate cognoscat, ut sic in utroque casu eadem ratio, quae delegantem moveret, moveat etiam delegatum, et ubi delegans suas litteras denegaret, delegatus etiam suae cognitionis officium nullatenus interponat* (1). Hinc necessum est recte intelligere, quae debeant pro impetrandis beneficiis exprimi, simul, et clausulas adiici solitas in litteris apostolicis de stylo Curiae Romanae pro diiudicanda validitate, vel nullitate provisionis apostolicae.

IV. In primis ergo exprimi debet supplicantis nomen, agnomen, et dioecesis, in qua et is ortum, vel fixum domicilium habuit, et beneficium situm est: ne locus pateat in duobus Titiis, vel duobus corporibus errandi. Papa enim indigenis mavult, quam exteris providere cuiusque dioecesis Ecclesias, et beneficia, praesertim curata, quae nulliter impetrant exteri nescientes idioma loci (2). Nec violanda locorum statuta, et privilegia sunt, quibus cautum alicubi speciatim est, ut amotis, et exclusis omnino exteris, beneficia, et pensiones ecclesiasticas possent soli, aut regnicolae, aut dioecesani, aut indigenae huius, illiusve urbis, vel loci obtinere: quemadmodum de Neapolitanis, et Siculis, et Capuanis iam dictum supra (3).

V. Qualitas beneficii, num scilicet simplex, vel curatum, dignitas, vel personatus, vel liberae collationis, vel de iure patronatus, vel electivum quoties reticeatur, nullitatem litterarum inducit ex Cancellariae Regula LVII. (4). Eoque vel maxime qualitas exprimenda est singulorum mona-

(1) Innoc. III. Canonico Pictaviensi in *cap. super litteris* 20. *de rescriptis*.
(2) Ex Canc. Reg. XX. *de idiomate*, quam superius explicui *cap.* 9. *num.* 28.
(3) *Cit. cap.* IX. *de beneficiariis num.* 35., *et* 36.
(4) *Canc. Reg. LVII.* de expressione qualitatum benefic. in impetrationibus *vult*, quod super beneficiis ecclesiasticis de qualitatibus illorum, *videlicet*, an dignitates, personatus, vel officia sint, eisque immineat cura animarum, et ad illa consueverint per electionem assumi, mentio fiat: alias gratiae desuper factae sint nullae. Etsi qualitates huiusmodi affirmative, vel conditionaliter non exprimantur, negative espresse desuper fiat in beneficiis, quae tales qualitates, vel eis aliquas consueverint habere.

steriorum, quae *capita* sunt, et primates Ordinum (1), sive abbatiae, sive prioratus filiae illorum capitum nuncupantur: aliter impetrandi obreptitio nequaquam subsequens possessio etiam triennalis suffragabitur (2).

VI. Deinde verus annuus valor fructuum, seu redditumm vacantis Ecclesiae, seu beneficii per florenos auri, aut ducatos auri de Camera, seu aliam monetam secundum communem aestimationem exprimendus est: alioquin ob fallacem valoris narrationem nullas fore collationum gratias, sancitum est Cancellariae Regula LV. (3), tam ob interesse annatarum, quam ut Papa certiorem habeat notitiam qualitatis beneficiorum pro recta eorumdem distributione (4), provisurus, ne qui reticitio, vel deminuto valore suum supra meritum, et indigentiam plus aequo de beneficiis accipiat, neque per falsam valoris expressionem aequum pontificiae dispensationis modum intervertat (5). Et quamquam annata non solvatur pro beneficiis 24. ducatos auri de Camera non excedentibus: verum quoque valorem oportet beneficil quantumlibet exigui exprimere (6).

VII. Stylus nihilominus invaluit tolerandi excessum valoris in sexta parte, seu sustinendi collationem apostolicam, quamvis constiterit, quod vera fructuum quantitas in sexta parte expressam quantitatem excedat (7). De minimis enim curare Praetor non solet. Si quis vero impetraverit ob falsam valoris expressionem beneficium alteri iam collatum, narrans fructus eiusdem ex gr. *ascendere* ad ducatos quadraginta, quos alter falso exposuerat ducatos 24. *non excedere*: impetrans cogitur usque ad obulum ostendere valorem fructuum, quem expressit per *ascensum*, nullam erroris vel levissimi tolerantiam experturus in alterius detrimentum (8).

VIII. In valore huiusmodi exprimendo, et probando certi redditus tantum computantur; non incerta emolumenta, quae solent intuitu persona-

(1) Ea recensui superius *cap.* 11. *num.* 11.

(2) Trid. in *cap. cum pleraque* 21. *sess.* 25. *de Regularib.*

(3) *Canc. Regula LV.* de exprimendo valore in impetrat. *disponit*, quod in gratiis, quas quibusvis personis de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis fieri contigerit, illorum.. verus annuus valor per *marchas argenteas*, aut *sterlingorum*, vel *libras Turonenses parvorum*. seu *florenos auri*, aut *ducatos*, vel *uncias auri*, seu *aliam monetam* secundum communem aestimationem exprimatur: nisi personae praedicta beneficia, quae tum obtinuerint, aut in quibus, vel ad quae ius eis competit, iuxta ipsarum oblationes, aut alias dimittere teneantur: alioquin gratiae praedictae sint nullae. Et idem servetur in gratiis, quas a S. S. *motu proprio* emanare contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus per S. S. pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut alias disponitur, ac litteris, per quas pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchalium, Cathedralium, ac monasteriorum regimina *promotis* conceditur, ut *monasteria*, et *alia beneficia* ecclesiastica saecularia, et regularia per eos obtenta, et in quibus, et ad quae ius eis competit, *retinere possint*. De valore ducatorum auri de Camera, et florenorum, eorumque ratione ad huius Regni monetam superius sat dixi *cap. de reservat., et affect* *num.* 38.

(4) Rot. *dec.* 185. *par.* 3. *rec. num.* 3, Card. de Luca *de benef. disc.* 90. *num.* 8.

(5) Ut notat Gomesius in proemio ad eamdem Reg. LV. *de expr. valore.*

(6) Rigant. *in Reg. LV. num.* 19.

(7) Card. de Luca in *summa de benef. num.* 158., *et cit.disc.* 90., Rota, et alii apud Rigant. *loc. cit. num.* 95.

(8) Rota coram Cerro *dec.* 578. *num.* 5.; et alii apud Rigant. *ibid. num.* 100., *et seq.*

lis tantum servitii, et praesentiae in functionibus adventitiis adquiri (1): et *distributiones quotidianae* appellantur (2). Et e contrario deducuntur onera necessaria.

IX. Erroneam valoris expressionem saepe excusat mobilis bonorum locatio, credulitas ex publica fama, consimilis narratio in provisione praedecessoris, immutatio consueti status beneficii, ceterae huiusmodi caussae: praesertim vero clausula cum facultate augendi, vel minuendi apponi solita in supplicationibus ex Cancellariae Regula LXV, *quod fructus augeri possint in tertia parte vigore clausulae* dumtaxat in expeditione bullarum (3). Itaque bullis expeditis consummata dicitur eadem clausula, neque non integra nullam vim habet (4).

X. Ab ista tamen Regula excipiuntur concistorialia beneficia, quorum valor praesens non exprimitur, et bullae expediuntur habita ratione antiqui valoris in libris Camerae apostolicae taxati, quamvis vel augmentum, vel deminutionem passus ille fuerit. Et quandoque Pontifex eidem Regulae derogat, praesertim in provisionibus motu proprio, in quibus valorem, vel ignoratum, vel qualitercumque tacitum declarat pro expresso habere. Addit Rebuffus beneficii valorem exprimi non debere, cuius retentio per apostolicam dispensationem, non prima collatio impetretur (5).

XI. In resignationibus non minui, sed augeri per fraudem solet beneficii valor, ut videatur sufficiens pensioni plus aequo volitae. Edixit autem Cardinalis Corradinus Innoc. XIII. prodatarius iussu Pontificis: *ut qui beneficia etiam simplicia resignare voluerint, teneantur exprimere in suis libellis, a quo tempore possideant beneficia, quae resignare intendunt, nec non verum annuum valorem eorumdem, praesertim quando resignationes fieri debent cum reservatione pensionis, in quibus plerumque, ut reservari possit maior pensio, valor fructuum solet augeri:* alias *resignationes fore nullas, et irritas* (6).

XII. In collationibus, quas Ordinarii faciunt, non exprimitur valor, qui reticeri olim in litteris etiam Sedis Apostolicae consueverat.

XIII. Originem istius Regulae de exponendo valore alii tribuunt Ioanni XXII, qui reservavit Sedi Apostolicae fructus primi anni beneficiorum inferiorum deinceps vacantium, exceptis episcopatibus, et abbatiis regularibus (7): alii Bonifacio IX, qui anno 1392. durante schismate ad suppe-

(1) Card. de Luca in *summa de benef. n.* 156.

(2) Idem *cit. disc.* 90. *n.* 13., *et in summa n.* 287. Si beneficii, vel praebendae fructus in quotidianis distributionibus consistunt, valorem consuevisse tunc exprimi, non excedentem 24. ducatos auri de camera tradit Rigant. *loc. cit. n.* 44.

(3) *Reg. LXV. ipsamet declarat in vim clausulae, seu concessionis eiusmodi* valorem ipsum usque ad *tertiam partem* valoris expressi, et in *prima*, quae desuper fiet, *litterarum expeditione* dumtaxat augeri posse, at eas, quas litteris iam expeditis cum expressione valoris specificati, aut non integro augmento praedicto, denuo desuper expediri contigerit, litteras cum aliquo augmento valoris huiusmodi nullius esse roboris, vel momenti, etiamsi motu proprio beneficiales gratiae, et dispositiones quaecumque a S. S. emanaverint.

(4) Rot. *dec.* 108. *par.* 10. *rec. n.* 11, Card. de Luca *cit. disc.* 90. *n.* 30.

(5) Apud Rigant. *in Reg. LV. n.* 27.

(6) Rebuff. *in prax. benef.* tit. *forma novae provisionis* verb. *eorumque fructuum n.* 1., *et seq.*

(7) Io. XXII. in *extravag.* 11. *de praebendis.*

ditandos armorum sumptus immensos imperavit, ut quicumque beneficium adipisceretur, episcopatum quoque, vel abbatiam, dimidium annui redditus fisco persolveret apostolico (1). *Annatae* nomen generaliter in quatuor species dividitur a Fagnano (2). Prima species denotat *integrum* unius anni redditum. Secunda *dimidiam* partem veri valoris annui beneficiorum inferiorum, quae integre Summo Pontifici reservatur. Tertia accipitur pro *communi servitio*, seu pro certa quantitate solvenda pro singulis episcopatibus, et abbatiis secundum taxam antiquam, cuius dimidium Papae abdicitur, reliquum sacro Collegio Cardinalium in Urbe praesentium distribuitur. Quarta pro *minutis servitiis*, seu quinque portiunculis, quae nonnullis Papae ministris, et officialibus dividuntur. Quinta pro *quindennio*, quod singulis quindecim annis persolvitur pro beneficiis perpetuo unitis iuxta Pauli II. constitutionem (3).

XIV. Vacationis *modus*, et *caussa* etiam exprimi debet. Quum vacatio per obitum a cessione, ac renunciatione differat, et hanc ea non complectatur ex textu Bonifacii VIII. (4): vacatio per obitum oportet, ut impetranti, simul ac Papae, eiusve Datario innotuerit verisimiliter ante impetrationem ex Cancellariae Regula XXX: quae gratiam irritat, nisi post obitum beneficiariorum, et ante datam gratiae tantum temporis effluxerit, quantum necesse est, ut interim vacationis notitia verisimiliter de uno ad alterum locum pervenire naturali modo potuerit (5). Pariter in vacationibus per religiosam professionem haec debet praecedere diem supplicationis ex Regula XLVI (6). Modus in Cancellaria exprimendus nullatenus admittitur, nec suffragatur ex Regula XLV (7).

XV. Addit Regula LVIII: *si reservetur beneficium per* contractum matrimonii, *non dentur alii modi vacationum de futuro, nec censeatur beneficium reservatum specialiter, vel affectum, nisi sequatur matrimonium. Sed in beneficiis per* promotionem, *aut* ingressum religionis, *vel* assecutionem incompatibilium *vacaturis ponatur clausula, etiamsi non petatur*—cum beneficia huiusmodi praemisso, vel alio quovis modo, praeterquam per obitum obtinentis vacare contigerit—*etiamsi vacent: decernens irritum etc.* Hinc Doctores consentiunt, quoties gratia collationis pontificiae ad unum aliquem vacationis modum expositum sit *dispositive* (ut aiunt) restricta: clausulam, quae de stylo adiicitur litteris apostolicis, *sive praemisso, sive alio quovis modo*, non suffragari, nisi cum primus vacationis modus expressus, cui per clausulam eamdem alii etiam incerti cumulantur, *de facto* sit verus, vel saltem habeat famae fomentum (8). Nam impetrans beneficium aliquod, hoc, vel illo modo vacans, aut diuturna vacatione ad

(1) Odoric. Raiuald. *ad an.* 1392. *n.* 5., et Platina *in vita Bonif. IX.*

(2) Fagnan. in *cap. praeterea, ne Praelati vices suas, vel Eccl. sub annuo censu concedant.*

(3) Paul. II. in *const. decet Romanum.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. susceptum* 6. *de rescriptis in VI.*, de quo dictum est supra *cap.* 10. *num.* 26.

(5) De qua supra dictum est *cap.* 6. *de collatoribus n.* 7.

(6) De hac superius dixi *cap.* 10. *n.* 20.

(7) Hanc habes exscriptam eodem *cap.* 10. *n.* 26.

(8) Card. de Luca in *summa de benef. num.* 162, Caesar de Grassis *dec.* 124. *n.* 7., Rigant. in *Canc. Reg.* 47. *n.* 54., *et seq.*, *et in Reg.* 58. *n.* 112.

Sedem Apostolicam devolutum, eam vacationem *de facto* secutam debet in primis ostendere, quam exposuit, eique non proderit sola vacatio *de iure* (1).

XVI. Eademque ratione habetur irrita impetratio beneficii, quod commendatum possideretur ab aliquo, si Pontifici exposita non fuerit commendatio (2): quamvis ob commendam non cesset prima eiusdem vacatio. Quoniam litteras de alterius licet colorata, merique facti possessione mentionem non facientes impetranti cuique nil prodesse iam novimus (3), et antequam vacent beneficia, nemini concedenda esse constituit Concilium Lateranense III. (4): vacare autem non videtur, quod commendatarium habet possessorem.

XVII. Ordinarii vero collatores motu proprio, ut dixi, beneficia distribuentes non tenentur certum in litteris suis modum vacationis exprimere, eorumque collatio rata semper erit, quomodocumque vel de facto, vel de iure vacatio contigerit (5).

XVIII. Mensis etiam reservatus, in quo acciderit vacatio, exprimendus est in precibus ex textu Regulae IX. Simul et an in Curia intra duas diaetas, vel extra eam secuta sit.

XIX. Familiaritas exponenda insuper est in beneficiis vacantibus per cessum, vel decessum alicuius ex familiaribus Cardinalium: ne fraudetur in eisdem impetrandis consensus vel Cardinalis patroni ex Regula XXXII, vel Cardinalis Ordinarii collatoris ex Regula XXXIII. (6).

XX. Dignitas quoque impetrantis, et alterius beneficii possessio nisi exponantur, nova collatio irrita est: quum velle Pontifex iure praesumatur, ut personae pluribus redditibus abundantes per litteras apostolicas pauperes clericos super minoribus beneficiis non inquietent (7). Eoque magis non valebit collatio, si falso exposuerit impetrans, qui beneficium licet exiguum possidebat, sese beneficium ecclesiasticum non adhuc esse consecutum (8). Hinc ad evitandas fraudes de stylo in litteris pontificiis, quoties dispensationem retinendi beneficia prius obtenta non postulet impetrans, adiicitur clausula, quod orator *duo, vel tria simplicia, et personalem residentiam non requirentia beneficia non habet, quorum insimul*

(1) Innoc. III. in *cap. cum nostris* 6. *de concess. praeb.* suis quum litteris mandasset praepositnram Ecclesiae Lausanensis conferri thesaurario Lausanensis, qui eam ex diuturna vacatione devolutam exposuerat, eique ipsam pontificii executores adiudicassent, ut *de iure vacantem* ob promotionem Praepositi ad Episcopatum, quamvis ab ipso Episcopo retentam communi Canonicorum consensione, seu nova electione, Papa irritam fuisse litterarum suarum executionem pronunciavit: *cum praepositura illa*, ait, *non vacaret de facto, quia talis possessio plus habet facti, quam iuris.*

(2) Ex supradictis *cap.* 11. *de commenda num.* 23., DD. in *cap. nemo de elect. in VI.*

(3) Ex *cit. cap. cum nostris* 6. *de concess. praeb.*

(4) Sub Alex. III. in *cap. nulla* 2. *eod. tit.*

(5) Rota coram Puteo *dec.* 33. *lib.* 2. coram Carillo *dec.* 315. *lib.* 3., et alibi apud Rigant. *in Reg.* 47. *n.* 19., *et* 20.

(6) Videsis dicta superius *cap.* 6. *num.* 9., *et* 10.

(7) Lucius III. in *cap. ad aures* 8. *de rescriptis.*

(8) Greg. IX. in *cap. si proponente* 42. *eod. tit.*

fructus 24. duc. auri de Camera non excedunt, aut *quod alia beneficia non possidet.*

XXI. Impetrationem praebendae in Ecclesia numerata, si numerus Canonicorum non expressus excedatur, etiam non aucto praebendarum numero, non valere Innocentius III. rescripsit (1). Unde colligitur necessitas exprimendi numerum et Canonicorum, et praebendarum statuto, vel consuetudine praefixum, ne obreptio fraudulenta inanem faciat impetrationem praebendae alicuius supra numerum vacantis.

XXII. Errores in eiusmodi qualitatibus vel reticitis, vel falso narratis non raro irrepentes cautim solent impetrantes novis precibus sinceris emendare. Si nemo ius aliquod super eodem beneficio interea quaesivit, reformatio re integra nullum incurrit offendiculum, quoties eam velit Datarius indulgere. Cardinalis Corradus Alexandri VII, Prodatarius die 16. Ianuarii 1662. decrevit: *si nondum fuerit registrata supplicatio, super cuius emendatione petitur secunda gratia, quia necessaria non est gratia* perinde valere, *reformatio non denegetur: nisi aliter nobis vel Datario pro tempore existenti visum fuerit. Post completam vero bullarum expeditionem, nempe illarum plumbationem, et registrationem, non concedantur reformationes, sed tantummodo* perinde valere, *aut* novae provisiones, *excepto casu alicuius materiae levis, veluti formae gratiosae, vel similis, nisi aliter nobis, vel eidem Datario pro tempore existenti visum fuerit: et tunc quoties dabuntur huiusmodi reformationes, omittatur in supplicationibus reformationum huiusmodi clausula:* dummodo, si litterae apostolicae iam expeditae fuerint, vigore praesentis gratiae non corrigantur (2).

XXIII. Si quod alicui praeiudicium sit emendatio illatura, tunc haerebit negotium in difficultate quum signandi novam supplicationem, tum expediendi litteras cum reformationibus sub anticipato die prioris supplicationis. Statuit enim Cancellariae Regula XLIV: *quod super quibuscumque reformationibus signatis super impetrationibus quorumcumque beneficiorum vacantium, vel certo modo vacaturorum, in quibus petitur, quod litterae super* prima data *expediri possint, si ex huiusmodi expeditione sub tali data cuiquam videatur posse fieri praeiudicium, litterae huiusmodi sub ipsa* prima data *nullatenus expediantur, nisi reformationes huiusmodi per* fiat sub prima data *signatae fuerint.* Hocce quidem rescriptum, quo praevertitur intermedia cuiuspiam alterius impetratio, non facile indulgetur, illudque oportet ex gratia petere speciatim nova supplicatione cum inserto prioris supplicationis tenore (3). At reformationis gratia sub eo ipso die, quo petitur, sine scrupulo datur facilius.

XXIV. Leves autem defectus in forma gratiosa saepius incidentes, quoties videantur sine circumveniendi animo incidisse, nullasque insidias menti pontificiae struxisse, mos est supplendi, et sanandi pluribus etiam, quam duabus supplicationibus, quae signantur uno, eodemque die prioris datae, tamquam ab ea promanantes: eiusque tenorem non exprimunt, sed qualitates tantum, particulasque in prima omissas exponunt, addendo ad

(1) Innoc. III. in *cap. constitutus* 16. *eod. tit.*

(2) Apud Rigant. in *Reg.* 44. *Canc. num.* 25., *et* 26.

(3) Nam Alexander III. in *cap. ceterum* 3. *de rescriptis* declaravit nullius fore momenti secundum rescriptum, quod nullam de primo faciat mentionem.

extremum clausulam *cui prius* sine necessitate petendi speciale rescriptum Regula XLIV. imperatum (1). Quandoquidem Cancellariae Regula LXXII, et Ultima *de potestate Rmi. D. Vicecancellarii, et Cancellariam Regentis* inter alia disponit: *quod Vicecancellarius, seu Datarius possit corrigere nomina, et cognomina personarum, non tamen earum, quibus gratiae, et concessiones fiunt, ac beneficiorum, dum tamen de corpore constet* (2).

CAP. XIII.

De clausulis (*)

I. Sententias, et finalem, et intermedias clausula significat.
II. Consuetae clausulae multae in litteris pontificiis tacite subintelliguntur.
III. Expressae autem si a stylo discordent, vel vitiosa latinitate sint conscriptae, suspicionem ingerunt falsitatis.
IV. Earum aliae substantiales, aliae superfluae.
V. In quinque classes distribuuntur.
VI. In prima sunt, quae pertinent ad exordium litterarum, et vim caussae impellentis fere habent.
VII. In secunda spectantes ad narrationem facti, quae si errorem contineant, gratiam plerumque vitiant.
VIII. Tertiae classis ad dispositionem, quarum aliae conditionales, aliae caussales.
IX. Conditionales vim gratiae suspendunt, et subiiciunt eventui conditionis, secus caussam, vel modum exprimentes.
X. Particulae si, dummodo, quatenus, postquam, nunc pro tunc, et ablativus absolutus conditiones fere indicant.
XI. Modalis dispositio aliquid faciendum imponit post perfectam gratiam, statuitque poenam vel rescissionis, vel censurarum.
XII. Caussa finalis, et modus unum, idemque sonant saepius.
XIII. In diem concepta dispositio non conditionalis, nec modalis, sed pura est: quemadmodum et temporanea, seu ad beneplacitum concedentis.
XIV. Ordinarii collatores nec diem, nec conditionem valent adiicere, indultarii vix modum novae provisionis.
XV. Clausularum aliae coniunctivae, aliae disiunctivae.

(1) Rigant. *ibidem num.* 7., *et seq.*
(2) Nam ex civili textu Marciani in *l. falsa demonstratio* 33., et Florentini in *l. nominatim* 34. *D. de condit., et demonst.* falsa cuiusque rei demonstratio, quoties certum aliunde sit corpus demonstratum, non nocet.
(*) Ad *tit. XI. lib.* 5. Decretal. *de verb. sign.*, et Cancell. Reg. LVI. *de clausulis.*

XVI. Species vacationum aliquae disiiunctim exprimuntur, aliae generatim, vel quovis modo.

XVII. Ampliativas clausulas petentibus indulget Regula LVI.

XVIII. Plures vacationum species non complectitur generalis clausula quovis modo.

XIX. Quidam alii *ad maiores non extenditur.*

XX. Cum adnexis, et connexis quae veniant.

XXI. Absolutio a censuris nil ultra litterarum effectum prodest, neque insordescentibus.

XXII. Quarto, clausula derogatoria generalis neque ad decreta Concilii generalis, neque ad Regulas Cancellariae, neque ad locorum statuta, privilegia, vel consuetudines extenditur.

XXIII. Executionem moderantes clausulae ad quintam classem pertinentes nil dispositioni addunt, vel detrahunt.

XXIV. Decretum irritans quandoque additur ad cautelam executionis.

XXV. Data diei extendenda sine notis numerorum litteras claudit.

XXVI. Eaque tempus figit qualitatibus personae, et servat suam cuique praerogativam temporis.

XXVII. Et parva, et magna data usu viget.

XXVIII. Inter plures uno die, eademque data concurrentes nonnulli praeferuntur gradatim, nisi Papa gratificationem alicui speciatim indulserit.

XXIX. Annus ab Incarnatione incipit in litteris sub plumbo, a Nativitate Domini in brevibus sub annulo Piscatoris.

1. Clausula proprie dicitur, quae sententiam, orationem, carmen, litteras claudit, et finit, quam vulgus conclusionem appellat (1): sed Iureconsulti eam saepius accipiunt pro quacumque parte, seu articulo cuiuslibet scripturae (2). Utramque notionem vox ista heic habet. In litteris apostolicis adponi quum soleant clausulae multiformes quum de stylo communes, tum peculiares pro rerum adiunctis variae, quae varios pariunt effectus: earum vim expendere curatius debent Ordinarii locorum, et apostolici executores, ne in gratiis, mandatisque Pontificum exequendis cespitent, vel haereant, vel ab aequo, et recto declinent per imprudentiam.

(1) Cicero *ep.* 2. *Quoniam mihi*, ait, *nullum scribendi argumentum est, utar ea* clausula, *qua soleo.* Seneca *ep.* 67. *nec potest dici hoc non esse par maximis bonum, quod beatae vitae* clausulam *imposuit, cui Epicurus extrema voce gratias egit.*

(2) Ulpian. in *l. sed etsi* 23. §. 3. *D. ex quib. caus. maior. Ait Praetor*, aut cum eum invitum in ius vocare non liceret, neque defenderetur. *Haec* clausula *ad eos pertinet*, Ictus inquit, *quos more maiorum sine fraude in ius vocare non licet.* Idem in *l. Labeo* 25. §. 1. *D. de recept. arbitr.* explicat clausulam compromissi. Tum senatusconsulti clausulam in *l. utrum* 23. *D. de hered. petit.* Stipulationis clausulam Venuleius in *l. ex clausula* 17. *D. iudicatum solvi.* Paulus clausulam testamenti in *l. sed etiam* 31. *D. de legatis* 1., ceteri.

II. In primis clausulas quidem omnes de stylo consuetas, etiamsi non exprimantur, pro appositis, et expressis habent, sensuque tacito subintelligi consentiunt doctores (1). Cuiusmodi sunt, *si est ita, si preces veritate nitantur, ut asseris, veris existentibus narratis* (2), *si beneficium vacat*, vel *quatenus vacat, dummodo non sit alteri ius quaesitum*, vel *sine iuris alieni praeiudicio* (3), vel *quantum de iure poteritis* in caussae cognitione, ac decisione quibuslibet mandata (4).

III. Verum si eae ipsae, dum exprimuntur, a stylo, et more Curiae difformes appareant, et insolitis verbis conceptae, gravem suspicionem falsitatis ingerunt (5). Nam Innocentius III. falsas ex eo pronunciavit quasdam litteras in speciem papales, quod contra morem Sedis Apostolicae in eis Episcopo datus esset *dilecti filii* titulus, et sermo pluralis ad unam personam directus (6). Vitiosa itidem latinitas eas eodem falsitatis vitio laborare sat indicat: quum Lucius III. rescripserit nullam esse fidem adhibendam pontificiis litteris, quae continerent errorem in latinitatis constructione manifestum (7).

IV. Clausularum aliae *substantiales*, et *momentosae* adeo gratiam signatam, litterasque Sedis Apostolicae afficiunt, ut iis non adimpletis, vel non comprobatis, collatio pontificia corruat, et irrita fiat: aliae *non*, sed tamquam leves, aut inanes, et supervacaneae dispositionem numquam vitiant, neque vim gratiae enervant, quamvis earum implementum defecerit. Quaenam ad hoc, illudve genus pertinent, nostra magis interest nunc inquirere.

V. Quinque partes litterarum apostolicarum, *proemium*, *narratio* precum, *dispositio* gratiae, *derogatio* contrariis, et *executio*, quinquiplicant classes clausularum: quum suas unaquaeque pars clausulas peculiares habeat.

VI. Haec in exordiis bullarum *in forma gratiosa* exprimi solent: *Vitae, et morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, et virtutum merita* uniuscuiusque impetrantis, quae dicuntur Papam inducere ad gratiam liberalem, vel *litterarum scientia, vitae, morumque honestas*, cetera pro doctoribus: vel *Religionis zelus, et vitae merita* pro Regularibus. In forma dignum haec alia: *Dignum arbitramur, et congruum, ut illis se reddat Sedes Apostolica gratiosam, quibus ad id propria virtutum merita laudabiliter suffragantur... volentes dilectum filium N. apud nos de vitae, ac morum honestate, aliisque probitatis, ac virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso.* Huiusmodi praemissa merita nemo unus impetrantium cogitur executoribus ostendere: quia ad caus-

(1) Kohler *ad Reg. de non toll. ius quaesit. num.* 15.

(2) Hanc inesse tacitam litteris suis rescripsit Alex. III. in *cap. ex parte* 2. *de rescriptis*.

(3) Hanc aliam Bonif. in *cap. quamvis* 8. *de rescriptis in VI.* Nam Imp. Theod, et Valentin. in *l. rescripta* 7. *C. de precib. Imp. offerend. rescripta contra ius elicita ab omnibus iudicibus refutari* praecipiunt: *nisi forte sit aliquid, quod non laedat alium, et prosit petenti.*

(4) Emm. Gonzalez in *cap. ex parte* 2. *de rescriptis n.* 6.

(5) Innoc. III. in *cap. caussam* 18. *de rescriptis.*

(6) Innoc. III. in *cap. quam gravi* 6. *de crimine falsi.*

(7) Lucius III. in *cap. ad audientiam* 10. *de rescriptis.*

sam non finalem, sed impellentem pertinent (1). Regula vero iuris probatissima, quamlibet concessionem ex falsa caussa impellente non vitiari, nec irritam fieri (2). Cum Gregorius X. in Concilio Lugdunensi statuerit *evidentem* solummodo scientiae, vel alium personae *defectum*, id si electis promovendis ad dignitates obiiciatur, examinandum initio fore (3), ea hinc iure dignis quisque praesumitur, qui evidenter indignus non appareat. Ad primam hanc classem pertinent clausulae *motu proprio*, *ex certa scientia*, id genus aliae, quae nullam postulant probationem extrinsecus. Si quae vero in exordio exprimantur, quae in aliis litterarum partibus repetuntur (4), aliam vim habent mox explicandam.

VII. Omnia, quae narrantur in precibus, quum in facto constent: catenus probanda sunt, ut manifesta pateat veritas precum nullo subreptionis vitio corrupta. *Ad omnia* quidem *superius narrata referri* conditionalem clausulam *si est ita*, seu expressam, seu tacitam, rescripsit Innocentius III. (5). Qua nimirum fit, ut gratiam nolit penitus Papa concedere, si narrata res ita non sit. Ad hanc ipsam gratiae conditionem firmandam alludunt iteratae in litteris clausulae, *sicut accepimus*, *oblata petitio continebat*, *ut asseritur*, *ut praetenditur*, *ut premittitur*, *ut supra*. Praeterquam quod Cancellariae Regula LXI. cautum est: *quod in litteris super beneficiis per constitutionem* execrabilis *vacantibus ponatur clausula*, si est ita: *similiter de quibuscumque narratis informationem facti requirentibus*. Singula vero facta, quae narrantur vel ultro, vel necessitate iuris, non unius, eiusdemque momenti esse, erroresque in eis narrandis incidentes, alios tolerari, alios emendari, alios nullam admittere curationem, dixi iam superius (6).

(1) Id scite monet Rebuffus in *cit. prax.* tit. *forma*, *et declaratio novae provisionis n.* 15.

(2) Pomponius in *l. damus* 52. *D. de condit. indebiti* ait: *damus*, *aut ob caussam*, *aut ob* rem. *Ob* caussam praeteritam: *veluti cum ideo do*, *quod aliquid a te consecutus sum*, *vel quia aliquid a te factum est*: *ut etiamsi* falsa caussa *sit*, *repetitio eius pecuniae non sit*. *Ob* rem *vero datur*, *ut aliquid* sequatur: *quo* non sequente, *repetitio competit*. Similiter Paulus in *l. in summa* 65. §. 2. *D. eodem*, respondit, *id quoque*, *quod ob* caussam *datur*, *puta quod negotia mea adiuta ab eo portavi*, *licet non sit factum*: *quia donari volui*, *quamvis* falso *mihi persuaserim*, *repeti non posse*. Certam notam discriminis inter caussam *impellentem*, et *finalem* Pomponius, et Paulus palam heic designant: dum *caussam praeteritam* esse definiunt, quam *impellentem* nos dicimus, *sequentem* vero, seu rem futuram, quam nos *finalem*. Quandoquidem philosophi consentiunt, *finem* actionum humanarum esse *primum in intentione*, *ultimum in executione*.

(3) Greg. X. in *cap. si forte II. de electione in VI*. Huc spectat ea item exordii forma, quam supra retulimus *cap.* 5. *n.* 11. *lit.* b: *ad hoc nostrum nos compellit officium*, *ut Christi pauperibus*, *prout quemque* dignum *noverimus*, *praebeamus adiumentum*. Et alia similis S. Greg. M. relata superius eodem *cap.* 5. *n.* 7. *lit.* f: *imbellicitati eius*, *atque necessitatibus consulentes intuitu pietatis*. Consimilis ea est, quam nunc etiam usurpari in litteris commendarum, *ut commodius onera sustentare valeas*, de *alicuius subventionis auxilio providere cupientes*, iam praemonui superius *cap.* 11. *n.* 24.

(4) Paulus in *l. Titia* 134. §. 1. *D. de verb. oblig.* respondit: *plerumque ea*, *quae praefationibus convenisse concipiuntur*, *etiam in* stipulationibus repetita *credantur*: *sic tamen*, *ut non ex ea repetitione inutilis efficiatur stipulatio*.

(5) Innoc. III. in *cap. olim* 25. *de rescriptis*.

(6) *Cap.* 12. *de precum veritate etc.*

VIII. Tertia classis clausulae, quas dispositio complectitur, negotium plus facessunt quum numero, tum voritate, ac sensu plerumque ambiguo. Quandoquidem dictiones *prout*, *sicut*, *secundum*, *quemadmodum*, et similes clausulis istis adiectae modo conditionem, modo caussam denotant. *Haec determinatio* — secundum praeteriti temporis morem — *et caussalis, et conditionalis potest intelligi*, (docet Innocentius III.), *et tam ad personale, quam impersonale verbum referri. Ubi enim impersonale verbum determinat*, conditionalis *intelligitur, et est sensus*: concedimus subrogationem Abbatis S. Silvani apud Altiacense monasterium in vestra semper dispositione consistere *secundum* praeteriti temporis *morem*, idest *si mos* praeteriti temporis talis fuerit. *Si vero verbum determinet personale*, caussaliter *debet intelligi, ut sit sensus :* concedimus *secundum* praeteriti temporis *morem*, idest, *quia mos* praeteriti temporis sic obtinuit subrogationem. *Hic autem sensus rectior esse videtur* : hactenus Pontifex (1). Hanc ipsam regulam adhibuit Rota in clausula *prout hactenus consuetum extitit* (2).

IX. Maximum vero discrimen inter duo haec genera clausularum quum Innocentii textus reticeat, operae pretium est heic statuere apertius. *Conditionalis* clausula plane vim habet suspendendi gratiam provisionis usque ad eventum conditionis : adeo ut quoties defecerit conditio, fiat caduca, et irrita dispositio (3). Quoad vero pendeat incertus eiusdem eventus, sola stat spes exequendae dispositionis post impletam conditionem, instar creditoris conditionalis (4): quum interea nec cedat, nec veniat dies executionis, pendente adhuc conditione (5). *Caussalis* autem, quae scilicet caussam praeteritam, seu impellentem spectat, quamvis ea falsa fuerit, dispositionem iure, nec destruit (6): quemadmodum nec falsa demonstratio nocet (7). Nam *demonstratio plerumque vice nominis fungitur, nec inte-*

(1) Innoc. III. in *cap. Abbate S. Silvani* 25. *de verb. sign.* Quam hoc in textu exponit clausulam Innocentius III. fert Emm. Gonzalez in notis ad hocce *cap.* ex Gallia Christiana *to.* 4., et Auberto Miraeo *de coenobiis Belgicis cap.* 40., adiectam eam fuisse privilegio, quod Paschalis Papa, et Callistus II. monasterio S. Bertini fundatori, et reformatori Alticensis monasterii S. Silvani ord. S. Benedicti in Germania in dioecesi olim Morinensi, nuno Audomarensi concesserant, ut ex ipsius S. Bertini collegio Altiacensis Abbas eligeretur *secundum praeteriti temporis morem*. Sed Monachi Altiaconses de suo ipsorum gremio eligere Abbatem contendentes negabant in facto consuetudinem, eamque *conditionaliter* positam in apostolicis privilegii litteris fuisse asseverabant, ut vim omnem privilegio conditionali adimerent.

(2) Rota coram Coccino *dec.* 448.

(3) Conditio in praeteritum, non tantum in praesens tempus relata, statim aut perimit obligationem, aut omnino non differt, *ait Modestinus in* l. conditio 100. D. de verb. oblig.

(4) *Ulp. in* l. conditionales 54. de verb. sign. conditionales creditores dicuntur, *ait*, et hi, quibus nondum competit actio, est autem competitura: vel qui spem habent, ut competat.

(5) *Ulp. in* l. cedere diem 213. D. de verb. sign. *Idemque in* l. legata 41. D. de condit. *sub conditione* relicta, *inquit*, non statim, sed cum conditio extiterit, deberi incipiunt.

(6) Ex supradictis *cap.* 12. *n.* 43.

(7) Marcianus in *l. falsa demonstratio* 33. *D. de condit, et demonstrat., et caussis, et modis.*

rest falsa, an vera sit, si certum sit, quem testator demonstraverit, Florentinus ait (1). Hoc autem inter demonstrationem, et conditionem interest ex eiusdem Iureconsulti seutentia, quod *demonstratio plerumque factam rem ostendit, conditio futuram*. Insuper oportet *modales* clausulas a conditionalibus distinguere. *Nec enim parem dicemus* cum Scaevola *eum, cui ita datum sit, si monumentum faciat, et eum, cui datum est, ut monumentum faciat* (2). Nam prior particula *si* conditionem, posterior *ut* modum designat. Quoties modus non impleatur, dispositio modalis non irrita erit ipso iure: sed locus datur ad eam, quae ab initio valuit, rescindendam, et abrogandam (3). Eamque distinctionem adhibuit Ulpianus definiens quaestionem *de addictione in diem pura* sub modo, aut *conditionali* (4).

X. Conditionem fere indicant particulae *si, dummodo, quatenus, et postquam*. Igitur *conditionales* clausulae sunt, *si idoneum repereris, si est ita, si ad te spectaverit* (5), *si, et, postquam vacationis locus factus fuerit*: in impetrationibus ob crimen, *si neutri*, vel *si nulli* sit ius quaesitum (6), *si aliquid canonicum non obest impedimentum*. Vel *dummodo tempore datae praesentium non sit alteri ius quaesitum, dummodo intrusus non sit, dummodo patronorum accedat adsensus, dummodo a medietate saltem patronorum sit praesentatus, dummodo nulla intercesserit simoniae labes, nec alia illicita pactio, dummodo remaneant centum pro rectore*. Vel *quatenus non sit contraria statutis, quatenus sit in usu, quatenus idoneus reperiatur, quatenus vacet, quatenus opus sit* (7), vel *postquam* clericatum, aut habitum regularem susceperit (8), ceterae id genus. Per ablativum quoque absolutum saepe concipiuntur eiusmodi conditionales clausulae (9): ex.

(1) Florentin. in *l. nominatim* 34. *D. eod.*

(2) Scaevola in *l. eas caussas* 80. *D. eod.* Consonat rubrica *C. de donat. quae sub modo, vel condit, vel cert. temp. confic.*

(3) *In legatis enim, et fideicommissis etiam* modus *adscriptus pro* conditione *observatur*, ex Antonini rescripto in *l.* 1. *C. de his, quae sub modo legata, vel fideicommissa relinquuntur*. Propterea modus nonnumquam a iureconsultis conditio dicitur. Scaevola in *l. libertis* 107. *D. de condit.* quum exponeret legatum domus ita conceptum sub modo: *ut in ea habitent liberti, ne de nomine exeat*, quaesivit, *an conditio adposita* (ne de nomine exiret), an respuens quoque legatum pertineret.

(4) Ulp. in *l. quoties* 2. *D. de in diem addictione*, quaerens utrum pura, et modalis, an conditionalis esset emptio fundi in diem addicti, hoc videlicet pacto, *nisi quis intra Kalendas Ianuarias proximas meliorem conditionem fecerit*, respondit ita distinguens: *si quidem hoc actum est*, ut meliore allata conditione discedatur, *erit pura emptio, quae sub conditione resolvitur: sin autem hoc actum est, ut perficiatur emptio, nisi melior conditio* afferatur, *erit emptio conditionalis*.

(5) Hanc exponit Bonif. VIII. in *cap. cum aliquibus* 4. *de rescript. in* VI.

(6) De his supra dictum est *cap.* 10. *n.* 17.

(7) Rota coram Io. B. Coccino *dec.* 356. *n.* 1.

(8) Ex Rota *dec.* 6. *n.* 2. *par.* 2. *rec*, et *dec.* 323. *n.* 17. *par.* 5. *rec.* Iavolenus Ictus. in *l. inter illas* 21. 7. *D. de verb. sign.* docet: cum *fari potuerit, et* postquam *fari potuerit, multum interest: nam posteriorem scripturam uberiorem esse constat*. Scilicet vox *postquam* vim conditionis habet uberiorem voce *cum*; quae tempus, seu diem dispositioni adiectum indicat.

(9) Scaevola in *l. a testatore* 109. *De condit., et demonstr.* hanc explicat conditionalem dispositionem testatoris, *ut acceptis centum nummis* restitueret Titia haereditatem coheredi suae.

gr. *veris expositis*, vel *rebus sic stantibus*, *constito tibi legitime de narratis*, *verificato prius iurepatronatus*, quod asseritur, *accedente consensu patronorum* etc. Quoties ergo aliqua istarum conditionum litteris pontificiae collationis adiecta non impleatur: gratia collationis eo ipso perimitur, et corruit, et perinde habetur, ac si nulla ab initio fuerit. Quandoque conditionalis gratiae formam apertius indicat ea alia clausula *ex nunc pro tunc*, quoties iam expositis conditionalibus clausulis superadditur (1). Si electus ultra mensem praestare consensum electioni suae distulerit, omni iure *ex tunc* se noverit eo ipso privatum, similiter dixit Innocentius IV. (2). Particula vero *ex tunc*, sicut et *tum* extremum tempus condictum significat (3).

XI. *Modales* clausulae faciendum aliquid plerumque iubent post gratiam perfectam, et executioni demandatam (4). Quales sunt ex. gr. *quod animarum cura, si quae immineat, nullatenus negligatur*, *verum tenearis gradum Doctoris*, vel *sacros Ordines intra annum suscipere*, vel *professionem fidei emittere* in manibus Episcopi, aut Vicarii generalis, aut coram Capitulo *intra duos menses* a die captae possessionis, vel *pensionem annuam scutorum tot clerico N. persolvere*, id genus aliae. Quae in transgressores statuunt, vel poenam vacationis *ipso facto*, vel privationem sententia iudicis rite infligendam, vel censuras ecclesiasticas, e. gr. *alias lapsis diebus ad* solvendum provisionem designatis *ingressus* Ecclesiae Episcopo pensionario *interdictus existat*, vel sententiam *excommunicationis incurrat* clericus, vel *perpetuo suspensus existat eo ipso* ordinatus in sacris.

XII. Finem plerumque, seu *caussam finalem* clausula *sub modo* concepta exprimit, quum modus, et finis promiscuam saepe obtineant notionem. Quia quodlibet beneficium datur propter officium, et ministerium ecclesiasticum (5): patet clausulas eas, quae residentiam, curamque spiritualem, aut S. Scripturae lectionem, aliudve munus beneficio adnexum imperant, ad caussam finalem collationis pertinere (6). Qualis ea est, quae in provisionibus commorantium in Urbe adiicitur, *ut a Curia intra duos menses recedere, atque adire ad suam residentiam debeant*. Hinc est, cur desertores residentiae, officiique sui, vel status clericalis ob cessantem caussam finalem amittant vel ipso facto, vel per sententiam privationis beneficia sua (7). Itidem clausulae in commendis novis monasterio-

(1) Cassador. *de praebend. dec.* 3. *n.* 15.

(2) Innoc. IV. in Conc. Lugd. *cap. quum sit* 6. *de elec. in VI.*

(3) Pompon. in *l. si his* 4. *D. de condit, et demonstr. si ita scriptum sit*, Ictus ait, *si quinquennio proximo filius Titio natus non erit*, tum *extremum quinquennio tempus significat*,

(4) Caius in *l. demonstratio* 17. §. *ult. De condit. si cui in hoc legatum sit*, ait, *ut ex eo aliquid faceret*, *veluti monumentum testatori*, *vel opus*, *aut epulum municipibus faceret, vel ex eo, ut partem alii restitueret: sub* modo *legatum videtur*. Clausula *facere oportere* ad modum refertur a Paulo in *l. facere* 189. *D. verb. sign. Hanc enim*, ait, *significationem habet*, *ut abstineat quis ab eo facto*, *quod contra conventionem fieret, et curaret, ne fiat.*

(5) Ex supradictis *cap.* 2. *n.* 2.

(6) Ex summario supplicationis caussam, seu rationem dignosci, ob quam Pontifex confert, Rigantius monet *tom.* 1. *in Reg.* 2. *Canc.* §. 3. *n.* 298.

(7) Singulas privationis caussas dicam inferius *cap.* 22. *et ult.*

rum imponentes commendatariis onus recuperandi bona, et aedificia restaurandi, *alius* monasterium eo modo commendatum *racet eo ipso* (1), caussae finalis habent.

XIII. Gratia pura *in diem* collata rarior est, quae scilicet non conditionalis, nec modalis effectum protrahit suum, quoadusque dies adscriptus advenerit, vel certus, vel incertus (2). Postulatis Principum, vel illustris patroni vix aliquando indulgens Apostolica Sedes ecclesiasticam dignitatem cum adnexa iurisdictione, vel animarum cura concedit impuberi hoc pacto, ut *postquam* ad aetatem legitimam is pervenerit, accessum, vel ingressum ad eam dignitatem vacantem statim habeat auctoritate propria, eiusque administrationem, curam, onera sustineat interim idoneus presbyter. Quandoque ad tempus limitatum commendas arbitrio Papae concedi iam diximus. Dispensationem praeterea retinendi beneficia ante promotionem obtenta consueverunt promoti ad Cathedrales, aliasque Ecclesias incompatibiles obtinere olim *usque ad beneplacitum* vel Papae promoventis, quod per obitum ipsius eo ipso expirat, vel *usque ad Apostolicae Sedis beneplacitum* perpetuo duraturum, donec fuerit e successore revocatum, *quia Sedes ipsa non moritur*, ait Bonifacius VIII. (3).

XIV. Communi Iure quum civile, tum canonico, quoniam *actus legitimi conditionem non recipiunt, nec diem* (4): Ordinarii locorum idcirco suis beneficiorum collationibus nullam possunt conditionem, vel diem adiicere (5). Qui tamen ex indulto beneficia reservata, vel affecta conferunt, ii debent suis collationem litteris modum adiicere, seu onus petendi novam provisionem apostolicam intra quatuor menses plus, minus, *alias* beneficia ab ipso vacare censeantur (6).

XV. Rursus clausularum aliae coniunctionem inter se habent indicatam particulis, *et*, *simul*, *praeterea*, aliae alternationem, seu disiunctionem ex interiecta particula *vel*, *aut*, *seu* (7). *Disiunctivo modo conditioni-*

(1) Id quod explicui superius *cap.* 11. *n.* 25.

(2) Ex *cit. l. cedere diem* 213. *D. de verb. sign. stipulatio ita concepta: cum* morieris, dari? *nonnisi moriente eo committitur*, Papinianus ait in *l. ex ea parte* 121. §. 2. *D. de verb. oblig.* Eiusmodi designatio temporis nonnumquam conditio a Ictis dicta est, praesertim ab Ulpiano in *l. haec conditio:* filiae meae cum nupserit 10. *de condit., et demonstr.* Ex Papiniani sententia, *dies incertus conditionem in testamento facit, l. dies* 75. *D. eod.* Et *pactum, quod in* tempus certum *collatum est, non magis inducit* conditionem, *quam si ex* die *debitor solvit, l. sufficit* 56. *D. de condict. indebiti.* Ulpianus docet *inter incertum, certumque diem discrimen esse ex eo, quod* certa die *promissum, vel statim dari potest: totum enim* medium tempus ad solvendum liberum promissori relinquitur. *At qui promisit* incerta die ex gr. si aliquid factum sit, *vel* cum aliquid factum sit: *nisi cum id factum fuerit, dederit, non videtur fecisse quod promisit, l. stipulatio* 38. §. *inter* 16. *D. de verbor. oblig.* Eamdem differentiam probat Pomponius in *l. legatis* 1. *D. de condit., et dem.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. si gratiose* 5. *de rescriptis in VI.*

(4) Papin. in *l. actus legitimi* 77. *D. de Reg. Iur* Bonif. VIII. in *cap. actus* 50. *eod. tit. in VI.*

(5) Cl. in *cap. si gratiose de rescriptis in VI.*

(6) Ex antedictis *cap.* 5. *n.* 43. *lit.* d. *pag.* 126., *et reg. et cap.* 7. *n.* 17.

(7) *Haec verba* ille, aut ille, *disiunctivae orationis sunt: disiunctivum est, veluti cum dicimus* aut *dies*, aut *nox* est, Proculus ait in *l. haec verba* 124. *D. de verb. sign.*

bus adscriptis alteram defecisse non oberit, altera, vel postea impleta, Papinianus respondit (1). Nam *ubi verba coniuncta non sunt, sufficit alterutrum esse factum*, ex Pauli sententia (2), seu, ut Bonifacius VIII. loquitur, *in alternativis sufficit alterum adimplere* (3). Hinc Alexander III. rescripsit, *cum aliqua sub* disiunctione *mandantur, quorum unum verum est, alterum falsum*, sufficere, quod alterutrum constiterit esse verum (4). E contrario conditiones coniunctivas oportet omnes adimpleri (5). Verum coniuncta, nonnunquam pro disiunctis accipi, et disiuncta pro coniunctis, et soluta pro separatis, monet Paulus Ictus (6).

XVI. Ut falsus, vel erroneus vacationis modus ne obesset apostolicis collationibus, de quo dixi iam superius (7): invaluit mos addendi quum precibus impetrantium, tum litteris pontificiis has alternativas clausulas, *per obitum N.*, vel *alicuius cuiuscumque personae*, sue *praemisso*, sive *alio quovis modo*. His porro clausulis fit, ut mens Pontificis non unum dumtaxat vacationis modum expressum respiciat, sed sese ad alium quemlibet non expressum extendat (8). Hinc Rota saepe censuit ei, qui beneficium, ut vacans per resignationem obtinuerat cum dicta clausula *sive praemisso, sive alio quovis modo*, sufficere, quod vacasset ob promotionem: et impetranti ob dimissionem habitus clericalis suffragari vacationem ob matrimonium (9). Aliae vero clausulae, seu *per obitum cuiuscumque personae*, seu *per liberam resignationem*, ideo superadduntur, quia ex. gr. speciatim petita *per obitum* alicuius provisio videtur adeo *dispositive*, ut aiunt, ad modum in precibus expressum neminemque inibi nominatum restringi, ut ad alternm non expressum nequeat vigore clausulae generalis extendi (10). Ceterum *quovis modo* quodvis tempus non contineri, palam est Quod igitur petitum beneficium sit, ut vacans in mense reservato, nulliter impetratur, illud si vacaverit in mense ordinario, et versa vice (11).

(1) Papin. in *l. cum pupillus* 78 *§. un. D. de condit., et demonstr.*
(2) Paul. in *l. in eo* 110. §. 3. *D. de Reg. Iur.*
(3) Bonif. III. in *cap. in alternativis* 70. *eod. tit. in VI.*
(4) Alex. III. in *cap. inter ceteras* 4. *de rescriptis.*
(5) *Si quis ita stipulatus fuerit*, decem aureos das, si navis venit, *et* Titius consul factus est, *non alias dabitur, quam si utrumque factum sit. Idem in contrarium*, dare spondes, si *nec* navis venit, *nec* Titius consul factus sit? *exigendum erit, ut neutrum factum sit*, ait Scaevola in *l. si quis ita* 129 *D. de verb. obligat.* Pariter Paulus in *l. si heredi* 5. *D. de condit. instit.* inquit: *si heredi plures conditiones coniunctim datae sint, omnibus parendum est, quia unius loco habentur: si disiunctim sint cuilibet.* Consonat Iulianus in *l. si is, qui* 13. §. 2. *D. de rebus dubiis.*
(6) Ex Labeonis sententia, quam tenet Paulus in *l. coniunctionem* 29. *D. de verb. signif*, et *l. sape ita* 53 *D. eodem.*
(7) *Cap.* 12. *n.* 15.
(8) Passerin. in *cap. susceptum de rescript. in VI. n.* 41, aliique DD. passim. Generalis eiusmodi clausula nullam exceptam relinquere vacationem videtur. Nam M. Tullius orat *de lege agraria* ait: *adscripsit*, aliudve quid: *qua brevitate rem nullam esse exceptam videtis* Tum ex Caii sententia, *semper specialia generalibus insunt*, *l. semper* 147. *D. de Reg. Iur.*
(9) Apud Rigant. in *Reg.* 47. *Canc. n.* 33., *et seqq. tom.* 3.
(10) Ex supradictis *cit. cap.* 12. *n.* 13.
(11) Rigant. in *Reg.* 47 *n* 55.

XVII. Alias insuper clausulas hac ipsa in re ampliores *(ampliativas* vulgo appellant) petentibus indulget Cancellariae Regula LVI. *de clausulis.* Ea enim cautum est, *quod quando Papa providet seu mandat provideri alicui de beneficio ecclesiastico vacante, tunc dari poterunt clausulae, si petantur,* etiamsi *illud quovis modo,* etc., *seu* per constitutionem *execrabilis* vacat, et *specialiter reservatum* inter aliquos *litigiosum* sit, et eius collatio *devoluta* fuerit: *et pro collitigante, vel subrogationem petente....clausula ponatur,* etiamsi *dictum beneficium ex eo, quod talis collector, vel unicus subcollector, abbreviator, vel familiaris* (1), *notarius, aut dictae Sedis officialis fuit, dispositioni apostolicae* generaliter reservatum *existat, dummodo non sit in eo alicui specialiter ius quaesitum. In reliquis vero nulla clausula detur, unde reservatio generalis elici possit, nisi desuper signaturas per* duplex fiat,*signata sit, aut reservatio, vel alias specialiter habeatur.*

XVIII. Ex huius Regulae textu conficitur, clausulas eiusmodi si libello supplicationis petantur, non concedi, neque in litteris exprimi: si vero ultra petita concedantur, ad expressum modum vacationis, qui caussam dispositioni dedit, eas quandoque restringi iam observavimus. 2: quod vacationes ex retentione incompatibilium vigore extravag. *execrabilis*, vel reservati litigiosi, vel devoluti, vel per cessum, aut decessum Papae familiarium, et officialium S. Sedis. exprimendae singulatim sunt clausulis specialibus: quum generalis clausula, *vel quovis modo* eas fere non complectatur, sicuti nec etiam vacationes beneficiorum cuivis generali reservationi subiectorum in Curia, seu apud Sedem contingentes. Propterea in precibus, et rescripto signaturae, et litteris Datariae saepius ita scribitur: *etiamsi tanto tempore vacaverit, quod eius collatio, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta sit*, vel *cuius collatio, ut asseritur, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta est* (2): *etiamsi generalis reservatio, et in Corpore Iuris clausula resultet, seu etiamsi apud Sedem, et in Curia vacaverit* (3).

XIX. Clausula *quidam alii*, vel *quaedam aliae* ad amplificandum adiectae pares, vel minores complectitur, non maiores, seu digniores quum personas, tum res (4): neque ad successores re integra protenditur (5).

XX. *Cum omnibus adnexis*, seu *cum omnibus iuribus, et pertinentiis suis* conferri beneficium quoque dicitur, ut quae ei semel unita membra, et quaesita bona sint, quum corporalia, tum incorporalia, nullatenus ab eo separantur (6). Et quoties Principes possessionem, sivo domum cum *integro statu* donaverit: huic verbo eamdem vim esse, quae his aliis *cum*

(1) Si scriptum vel ita sit: *clericorum tuorum cedentium*, vel *decedentium* beneficia: *ti veniunt, qui per te non quaesiti propterea, vel recepti sine fraude* sunt familiares *tui domestici commensales*, ait Bonif. VIII. in *cap. sicut* 5. *de verb. sign. in VI.*

(2) De hac dictum superius *cap.* 8. *num.* 15.

(3) Rigant. in *cit. Reg.* 47. *n.* 42.

(4) Innoc. III. in *cap. Sedes Apostolica* 15. *de rescriptis.* et Inn. IV. in *cap. cum in multis* 2. *eod. tit, in VI.*

(5) Gregor. III. in *cap. significavit* 36. *de rescriptis.*

(6) S. Greg. M. in *cap. quia monasterium* 2. *de relig. domib.* monasterium in fundo Marciano situm *cum omnibus rebus suis*, vel *quae ei competunt actionibus* univit monasterio Surrentino Agapiti abbatis.

adiacentibus, *et mancipiis*, *et pecoribus*, *et fructibus*, *et omni iure suo*, rescripsit Constantinus Imp. (1).

XXI. Ad maiorem impetrantis cautelam cuivis rescripto, gratiaeque pontificiae semper adiicitur clausula *absolutionis a censuris ad effectum* ipsius gratiae, de qua agitur, *dumtaxat consequendum* (2). Nam Innocentius III. rescripsit *clericis* excommunicationis vinculo innodatis *ecclesiastica beneficia conferri non posse*, nec ab illis ea licite retineri: *nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum* (3). Et Gregorius IX. declaravit *ipso iure rescriptum non valere, si ab excommunicato super alio, quam excommunicationis, vel appellationis articulo fuerit impetratum* (4). Verum Cancellariae Regula LXVI. *de insordescentibus*, *ne personis*, *pro quibus litterae Suae Sanctitatis emanabunt*, *ob generalem absolutionem a censuris ecclesiasticis*, *quibus ligati forent*, *ad earum effectum indifferenter concedi*, *et in litteris apostolicis apponi solita*, *praestetur occasio censuras ipsas vilipendendi*, *et insordescendi in illis: statuit*, *et ordinavit huiusmodi absolutionem*, *et clausulam in litteris*, *quas in futurum cum illa concedi continget*, *non suffragari* 1: *non parentibus rei iudicatae*, 2: *incendiariis*, 3: *violatoribus Ecclesiarum*, 4: *falsificatoribus*, *et falsificari procurantibus litteras. et supplicationes apostolicas*, *et illis utentibus*, 5: *receptatoribus et fautoribus eorum*, *ac res vetitas ad infideles deferentibus*, 6: *violatoribus ecclesiasticae libertatis*, 7: *via facti ausu temerario apostolicis mandatis non obtemperantibus*, 8: *et nuncios*, *vel exequutores Apostolicae Sedis*, *et eius officialium eius commissa exequentis impedientibus*, *qui propter praemissa*, *vel aliquod eorum excommunicati a Iure*, *vel ab homine per* quatuor menses *scienter excommunicationis sententiam huiusmodi sustinuerint*. *Et generaliter quibuscumque aliis*, *qui censuris aliquibus etiam alias*, *quam ut praefertur quomodolibet ligati in illis* per annum *continuum insorduerint*. Itaque absolutio ista non alium producit effectum, nisi ut valeat provisio beneficii, quod Apostolica Sedes contulerit excommunicato, vel suspenso, vel interdicto cuilibet, qui excommunicationis in primis octo casibus per quatuor menses, aliumve censuram per annum contumaciter non sustinuerit. Nam taxativa particula *dumtaxat* ad hunc effectum omnes alios excludit effectus (5).

XXII. Succedunt quarto loco clausulae derogatoriae quum speciales,

(1) Constantin. in *l. si quando* 2. *C. de bonis vacant.*

(2) *Hisce verbis concepta legitur absolutio:* « Te a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes ad effectum praesentium tantum consequendum ».

(3) Innoc. III. in *cap. postulastis* 7. *de cleric. excom.*, *etc.*

(4) Greg. IX. in *cap. ipso iure* 1. *de rescript. in VI.*

(5) Pariter Ulpianus in *l.* 1. §. 1. *D. si mensor falsum modum dixerit*, docens quod *haec actio dolum malum* dumtaxat *exigit*, et culpam, et casum fortuitum excludit. Itidem Paulus in *l. naturalis* 5. §. 1. *in fin. D. de praescriptis verbis*, *tu* dumtaxat *culpam praestare debes*, ait. eadem particula innuens exclusisse casus omnes fortuitos. Hinc Rebuffus *in prax. benef.* tit. *de forma novae provis. num.* 15. probe monet, eum qui absolvitur ad solum effectum adipiscendi beneficium, non posse divinis se ingerere, nec sacrum celebrare, nec sacros ordines exercere, i-

tum generales contrariis constitutionibus, quae pontificiae gratiae aliter obstarent, illiusque executionem impedirent (1). Generalis derogatio ita scribitur: *non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis quibuscumque in contrarium facientibus*. Verum ad Conciliorum generalium decreta non extenditur ista generalis clausula, quae specialem postulant derogationem (2). Neque ad Regulas Cancellariae, quarum aliqua si obstiterit, eam necesse est initio litterarum distincte enarrare, ut speciali postea derogatione decernantur ipsam illis litteris non obstare: quum ea etiam generalis clausula, *non obstantibus Regulis Cancellariae, quarum tenores habeantur pro expressis*, hodie non sufficiat (3). Nam Regula LXXI., seu penultima ipsius Cancellariae declarat, *quod praemissis, et quibuscis aliis Regulis Cancellariae numquam censeatur derogatum in quibuscumque constitutionibus, litteris, brevibus, indultis, et aliis ordinationibus apostolicis, etiam* motu proprio, *et ex certa scientia emanatis, per* quaecumque *verba, et decreta* derogatoria, *irritantia, universalia*, et amplissima, *et clausulas quantumvis efficacissimas, etiam derogatorias, atque specialis, et individuas expressionis vim habentes, nisi facta fuerit de illis* expressa mentio, *et non aliter, nec alio modo*. Derogationem quoque *statutis, consuetudinibus, et privilegiis* Ecclesiarum iam dicta generalis clausula non complectitur (4). Et ubi eisdem derogetur speciatim, salvum adhuc putant doctores ius aliis exinde quaesitum, eiusdemque appellationis beneficium dari ab executione rescripti abusiva (5).

XXIII. Ad *executionem* pertinentes clausulae perfectam gratiae dispositionem fere non amplificant, nec restringunt, nec temperant, nec mutant: *cum in concessione gratiae ad eam non augendam, sed exequendam debeant, quae de inhibitione sequuntur, referri*, ex Clementis V. sententia (6). Quae formam executionis, et executorum personas, ac potestatem respiciunt, in proximo cap. XIV. exponam commodius.

XXIV. Ad ipsas autem accedere simul consuevit clausula decernens *irritum, et inane, si quid secus a quoquam contigerit attentari*. Quoties irritas eiusmodi decretum in litteris adscriptum sit contra violatores, ac transgressores mandatorum Sedis Apostolicae, non modo possessionem, sed titulum quoque inficit cuiusque eam, vel hunc spreto mandato apo-

psumque alias incurrere poenam irregularitatis, nec alia beneficia ab ordinariis collatoribus obtinere.

(1) Iulianus in *l. 2. D. de inspiciendo ventre* monet edictum de custodiendo partu *derogatorium* esse Carboniani decreti.

(2) Honorius III. in *cap. ex parte tua 3. de capell. monach.* rescripsit litteras Apostolicae Sedis aliquid indulgentes contrarium Lateranensi Concilio III., de quo nulla in eisdem litteris mentio erat, nullius fore momenti, velut spurias, et apocryphas. Rota coram Coccino *dec.* 269. *num.* 6. idipsum censuit.

(3) Rigant. in *Reg. LXXI. num.* 13. *usque ad* 21., post Rotam, et DD.

(4) Gratiam generalem non derogare generali privilegio, statuto, et consuetudini, nisi expresse dicatur, Bonifacius VIII. rescripsit in *cap. si propter* 10. *de rescriptis in VI.* At speciale rescriptum, seu mandatum derogare generali constitutioni, et privilegio etiam non expresso, affirmavit Alexander III. in *cap. sicut Romana de rescriptis*.

(5) Wan-Espen *par. 2. iur. eccles. tit.* 25. *cap.* 5. *num.* 26.

(6) Clem. V. in *clementin.* 1. *de praeb., et dignit.*

stolico adepti (1). His enim casibus locum habet ea Iuris Regula: *quae contra ius fiunt, debent utique pro infectis haberi* (2). Sed ubi mandata pontificia de providendo sint sine decreto irritante data, eorum transgressio non irrita plerumque facit contraria gesta. Nam Bonifacius VIII. rescripsit valere faciam ab Ordinario collationem alteri, eo posthabito, qui apostolicas litteras impetraverat, et ostenderat: nisi Pontifex inibi decrevisset fore *irritum*, *et inane*, quod contra eas fieret (3).

XXV. Concluduntur denique litterae per adscriptionem diei, mensis, et anni, sub quo eae dantur, quam vulgo *datam* appellant. Cancellariae Regula XVI. *de dictionibus numeralibus* disponit, *ut in apostolicis litteris committendi crimen falsi tollatur occasio*.... quod *dictiones numerales, quae in dictis litteris ante* Nonas, Idus, *et* Kalendas *immediate poni consueverunt, per litteras, et syllabas extensae describantur, et ille ex praedictis litteris, in quibus huiusmodi dictiones aliter scriptae fuerint, ad bullariam* (h. e. registrum bullarum) *nullatenus mittantur* (4). Vox ista *nullatenus* innuit nullius fore momenti bullatas litteras cum signis numerorum contractis.

XXVI. Multis plane rebus prospicit obsignatus datae gratiae dies. 1: tempus figit, in quo debet impetrans actu habere idoneam aetatem, aliasque necessarias ad beneficium qualitates (5). 2: securos quum alios reddit de iuribus antea quaesitis non tollendis, tum impetrantem ipsum contra futuros deinceps expiscatores eiusdem gratiae. Prior enim in tempore, ita potior in iure est (6): ut posterior non valeat personam legitimi contradictoris contra eum agere (7). At Bonifacius VIII. ex duabus collationibus puram posteriorem conditionali anteriori praeferendam censuit (8). Et quoties impetratur aliquod beneficium, quod alius nulliter obtinuisset, vel iniuste retineret: tunc posteriorem in data prioribus *anteferri* Papa speciatim rescribere solet.

XXVII. Et *parvam*, et *magnam datam* usu vigere in signatura gratiarum tradit Rigantius (9). *Parvam datam* supplici libello, dum exhibetur, Officialis parvarum datarum adscribit eam dumtaxat in finem, ut Datarius exinde ea visa *magnam datam* extendat sub eo ipso die. Si quis autem error in supplicationibus detegatur post eam sub parva data signatam, emendari solet alia supplicatione cum clausula *cui prius* provisum est, et nova signatura sub eo ipso die prioris supplicationis.

XXVIII. Duobus ob datas uno die apostolicas litteras ad idem benefi-

(1) Marta *de clausulis par* 2. *claus*. 29.

(2) Bonif. VIII. in *cap. quae contra* 64. *de Reg. Iur. in VI.*

(3) Idem in *cap. si soli* 9. *de concess. praeb. in VI.*

(4) Instrumentis etiam publicis ut numerales dictiones integre, non signa, seu notae arabicae numerorum adponantur, Iure civili cautum est, *l.* 1., *et fin. D. de confirmat. l.* 1., *et* 2. *C. de veteri iure enucl.* Auth. *quod sine C. de testam.* §. *nos igitur Auth. de testam. imperf.*

(5) Bonifacius VIII. in *cap. si eo tempore* 9. *de rescript. in VI.*

(6) Idem in *cap. qui prior* 54. *de Reg. Iur. in* VI. Honor. III. in *cap. capitulum* 30. *de rescriptis*, idemque Bonif. in *cap. si a sede* 31. *de rescript. in VI.*

(7) Rota coram Celso *dec.* 155. *num.* 13., et in Neritonensi beneficio 9. Iun. 1682. coram Ursino §. *quibus.*

(8) Bonif. VIII. in *cap. si pro te* 13. *de rescr. in VI.*

(9) Rigant. in *Reg. XVII. num.* 38., *et seq.*

cium concurrentibus, Bonifacius VIII. constituit eum primo praeferendum, qui non esset antea canonicatum alium adeptus, mox qui litteras executori apostolico primus praesentaverit, tandem qui pluribus eligentium votis cooptaretur, *nisi ex tenore litterarum expresse appareat*, quem Papa praeferre maluerit (1). Tum Cancellariae Regula XVII. praecipit, *quod de concurrentibus in data eiusdem diei super vacantibus, seu certo modo vacaturis beneficiis illi, quibus gratias* motu proprio *conceduntur*, *ceteris simili modo gratias non habentibus*, *alias* graduati *non graduatis*, *aut inter graduatos* magis graduati, *ac inter aequaliter graduatos* prius graduati, *nec non colorato titulo* possessores *non possessoribus*, *ac inter personas alias* in Curia praesentes *absentibus ab ea, ac inter praesentes*, non beneficiati *beneficiatis, et similiter inter absentes, ceteris paribus*, oriundus *non oriundo, et* dioecesanus *non dioecesano. In reliquis vero singuli, qui* prius apostolicas *desuper* litteras *eorum executoribus* praesentaverint, *aliis in ipsorum, de quibus agi contigerit, beneficiorum assecutione praeferantur* (2). Dum propterea signat Pontifex gratias, alicui earum adiicitur clausula *cum gratificatione opportuna*, quae vim habet praeferendi ceteris in eadem data in supplicantibus gratificatum unum.

XXIX. Anni cursum in apostolicis litteris Datariae, et Cancellariae bulla plumbea signatis ex antiquo stylo inchoant ab Incarnatione D. N. I. C., a die nimirum 21. Martii, in quo festum incidit Annuntiationis B. M. V., adeout praecedentes duo menses Ianuarii, et Februarii cum anterioribus Martii diebus referentur ad praeteritum aerae vulgaris annum, qui decurrit a Circumcisione Domini, seu prima die mensis Ianuarii. In aliis vero litteris Secretariae Brevium, quae sub annulo Piscatoris in cera rubra impresso dantur, annus incipit a Nativitate Domini, scilicet die 25. Decembris (3).

CAP. XIV.

De executione litterarum apostolicarum (*)

I. Litterae apostolicae vel paratam habent executionem, vel morosam praevia caussae cognitione.

II. Quae puram gratiam largiuntur, et quoties vacua erit possessio beneficii, sine mora, et nemine citato, executioni mandantur.

III. Quaeque possessionem nomine Camerae proviso apostolico indulgent, in forma Brevis cum pacto expediendi infra sex menses litteras sub plumbo.

(1) Bonif. VIII. in *cap. duobus* 14. *de rescriptis in VI.*

(2) De concurrentibus, quorum alter apostolicam, alter ordinariam habuerint collationem, videsis dicta superius *cap.* 6. *num.* 5.

(3) Card. de Luca *de pension. disc.* 26. *num.* 8., Card. Petra in *const. apost. to.* 1. *pag.* 15., Rigant. *in cit. Reg. XVII. num.* 34.

(*) Ad *tit. XXIX. lib.* 1. *Decret. de offic. et pot. Iud. deleg.*

IV. Conditionales vero litterae morosam postulant executionem citatis, et auditis partibus.

V. Paras gratias merus executor.

VI. Conditionales mixtus citatis interesse habentibus, et caussa cognita ad effectum perducit.

VII. Ab executore mixto datur appellatio etiam suspensiva, secus a mera. et simplici.

VIII. Mixtus executor impletis litterarum conditionibus fit merus.

IX. Litterarum apostolicarum executio aequiparatur executioni testamentorum.

X. Eam manifesta solum vitia, non occulta altioris indaginis impediant, nec leves errorum correctiones.

XI. Nudus, et simplex contradictor paratam non impedit executionem, et summatim auditur.

XII. Legitimus autem contradictor formam iudicii ordinariam exigit.

XIII. Conditio non tollendi ius alteri quaesitum inest cunctis pontificiis collationibus.

XIV. Sine caussa temere impedientes executionem litterarum apostolicarum incurrunt excommunicationem.

XV. Collitigantium iura dioecesanis Episcopis, vel executoribus apostolicis discutienda relinquit.

XVI. Executio Dignitatibus, et Canonicis Cathedralium delegatur, intra duas diaetas iudicium exerciturís.

XVII. Executor, ubi electa industria personae est, per semetipsum agit executionem, secus per alium.

XVIII. Clausula ad executores pertinens attendenda.

XIX. Vicecancellarius caussas beneficiarias in Curia delegat.

I. Apostolicas litteras exequi idem sonat, ac pontificiam gratiam ad effectum perducere, et mandata in eis explicita reapse implere (1). Executio autem duplici modo perficitur: tam scilicet *manu militari*, seu armata (2), quam forma *iuridica*, et *canonica*, seu officio iudicis, et iure potestatis delegatae (3), ut nulla iniuria, neque vis fiat ei, qui in possessionem beneficii auctoritate apostolica sit mittendus, vel in ea manutenendus.

II. Celerem, expeditamque executionem postulant generatim litterae

(1) *Executorem* eum solum esse, qui rei iudicatae vigorem *ad effectum* videtur *adducere*, textus definit in *l. executorem* 8. *C. de execut. rei iudic.*

(2) Executionem militarem *habet textus in l.* in criminali 5. C. de iurisdictione omni iudic. Qui restituere iussus iudici non paret, si habet rem, *manu militari* officio iudicis ab eo possessio transfertur, *Ulpianus ait in* l. qui restituere 68. D. de rei vind.

(3) Si quis missus fuerit in possessionem, et non admittatur: *potestate* eius inducendus est in possessionem, qui eum misit... Sed melius erit dicere, *extra ordinem* ipsos *iure suae potestatis exequi* oportere decretum suum: nonnumquam etiam per

Sedis Apostolicae super beneficiorum provisionibus puris, et sine conditione in *forma gratiosa* concessis. Nam Bonifacius VIII. rescripsit, quod si mandatum apostolicum de providendo intra dies ab executore praefixos Capitulum, tamquam Ordinarius loci non adimplevisset: executor ipse canonicatum posset *in continenti etiam sine alia Capituli vocatione, vel monitione, si vacaret*, dare proviso apostolico (1). Quoties vacua nimirum sit possessio beneficii, de quo agitur, et nihil obstare ex earumdem litterarum apostolicarum ventre videatur, quod altiorem exigat indaginem, vel adscriptae conditionis implementum: executor apostolicus in eis datus eum, qui gratiam pontificiae collationis obtinuit, sine mora immittet in possessionem beneficii, non aliter, quam executor collationis ordinariae, seu bullarum episcopalium.

III. Praeterea litterae omnes in *forma Brevis* sub annulo Piscatoris datae ad finem immittendi provisum in possessionem beneficii reservati, vel affecti nomine Camerae apostolicae, quoadusque is intra sex menses alteras Datariae litteras sub plumbo obtinuerit, omnino expediendas, ut gratia collationis perpetuam exinde firmitatem adquirat: nullam in executione moram patiuntur, sed suum effectum sortiri statim debent (2). Lapsis autem sex mensibus, qui neglexerit interea bullarum expeditionem obtinere, ipso facto ius acceptae possessionis amittit, et beneficium ipso iure vacabit (3).

IV. Morosa vero ut executio gratiarum conditionalium, quoties nimirum exposita in precibus, et narrata in litteris sub plumbo datis necessariam postulent probationem, unde an ea sint vera, liqueat (4), ex illis puta clausulis, *constito, si est ita, si dignum repereris, verificato prius iurepatronatus* ex *fundatione, vel dotatione, citra illius approbationem, accedente consensu patronorum pro maiori parte, vel saltem pro medietate, si laicorum tantum ex fundatione etiam, vel dotatione etiam nobilium, et illustrium*, vel conditiones eisdem litteris adiectae sint adimplendae, aut oporteat earum implementum manifestari (5), vel obtinuerit legitimus contradictor, aut litterae ipsae aperte iubeant, ut vocentur antea, et audiantur interesse habentes in vim clausulae, *vocatis vocandis*. Tunc enim executores apostolici partes iudicis adsumere plane debent, negotium rite cognoscere, auditis partibus, eoque cognito decernere, utrum apostolicae litterae sint executioni demandandae, an non (6). Rem vero debent cogno-

manum militarem, idem Ictus inquit in l. si quis missus 3. D. ne vis fiat ei, qui in poss. miss. erit.

(1) Bonif. VIII. in *cap. si Capitulo* 5. *de concess. praeb. in VI*. Rigant. *t*. 3. *in Reg*. 43. *Cancell*. *n*. 7. quod executor apostolicae provisionis citare neminem debeat, nec partes iudicis adsumere, dum vacua sit possessio beneficii.

(2) Card. de Luca *de beneficiis disc*. 17. *n*. 18.

(3) Ex supradictis *cap*. 10. *num*. 6.

(4) Ex antedictis *cap*. 12.

(5) De quibus dictum est superiori *cap*. 13. Nam conditio quum sit pactio certam legem in se continens: oportet, ut eam impleri ante executionem omnimodis curet executor.

(6) *Innoc. III. in* cap. super litteris 20. de rescriptis *loquens de officio executoris delegati ait:* « partibus ad suam praesentiam convocatis de precum qualitate » cognoscat » ut *etc*. *Greg. IX. in* cap. ex insinuatione 37. eod. tit. « in executio-

scere iuxta formam sibi litteris mandatam, et Iuris aequitatem (1). Quae enim contra formam rescripti gesserit executor, ea omnia viribus carebunt (2).

V. Duplex forma executionis efficit, ut executor vel *merus*, et *simplex* dicatur, qui priorem adhibet exequendi formam : vel *mixtus*, qui posteriorem. Executor itaque *merus*, et *simplex*, acceptis, visisque pontificiis litteris, regioque placito pro eis exequendis expedito, statim ac noverit extraiudiciaria informatione veritatem rerum expositarum, decernet eas per sese *verificatas iam esse, et executioni demandandas, ac proinde immittendum provisum illum* apostolicum *in realem possessionem illius Ecclesiae*, seu *beneficii*, *implorato etiam*, *quatenus opus*, *brachio saeculari* adversus quoslibet impedientes, vel turbantes, vel ad amovendum iniustum detentorem. Si vero eum ipsum in possessionem collati beneficii reipsa immiserit, traditaeque possessionis actus ex instrumento publico, aliove scripto ad calcem litterarum ipsarum pateat : adhuc praesumitur comprobatio narratorum rite praecessisse (3).

VI. At *mixtus* executor iudicis personam adsumens debet in primis contradictorem legitimum, vel coloratum beneficii possessorem, omnesque interesse habentes in ius vocare coram sese per suas litteras citatorias (si certi sint, personaliter si vero incerti, vel absentes, per edictum) cum inserto tenore delegationis apostolicae, seu litterarum S. Sedis, quibus mixta eiusmodi executio ei mandata sit (4): mox auditis partibus iudicium super executione instruat, processumque via ordinaria, terminum scilicet ordinarium impertietur utrique parti ad suas producendum probationes testium, et scripturarum super omnibus hinc inde praetensis. Tum secundum allegata, et probata, expletis omnibus iudicii ritibus, definitivam promulgabit sententiam, *fore literas apostolicas* vel *exe-*

nis negotio, *inquit*, iuxta directum ad vos pro ipso mandatum ratione praevia procedatis ». *Alex. III. in* cap. si *quando* eod. tit. « qualitatem negotii, pro quo tibi » scribitur, *ait*, diligenter considerans, aut mandatum nostrum reverentor adimpleas, aut per litteras tuas, quare adimplere non possis, rationabilem caussam » praetendas: quia patienter sustinebimus, si non feceris, quod prava nobis fuerit » insinuatione suggestum ».

(1) *Alex. III. in* cap. *ex parte tua* 13. de offic. iud. deleg. « Si quando iudici » delegato, *ait*, expediat formam sibi statutam servare, debet tamen rationabiles » exceptiones admittere, et in caussa iuxta Iuris aequitatem procedere: nisi exprimatur in litteris nostris, quod nullae debeant exceptiones admitti ».

(2) *Innoc. III. in* cap. caussam 18., et cap. cum dilectum 22. de rescriptis. « Quemadmodum si rerum iudicatarum executor datus partes sibi iudicis vindica- » vit, et contra rem iudicatam aliquod pronunciaverit: sententia ab eo dicta vim » rei iudicatae obtinere nequaquam potest » *ex rescripto Philippi Imp. in l. si ut proponis* 6 C. *de executione rei iudicatae*.

(3) Alexander III. in *cap. de cetero* 5. *de sent.*, *et re iudic.* apertius rescripsit nullam executori mero facultatem esse cognoscendi negotium, qui deferre incidentes in executione quaestiones ad Sedem Apostolicam debet. *Dum non cognitio, sed executio tantum demandatur*, ait Innoc. III. in *cap. pastoralis* 28. *de offic. deleg.* executor obsequi debet, ac executioni mandare sententiam delegantis, etsi illam sciat iniustam.

(4) Factam, possessore non citato, executionem litterarum nullam, irritamque habet Rota coram Coccino *dec.* 348. *num.* 3.

quendas, vel *non exequendas*. Et nonnisi postquam ea in rem iudicatam transiverit vel lapsu decem dierum sine appellatione, vel per conformes tres sententias post appellationem ad executionis actum devenire tandem poterit, immittendo scilicet provisum reapse in possessionem.

XII. Quandoquidem adversus iudicium, sententiamque executoris mixti datur legitimo contradictori locus appellandi, quod ad utrumque effectum devolutivum, et suspensivum: nulliusque momenti erit possessio, quam ipse dare attentaverit, vel post interpositam appellationem, vel intra decem dies ad appellandum iure concessos (1). Ab executore autem simplici, et mero appellare non licet, nisi modum excesserit (2). Huc referenda ea est clausula in bullis beneficiariis frequentissima: *contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo* (3).

XIII. Si nullus post citationem contradictor compareat ad oppugnandas apostolicas litteras aliam conditionem continentes, vel caussae cognitionem demandantes: executor tunc mixtus impleta conditione, et re summatim cognita fit merus (4). Itaque iudicium executivum in istis casibus non respuunt conditionales litterae (5).

IX. Ad normam executionis testamentorum, quam statuit Iustinianus in *l. fin. C. de edicto D. Hadriani tollendo* (6), dirigi executionem litterarum apostolicarum tradit Rota (7). Igitur quemadmodum testamentarius heres cito vacuam hereditatis possessionem obtinet, ubi testamentum integrum nulloque vitio externo, vel manifesto effectum ostenderit, morosum tunc iudicium in foro competenti subiturus, quam alius possessionem rei hereditariae praeoccupavit, vel ipsi eam postulari contradixerit:

(1) Card. de Luca in *sum. benefic. num.* 261., *et seq.*

(2) Ab executore sententiae *(scilicet mero)* appellare non licet: sed ab eo, qui sententiam male interpretari dicitur, appellare licet, *Iurecons. Macer. ait in* l. ab executore 4. D. *de appell. Pariter Innocentius III. in* cap. *novit* 43. *de appellat. rescripsit* secundum ius ab executoribus appellari non posse, nisi forsan modum excederent in exequendo.

(3) Clausulam *appellatione remota* in medio litterarum adiectam ad praemissa tantum referri, non ad sequentia diversa, rescripsit Gregorius IX. in *cap. inquisitioni* 71. *de appellat.* At Coelestinus III. in *cap. secundo requiris* 41. *eod. tit. respondit: cum verba intentioni deserviant, et haec sit nostra intentio, ut de omnibus articulis*, in commissione positis *iustitia suum consequatur effectum: in omnibus appellatio intelligitur interdicta*, quamvis in uno ea esset specialim vetita.

(4) Rota coram Coccino *dec.* 225. *num.* 2.

(5) Rota coram Otthoban. *dec.* 122., *et* 154.

(6) « Sancimus, *ait inibi Iustinianus*, *ut* si quis ex asse, vel ex parte institutus
» competenti iudici testamentum ostenderit non *cancellatum*, neque *abolitum*, ne-
» que ex quacumque suae formae parte *vitiatum*, sed quod in prima figura sine
» omni vituperatione appareat, et depositionibus *testium* legitimi numeri vallatum
» sit; mittatur quidem in possessionem earum rerum, quae testatoris mortis tem-
» pore fuerint, non autem legitimo modo ab alio detinentur, et eam testificatione
» publicarum personarum accipiat. Sin autem aliquis *contradictor* extiterit: tunc
» in iudicio competenti caussae in possessionem missionis, et subsecutae contradi-
» ctionis ventilentur, et ei possessio adquiratur, qui potiora ex legitimis modis iu-
» ra ostenderit, sive qui missus est, sive qui antea detinens contradicendum pu-
» tavit.

(7 Rota coram Io. B. Coccino *dec.* 431. n. 3.

sic provisus apostolicus in vacuam beneficii possessionem tunc immittitur, ubi nullam pateat in apostolicis litteris vitium falsitatis, vel subreptionis, vel defectivae conditionis, nullumque iis exequendis impedimentum obiecerit legitimus contradictor.

X. Idipsum Benedictus XIV. firmavit, statuens apostolicas litteras executioni tradendas non esse ab iis, ad quos eae diriguntur, si obreptionis, aut subreptionis vitio aperte laborent, aut si deficere comperiatur conditio, sine qua concessae non fuissent (1). Quae igitur non aperta, nec manifesta insunt vitia, quae scilicet ulteriorem indaginem requirunt, executionem impedire non valent (2). Nec leves scribentium errores rasura quamvis visibili, sed censura correcti in locis non suspectis (3). Nam Innocentius III. censuit nullam falsitatis, vel suspicionis signum in litteris oriri ex paucarum litterarum rasura, quae sapientis animum in dubitationem nullatenus vertat (4).

XI. Distinguendus ad rem hanc praeterea est *legitimus* contradictor a *nudo*, seu *simplici*, seu *illigitimo*. Hinc nimirum simplex, et nudus contradictor, qui nullum probabile ius quaesiverit neque in re, neque ad rem, quamvis citari, et audiri summatim debeat: paratam nihilominus executionem bullarum non eludit, eamque iudicio ordinario obnoxiam non efficit, nec suspensivam habet appellationem (5). Tales ex. gr. sunt qui beneficium Sedi Apostolicae procul dubio reservatum, vel affectum ex Ordinarii collatione praeoccupaverit, vel aliud ab Apostolica Sede per manifestam subreptionem, vel obreptionem nulliter impetrarit, et quilibet in vitiosam possessionem intrusus. Horum enim possessio facti solius, et sine legitimo titulo quum vacua de iure putetur, et provisio, seu collatio tamquam infecta: sat erit ipsos audire *simpliciter*, *et de plano, sine strepitu, ac figura iudicii* (6). Ad hos etiam comprimendos, et excludendos pertinet ea litterarum clausula: *amoto quovis alio illicito detentore* (7).

XII. Secus res autem se habet cum legitimo contradictore. Nam huius bona iura ambigua, et probabiles exceptiones ordinarium postulant iudicium, plenam scilicet rerum dubiarum eliquationem, et iuridicas probationes in termino ordinario ab utraque parte rite producendas, et definitivam sententiam, a qua liceat appellare cum utroque effectu devolutivo, et suspensivo, quoadusque transitum faciat in rem iudicatam. Itaque si quis beneficium plenum, quod aliquis possideat, expiscaverit exponens, quod illud ipso iure vacaverit ob crimen a possessore patratum, vel ob subreptitiam, obreptitiamque illius impetrationem, aut incapacitatem:

(1) Bened. XIV. in *const. magnae nobis* 51. *de execut. dispensat. apostol. super impedim. matrim. to.* 2. Bullarii. Manifestum, et evidens vocabula synonima esse tradit Nicolaus III. in *cap. constitutionem* 2. *de verb. sign. in VI.*

(2) Rota coram Coccino *dec.* 225. *num.* 3.

(3) Rigant. in *Reg.* 27. *num.* 178., *et seq. tom.* 3.

(4) Innoc. III. in *cap. ex conscientia* 9., *et ult. de crimine falsi*, ibique Fagnanus. Consonant Alex. III. in *cap. ex litteris* 3., et Honorius III. in *cap. ex parte* 11. *de fide instrum.*

(5) Rota coram Coccino *dec.* 144. *n.* 15. appellatione suspensiva contradictores de facto non frui definit.

(6) Iuxta formam traditam in Clementina *saepe contingit* 2. *de verb. sign.*

(7) Quam explicat Bonif. VIII. in *cap. tibi, qui* 12. *de reser. in VI.*

possessor eiusmodi personam legitimi contradictoris tunc sustinet coram executore mixto (1), sese purgaturus a delato crimine, vel subreptionem ab suis praecedentibus litteris abesse, aut seipsum idoneum, et capacem ostensurus. Pariter qui beneficium de iurepatronatus obtinuerit cum derogatione medietati vocum, vel parti etiam minori compatronorum, legitimum is offendet contradictorem ab aliis compatronis praesentatum, quo audito, necesse est, ut numerus, et quota vocum pro alterutro compraesentato liquidetur in iudicio ordinario. Insuper quisquis videatur bonum, et probabile ius favere ad impediendam executionem collationis apostolicae, quod legitimis facti probationibus eliquari oporteat, eum ut contradictorem legitimum audiet mixtus executor. Quoties autem exceptiones adversus apostolicam gratiam collationis non facti, sed iuris tantum quaestionem promoveant: paratam tunc executionem litterarum non adimunt: quum eas debeat executor in continenti definire sola librorum apertione, et consilio peritorum (2).

XIII. Omnibus propterea pontificiis collationibus beneficiorum, vel aperte adiicitur, vel tacite subintelligitur clausula conditionalis: *dummodo tempore datae praesentium non sit alicui specialiter ius quaesitum*, et hac alia *sine alicuius praeiudicio* (3). Doctores gratiam clausulis hisce fieri conditionalem commonet (4). Ius autem *in re*, non *ad rem* per easdem aliis praeservari docet Rebuffus (5).

XIV. Quum temere impedientes usum ecclesiasticae iurisdictionis, et executionem mandatorum Sedis Apostolicae possint censura ecclesiastica coerceri ex communi iure Decretalium (6): in eo tamen, qui executionem litterarum apostolicarum impediunt anathema, seu censuram excommunicationis maioris ipso facto sanxit primus omnium Clemens VII. (7), tum alii Pontifices in Bulla coenae Domini singulatim innovarunt. Benedictus XIV. speciatim illos anathematizat, *qui per se, vel per alios auctoritate propria, et de facto*, ac *temere* impediunt (8). Eos nimirum, qui sine

(1) Card. de Luca *de benefic. disc.* 73.

(2) Idem *loc. cit. n.* 29., *et* 30., Gratian. *discept.* 740. n. 48. Aliquando iuris dubia exceptionem, quod altiorem requirat indaginem ex aliqua facti mixtura, ab hac regula excipit Rota *dec.* 270. *in fin. par.* 10. *rec.*

(3) Ex Cancell. Regula 17. *de non tollendo ius quaesitum alteri.*

(4) Gomes. et Rigant. in *comm. ad eamdem Reg.*

(5) Rebuff. in *prax. benef. tit. forma, et declaratio novae provisionis.*

(6) Alex.III.in *cap. quaesitum* 1., *et cap.significasti* 7.*de offic.*, *et pot iud.deleg.*

(7) Clemens VII. *const.* 47. in Bullar. *to.* 4. *par.* 1., mox in sua coenae Domini Bulla.

(8) « Bened.XIV. in *const. pastoralis* 14., quam publicavit die coenae Domi-
» ni 1741., *tom.* 1. *Bull. sui*, item excommunicamus, *inquit* §. 14., et anathema-
» tizamus omnes, et quoscumque, qui per se, vel alios *auctoritate propria de fa-*
» *cto*... beneficiales, et decimarum, ac alias caussas spirituales, et spiritualibus
» adnexas ab auditoribus, et commissariis nostris, aliisque iudicibus ecclesiasticis
» avocant, illorumque cursum, et audientiam...impediunt...vel *executionem* litte-
» rarum apostolicarum, seu executorialium processum, ac decretorum quomodoli-
» bet impediunt » *Marginale vero summarium huiusce articuli ita habet:* « Teme-
» *re* avocantes a delegatis Sedis Apostolicae, aliisque iudicibus ecclesiasticis caus-
» sas beneficiales, et spirituales. *Tum* impedientes executionem litterarum aposto-
» licarum, aliorumque expeditionum supradictorum iudicum ».

iusta, et probabili caussa, nulloque iure (id quod obsignata Pontificis iurecconsultissimi verba sonant) Potestati ecclesiasticae resistunt per iniuriam, aut vim, aut contumaciam, proptereaque damnationem sibi adquirunt ex Apostoli sententia: non alios, qui iustam, vel probabilem impediendi caussam habeant, suaque iura quomodolibet quaesita studeant contradicendo tueri, ubi Sedis Apostolicae litteras per fraudem, vel dolum extortas oppugnant canonicis, et legitimis exceptionibus. Nam suo qui iure utitur, nemini facit iniuriam, nullumque reatum incurrit.

XV. Impedientium iura, quamvis ambigua, et probabilia, quae neque a patronatu, neque a fundationis lege, locorumve statutis, neque a moribus, legibusve Regni, sed aliunde profluunt, legitimum regio placito impedimentum adstruere non valent. Ea idcirco Episcopis dioecesanis, vel executoribus apostolicis rite discutienda remittuntur, quotiescumque, oppositis non obstantibus, regium placitum conceditur pontificiis litteris, Sedisque Romanae provisionibus, quoniam ad forum ecclesiasticum beneficiales caussae pertinent iure quum communi, tum speciali Concordatorum an. 1741. (1).

XVI. Incertos quidem iudices, vel ad futura negotia dari vetuit Lucius III. (2). Apostolici mandati executionem Dignitatibus, vel Canonicis Ecclesiae Cathedralis dirigendam statuit Bonifacius VIII. (3), vel Officiali Episcopi, aut Priori Conventus Clementina constitutio (4). Hinc est, cur iudices in Synodis eligendi debeant Dignitatem, vel Personatum, vel Canonicatum in Cathedrali habere (5), qui officium delegati Sedis Apostolicae sint obituri. Ii vero ultra duas diaetas extra dioecesim trahere partes ad iudicium prohibentur (6).

XVII. Delegati a Summo Pontifice executores facultatem subdelegandi aliis mandatam sibi iurisdictionem utique habent Iure communi (7), non secus, quam delegati a Principe iudices (8): nisi electa industria personae videatur (9). Cancellariae Regula XVIII. *de executione facienda* statuit, *quod quotiescumque per Signaturam Papae, vel de eius mandato factam super exequendis aliquibus cum adiectione proprii* nominis, *vel* dignitatis *cuiusvis iudex datur: litterae desuper expedientur cum expressione, quod idem iudex executionem faciat per* seipsum. Scilicet aliis ne subdeleget (10).

(1) Concordat. an. 1741. *cap.* 6. *art.* 4., quod iam explicui *lib.* 3. Instit. Canon. *tit.* 7. *num.* 18., *et seq.*

(2) Luc. III. in *cap. adhaec* 10. *de rescriptis.*

(3) Bonif. VIII. in *cap. statutum* 11. *de rescriptis in VI.*

(4) Clementina *etsi principalis* 2. *eod. tit.*

(5) Bened. XIV. *lib* 4. *de Syn. dioec. cap.* 5. *num.* 2.

(6) Ex traditis a Bened. XIV. *ibidem.*

(7) Innoc. III. in *cap. pastoralis* 28. *de offic., et pot. iud deleg.* Honor. III. in *cap. cum caussam* 62. *de appell.* et Clementina *un. de offic. deleg.*

(8) Gordianus in *l. a iudice* 5. *C. de iudiciis.*

(9) Greg. IX. in *cap. quoniam* 43. *de offic. deleg.* Bonif. VIII. in *cap. is, cui* 12. *eod. tit. in VI.*

(10) Sotus, Kochier, Rebuffus, ceteri apud Rigant. in *Reg.* 48. *num.* 8., *et seqq.* tenent vetitam ei, qui iussus a Papa est *per seipsum* procedere, facultatem subdelegandi. Alii negant cum Rota *dec.* 611. *num.* 11. *coram Cerro*, et *dec.* 104. *par.* 13. *rec.* Th. de Rosa de *executor. litt. apost. lib.* 1. *cap.* 10. *num.* 5. putantes non praeceptum, sed monitionem fieri eiusmodi verbis.

Istam nihilominus clausulam *per seipsum* in nullis fere litteris beneficialibus quum in forma *dignum*, seu commissaria, tum in forma gratiosa adponi Rigantius commonet (1).

XVIII. Quandoquidem litterae apostolicae, quas unas tantum pro singulis beneficiorum provisionibus in forma *dignum*, non aliis de stylo inscribuntur, nisi Ordinario loci, Episcopo scilicet dioecesano, vel generali eius Vicario (2), sine clausula *per seipsum procedut*, sed cum hac alia aequipollenti: *si per diligentem examinationem idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, canonicatum*, seu *beneficium* illud *auctoritate nostra conferas.* Per hanc vero clausulam posteriorem non prohibita subdelegatio videtur probabilius, nec electa industria personae (3). Quum vero ea de re disputent Doctores: ego censeo subdelegationem, iisdem clausulis non obstantibus tunc valere, ubi partes consenserint: secus, ubi dissenserint. Nam ex textu Gregorii IX. *is, cui iniungitur*, ut personaliter *negotium exequatur, potest, dummodo partes consenserint, hoc aliis delegare: praeterquam si inquisitionem fieri, vel Ecclesiis de Praelatis, vel aliis ministris provideri mandaremus: cum in his omnibus casibus industriam, et fidem personae, cui talia committimus, eligere videamur* (4). Pro collationibus autem in *forma gratiosa* binae semper litterae dari, uno codemque die solent, *principales* nimirum, et *executoriales*, ut aiunt. *Principales* ad eum ipsum diriguntur, qui gratiam collati sibi beneficii obtinuit. *Executoriales* vero ad idoneos executores a proviso ipso postulatos, videlicet ad Praelatum aliquem in Urbe degentem, duosque alios in partibus, vel Dignitate, vel Personatu, vel Canonicatu, vel protonotarii, aut iudicis synodalis munere decoratus inscriptae his verbis concipiuntur (5): *Discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, si et postquam dictas litterae vobis praesentatae fuerint, per* vos, *vel* alium, *seu* alios *auctoritate nostra immittatis* eum *in possessionem . . . contradictores per censuras ecclesiasticas appellatione proposita compescendo* (6). Si quid autem *arbitrio* executoris committatur, is temperare tunc poterit rigorem iuris, quamvis arbitrium iudicis aequitatem, et Regulas Iuris declinare prohibeatur (7). Clausula vero *prout de iure, et quantum de iure poteritis*, obstringit apertius executorem ad servandum Iuris ordinem (8).

(1) Rigant. in *Canc. Reg.* 43. *num.* 5. *to.* 3.

(2) Signatura gratiarum in forma *dignum* postremam habet clausulam: *committatur Ordinario.* Cuius vis est, ut litterae plumbatae, inde ad Episcopum dioecesanum, vel eius Vicarium dirigantur.

(3) Gar., Gratian., Amayden., caeteri apud Rigant. *loc. cit. num.* 14., *et seq.*

(4) Greg. IX. in *cap. quoniam* 43., *et fin. de offic. iud deleg.*

(5) Thom. do Rosa *de executor. litter. apost. cap.* 2. *num.* 7., *et seq.* Rigant. *ibidem num.* 3. Quonam tempore mos inoleverit delegandi executoribus pontificias beneficiorum collationes, et litteras, iam dictum supra est *cap.* 5. *de reserv. pontif. num.* 6.

(6) Coelestinus III. in *cap. sciscitatus* 13. *de rescriptis* exponens clausulam istam, *ut si duo, vel tres*, quibus litterae diriguntur, *ipsis exequendis simul interesse nequiverint, unus, aut plures nihilominus exequatur:* censuit ei locum esse, tam si *de facto*, quam si *de iure* non possint executores per sese procedere.

(7) Rota coram Io. B. Coccino *dec* 278. *num.* 1., *et* 4.

(8) Innoc. III. in *cap. caussam* 18. *de rescriptis.*

XIX. Ex Cancellariae Regula LXXII, et ultima Vicecancellarius potest *omnes caussas beneficiales, etiam non devolutas committere in Curia cum potestate citandi ad partes* in gradu scilicet appellationis (1). *Insuper committere absolutionem illorum, qui ignoranter in supplicationibus, vel in litteris apostolicis aliquid scriberent, corrigerent, vel delerent.*

CAP. XV.

De possessione eiusque effectibus (*)

I. Collatio nisi praecesserit possessionem, intrusus, et praedo possessor erit.
II. Datus executor eam tradit.
III. In Ecclesia, vel ara tituli, aliove consueto loco.
IV. Per actus corporeos potestatem, munusque beneficiarii exprimentes.
V. Canonicatus, praebendaeve capitularis possessio coram Capitulo accipienda est.
VI. Archidiaconi olim, nunc executores dati speciatim novos beneficiarios in possessionem immittunt.
VII. Tempus capiendae possessionis post collationem beneficii nullo iure statutum est, praeterquam in resignationibus.
VIII. Suspectas vel simoniae, vel avaritiae solutiones omnes in provisionibus, et possessionibus beneficiorum vetat Synodus Tridentina.
IX. Possessio plures parit effectus.
X. Annalis possessor molestias dolosi expiscatoris, vel negligentis eludit.
XI. Triennalis non simoniacus, neque intrusus nullas impetrantium molestias timet.
XII. Regula de annali *possessore in multis ab ea* de triennali *differt.*
XIII. Pacificis tantum possessionibus ambae Regulae favent.
XIV. Pacificam possessionem interruptis lis mota in iudicio.
XV. Insuper molestiae extraiudiciales eam de facto turbantes.
XVI. Spiritualia simul. et temporalia detinet possessor pacificus.
XVII. Titulo colorato, bonaque fide opus habet possessor triennalis.
XVIII. Propterea intrusos, simoniacos, et sine pontificia collatione adeptos vacantia apud Sedem haec Regula non tuetur.
XIX. Nec violentos invasores, aliosque plures titulo colorato, bonaque fide palam destitutos.

(1) Sicuti observat Rigant. *in Reg.* 72. *num.* 45., *et seq.*
(*) Ad *tit. XII. lib.* 2. Decretal. *de caussa possess.*, *et propriet.*

XX. Decennalis autem possessio prodest ingressis beneficium per simoniam ab aliis admissam, et pro retinendis incompatibilibus, et per gratiam a Papa signatam sine litteris plumbatis possidentibus.

XXI. Eaque legitimam tituli praesumptionem parit.

I. Collatio beneficii, vel institutio canonica quum ordinaria, tum pontificia per sese quum nullam possessionem transferat, sed ius tantummodo adipiscendae possessionis: necesse quidem est, ut in eam provisus de facto, et reipsa immittatur ab executore bullarum. Innocentius III. iure hinc merito distinxit institutionem spiritualem, et incorpoream a corporali possessione. (1). Sed possessionem praeire omnino debet collatio (2). Si vero quis possessionem adprehenderit ante collationem, *intrusus* dicitur (3), et *praedo* (4), omnique iure quaesito privatur ipso facto, praetereaque censuram excommunicationis incurrit in poenam sacrilegae invasionis (5).

II. Novum beneficiarium immissurus in possessionem exequutor bullarum servare adamussim debet litteras collationis, seu institutionis, earumque famam sequi, et fines mandati non excedere (6).

III. Et quoniam certa capiendae possessionis forma nullo scripto iure, nec Regulis Cancellariae praescripta est, sufficit eam accipere quavis hora diurna in Ecclesia titulari, si extet, vel in Capella, et ara tituli, vel alio in loco, aut praedio, ubi consueverint eam praedecessores adipisci: quae ad possessionem omnium bonorum, et iurium ipsius beneficii adnexam accessorie extenditur (7). Si plures autem Ecclesiae aeque principaliter unitae sint, in earum singulis capienda possessio est: at sufficiet in principali tantum, quoties Ecclesiarum unio accessoria, et subiectiva fuerit.

IV. Itaque in loco beneficii constitutus executor una cum beneficiario, scilicet ingressus Ecclesiam, in qua illud erectum sit, post publicam inibi

(1) Innoc. III. in *cap. cum Bertoldus* 18. *de re iudicata:* Archidiaconus *de consensu Episcopi*, ait, *ipsum instituit in eadem Ecclesia*, *in* possessionem *eum induci faciens* corporalem. Id quoque distinxit in *cap. post electionem* 7. *de concess. praeb.*

(2) Honorius III. *in cap. illa devotionis* 2. *ne Sede vacante aliquid innovetur* confirmare ideo duxit magistro R. decano Theanensi Ecclesiam S. Leucii de Capua, quia ipsum praecedente collatione apostolica Capuanus Archiepiscopus de mandato Pontificis ea *investiverat:* hoc est in corporalem possessionem immiserat. *Investire* enim est possessionem iuridicam beneficiario conferre, Gl. in *cap. auctoritate* 4. *de institutionibus.*

(3) Innoc. III. in *cap. cum iamdudum* 18. *de praebendis* reprobavit, quod quidem electus ad praeposituram *die intrusionis suae ante confirmationem praesumpserit ministrare.*

(4) Paulus in *L. si ex stipulatione* 5. *D. de adquirenda possessione.*

(5) Alex. III. in *cap. ex frequentibus* 3. *de institut.*

(6) Nam *diligenter sunt mandati fines servandi, ex l. diligenter* 5. *D. mandati.* Id quod in superiori *cap.* 14. expositum sat est.

(7) Quemadmodum possessio fundi ut adquiratur, non omnes oportet glebas pedibus calcare, Fagnan. in *cap. cum olim de praescript. num.* 31.

recitationem litterarum provisionis apostolicae vel ordinariae coram pluribus testibus faciendam beneficiarium ipsum, vel eius procuratorem iudicet in possessionem corporalem, et realem beneficii: nimirum iubens, ut sese aqua lustrali adspergat, et genuflexus ante aram beneficii aliquantulum oret, maiorem dein aram osculetur. Missale Romanum aperiat, et claudat, sacra ornamenta tangat, campanulas pulset, intra Ecclesiam deambulet, aliaque id genus agat personaliter, quae ad officium, et potestatem beneficiarii pertinent: denique ad futuram memoriam res eiusmodi gesta in publico instrumento describetur, vel seiunctim, vel ad calcem earumdem litterarum (1).

V. In canonicatibus vero Cathedralium, et Collegiatarum debet possessio accipi coram Capitulo, convocatis consueto campanulae signo Canonicis, alias habetur tamquam infecta (2). Nam inspicere Canonici debent, an provisus qualitates habeat necessarias ad formam statutorum, privilegiorumque Capituli, seu Collegii, et iuramentum praestet de servandis statutis, et constitutionibus Capituli.

VI. Archidiaconus antiquo iure communi officium habet immittendi novos beneficiarios in possessionem, quam Innocentius III. *corporalem institutionem* appellat (3). *Institutio* autem stricte accepta est spiritualis: quia per eam conceditur spirituale ius canonicae, seu beneficii, seu ministerii ecclesiastici (4). Sed mos iamdiu inolevit post ademptam Archidiaconis potestatem vicariam Episcoporum, ut quilibet ecclesiasticus, vel notorius provisum ab Ordinario immittat in possessionem beneficii vigore clausulae bullis episcopalibus de stylo adiectae, qua omnibus, et singulis clericis, et notariis demandatur immissio novi beneficiarii in corporalem possessionem. Provisos autem apostolicos executor speciatim delegatus vel unus vel plures, vel ab eo, iisve subdelegatus. Quandoquidem canones, et leges cuique prohibent possessionem eiusmodi auctoritate propria apprehendere (5). Si cui autem Papa det facultatem capiendi auctoritate propria possessionem: is nonnisi vacuam ingredi poterit (6).

VII. Tempus, intra quod provisi de beneficiis corporalem debeant possessionem apprehendere, nullo generatim iure statutum est. Vix Greg. XIII. dum imperavit formam publicandae beneficiorum resignationis, iussit capiendam esse possessionem beneficii resignati etiam litigiosi intra sex menses, si beneficium citra montes fuerit, ultra vero montes, intra novem menses a data concessionis gratia, non autem a die praestiti consensus numerandos vigore litterarum apostolicarum desuper confectarum. Et si propter litem, aliudve legitimum impedimentum nequierit: saltem litteras apostolicas cum earum publicatione, si tunc facta erit, iudici, seu executori illarum, vel aliis, ad quos pertinet, intra idem tempus praesentare, et pro ipsarum litterarum executione instare, et possessionem hu-

(1) Rebuf. *par.* 1. *de missione in possessionem.*
(2) Rota coram Burratto *dec.* 418. *num.* 11.
(3) Innoc. III. in *cap. ad haec* 7. *de officio Archidiaconi.*
(4) Gl. in *cap. auctoritate* 4. *de institutionibus.*
(5) Innoc. III. in *cap. olim* 12.; et Greg. IX. in *cap. Pisanis* 19. *de rest. spoliat.*
(6) Fagnan. in *cap. cum olim de sent., et re iudicata num.* 39.

iusmodi instanter petere teneatur. Qui vero provisus fuerit de beneficio in Ordinarii manibus libere resignato, intra tres menses a die sibi factae provisionis illam publicet, et possessionem beneficii capiat: alioquin illis elapsis, irrita sit provisio, et beneficium eo ipso vacare censetur (1).

VIII. Tridentina Synodus cum nosset pravam consuetudinem, dum provisio, seu possessio alicuius beneficii, seu praebendae traderetur, usurpandi certas ex fructibus deductiones, vel promissiones, vel compensationes illicitas, quae *turnorum lucra* in aliquibus Ecclesiis nuncupabantur: decrevit, ut Episcopi eas fieri nullo pacto permitterent, nisi quae in usus pios converterentur, eosque ingressus, qui simoniacae labis, aut sordidae avaritiae suspicionem habuit, et pravas consuetudines omnimodis abolerent, laudabiles vero approbarent (2).

IX. Effectus quidem próficui ex possessione profluunt. In primis enim fructus facit suos novus beneficiarius ab ipso captae possessionis die (3): quum pendentes, qui a die vacationis usque ad possessionem eiusmodi decurrunt, ad Cameram apostolicam, vel Ecclesiam pertineant (4), 2: interdictum, et retinendae, et recuperandae possessionis ei cito conceditur sine tituli ostensione (5). 3. in pari caussa potior semper est conditio possidentis (6). Hic propterea praefertur ei, qui unum, idemque beneficium eodem die impetraverit (7).

X. Post annum pacificae possessionis tutus est a molestiis expiscatoris quum subdoli, tum negligentis, qui scilicet beneficium ipsum possessori nulliter collatum fuisse contendens per obreptionem impetraverit sibi, ut vacans de iure, litemque iudiciariam possessori non moverit intra sex menses a die impetrationis numerandos, vel eam non erit intra sex alios menses prosecutus. Nam Cancellariae Regula XXXV. *de annali possessore, ut improbi lites exquirentium motus comprimantur*, statuit, *quod quicumque beneficium ecclesiasticum tunc per annum immediate praecedentem pacifice possessum, et quod certo modo vacare praetenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, et nobilitatem possessoris eiusdem, et quotannis ipse illud possederit, ac specificam, et determinatam; ex qua clare poterit constare, quod nullum ipsi possessori in dicto beneficio ius competat, caussam in huiusmodi impetratione exprimere, et infra sex menses ipsum possessorem ad iudicium evocari facere, caussamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam diffinitivam inclusive prosequi debeat, et teneatur: alioquin impetratio praedicta, et quaecumque inde sequuta nullius existant firmitatis. Et idem impetrans de damnis, et interesse possessorem praedictum*

(1) Greg. XIII. in constit. *humano vix iudicio* §. 5., *et* 12.

(2) Trident. in *cap. in pluribus* 14. *sess.* 24. *de reform.*

(3) Fagnan. in *cap. gravis num.* 45. *de restit. spoliat.*

(4) Ex infra dicendis *cap. de spolio etc.*

(5) Alex. III. in *cap. in litteris*. 5. *de restit. spoliat.* rescripsit *prius de violenta electione, quam de canonica institutione agi debere: quia praedo etiam est secundum rigorem iuris restituendus.*

(6) S. August. in *can. non sane* 15. *C.* 14. *qu.* 5., Alex. III. in *cap. ad aures nostras* 6. *de praescript.* Bonif. VIII. in *cap. in pari caussa* 65. *de Reg. Iur. in VI.*

(7) Ex Bonif. VIII. in *cap. si a Sede Apostolica* 31. *de praeb. in VI.*, et Cancell. Reg. XVII. *concurrentibus in data*, de qua superius dixi *cap.* 6. *num.* 5., *et cap.* 12. *num.* 23.

propterea contingentibus, et satisfacere, et si possessorem ipsum iniuste, frivole, et indebite molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Camerae apostolicae sit adstrictus. nec alius, quam praemissae vacationis modus etiam per litteras, si neutri, *aut subrogationis, aut alias sibi quoad hoc, ut beneficium huiusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodolibet suffragetur, illudque nullatenus in antea litigiosum propterea censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes beneficia ecclesiastica cuiuscumque qualitatis per privationem, et amotionem, vel alias propter commissa excessus, et crimen vacantia, vel vacatura, et similiter ad impetrantes beneficia, tamquam vacantia per devolutionem* (1). Haec plane Regula cum prodiverit in odium impetrantis, vel improbi, vel negligentis: iniusta idcirco possessio etiam nulla, et asinina, ut aiunt sufficit ad eum a limine iudicii repellendum (2).

XI. Triennalis autem possessio pacifica longe utilior est. Alia enim Regula XXXVI. *de triennali* definit, quod *si quis quaecumque beneficia ecclesiastica, qualiacumque sint, absque* simoniaco *ingressu ex quovis* titulo *apostolica, vel ordinaria collatione, aut electione, et electionis huiusmodi confirmatione, seu praesentatione, et institutione . . . per* triennum pacifice *possederit (dummodo in beneficiis huiusmodi, si dispositioni apostolicae ex reservatione generali in Corpore Iuris clausa* reservata *fuerint, se non* intruserit) *super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat: necnon impetrationes quaslibet . . . irritas, et inanes censeri debere, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo* (3). Ex canone Concilii Africani desumpta haec Regula videtur, quo constitutum est, ut *si quisquam* Episcopus *aliquem locum ad catholicam unitatem converterit*, eumque *per triennium, nemine repetente converterit, ulterius ab eo non repetatur:* sed eiusmodi praescriptionis triennium non decurrat in praeiudicium episcopalis cathedrae vel vacantis, vel schismaticae, nisi ab eo d e, quo novus Episcopus ad eam assumptus erit, vel catholicam Fidem amplexus (4).

XII. Differentias inter utramque Regulam recitata verba statuunt. Quandoquidem prior *de annali* spectat ad coercendam in primis fraudem, subreptionem, et negligentiam impetrantis, nullumque novum ius in beneficio tribuit possessori: posterior autem *de triennali* possessori potissimum favet, eique ius in re firmum tribuit, canonicam scilicet legitimamque iusti tituli, et dispensationis pontificiae praesumptionem. Ea ortum actionis impetranti adversario non adimit, sed natam perimit, quoties intra sex menses, qui a die datae impetrationis decurrunt, litem ipse non

(1) Regula haec *de annali possessore* typum fortasse habuit ab ea possessione, quam leges civiles ex primo decreto iudicis indulgent actori ob contumaciam adversarii. Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. etiam decrevit, quod actor ob contumaciam partis adversae possessionem adeptus rei servandae caussa, fiat elapso anno verus possessor, *cap. contingit* 9. *de dolo, et contumacia.*

(2) Gomes. in *Reg. de annal posses. qu.* 57. *n* 8 . *et qu.* 64. *circa finem*, Gonzalez in *Reg.* 8. §. 7. *n.* 10., Card. de Luca *de beneficiis discur.* 47. *n.* 19.

(3) Triennali possessori favet etiam Regula XXIX. de subrogandis collitigantibus, quam supra exposui *cap.* 5. *n.* 61. In hoc igitur fallit Catoniana regula, cui suam addit auctoritatem Bonifacius VIII. in *cap. non firmatur* 18. *de Reg. Iur. in VI.* inquiens: *Non firmatur tractu temporis, quod de iure ab initio non subsistit.*

(4) Conc. African. in *cap. placuit* 1. *de praescript.*

intentarit, vel intra annum a die motae litis, in quo scilicet possessor vocatus in ius fuerit, numerandum prosecutus non sit: haec impetrant s actionem in ortu ipso praefocat. Ea in iudicio tantum possessorio suffragatur: haec etiam in petitorio. Ea idcirco nullam requirit ostensionem tituli pro retinenda possessione mobili, et revocabili: haec titulum saltem coloratum exigit instar legitimae praescriptionis pro retinenda possessione irrevocabili. Ea suam saepe vim amittit ex clausula specialis derogationis, quae adiici solet in pontificiis impetrantium litteris: haec vero secus (1). Itaque impetrantem vel subdolum, vel desidiosum, quamvis vicerit annalis posssessor, ac repulerit a iudicio: tamen tutus a futuris molestiis, novisque adversariis non erit, quoad ipse triennalem pacifice impleverit possessionem. In eum porro insurgere adhuc alii poterunt, qui beneficium idem ab Apostolica Sede sine ullo vitio impetraverint cum expressa derogatione Regulae *de annali*, litemque rectius intra sex inde menses instituere, totidemque alios prosequi usque ad sententiam sedulo studuerint.

XIII. Ambae nihilominus Regulae istae postulant aequo iure possessionem pacificam, et non interruptam, nullisque molestiis turbatam intra annum. Nam utrique possessori quum annali, tum triennali, dum suis ii adversarii obiiciunt speciatim Regulae alterutrius exceptionem, incumbit onus probandi concludenter possessionem suam eo die, nemine contradicente, revera captam, et pacificam in eam perseverantiam, effectusque ab ea productus, exercitium puta sacri ministerii, officiique spiritualis beneficio adnexi, et perceptionem fructuum una cum administratione rerum temporalium ad illud pertinentium (2). Inanis porro, et frustranea esset nuda immissio in possessionem ex notarii, vel executoris testimonio, aut scriptura patens, nisi fructus exinde immissus perceperit, atque administrationem rerum beneficii temporalium, et spiritualium reipsa habuerit. Possessionem semel adeptus praesumitur quidem retinuisse continue, nisi probetur interrupta (3). Sed ostensa interruptio eam enervat, efficitque turbidam (4).

XIV. Pacificus plane possessor is est, cui nulla super beneficio mota quaestio *iuris*, et lis fuerit in iudicio, nullaeque molestiae *de facto* possessionem turbaverint (5). Hinc turbida in primis fit possessio, statim ac possessor intra annum possessionis suae instante adversario vocatus in ius erit primus adversarii libellus ei erit iussu iudicis proprii, et competentis rite nunciatus (6), quo vel possessio sola, vel titulus, ac proprie-

(1) Hasce differentias observat etiam Rigant. *Reg.* 35. *de annali num.* 89., et *seq.* in Reg. 36. *de triennali* n. 15., et seq. n. 214; *et seq.*

(2) Card. de Luca *de beneficiis in summa num.* 241., *et seq.*

(3) Rota *dec.* 794. *n.* 5., *et* 6. *coram Buratto. dec.* 117. *n.* 4. *par.* 17. *rec.*, et in *Caputaq. canonicatus* 27. *Ian.* 1694. *coram Priolo*, apud Rigant. in *Reg.* 55. *num.* 130.

(4) Alex III. in *illud autem* 8., *et* Innoc. III. in *cap. auditis* 11. *in fine de praescript.* Diocl., et Maxim. in *l. longi* 2. *C. de praescript. longi temporis.*

(5) Rota coram Burratto *dec.* 669. *num.* 2. *dec.* 64. *n.* 9 *par.* 12. *rec.*, Fagnan. in *cap. si quis num.* 5. *de confirm. utili.*

(6) Rota coram Dunozetto *dec.* 574. *n.* 3, coram Seraphin. *dec.* 316. *n.* 4, coram Coccino *dec.* 475. *n.* 6., *et par.* 3 *rec dec.* 264. *n* 11., *et par.* 19. *rec dec.*

tas beneficii oppugnetur (1). Si vero post annum a die impetrationis elapsum lis possessori moveatur: non valet possessionem triennalem interrumpere ex vi Regulae *de annali* (2). Extincta quomodolibet lite, vel per spontaneam adversarii cessionem, vel contumacem desertionem, vel rem iudicatam, si possessor per integrum exinde triennium in pacifica possessione steterit, omni tempore, quod ante litem, vel ea pendente effluxit, abscisso penitus, et detracto, alios adversarios non timebit amplius (3). Qui vero definitivam pro se obtinuit sententiam, ad tranquillitatem possessionis non redit, nisi postquam sententia transiverit in rem iudicatam: quum appellatio, vel nullitates in eam rite obiectae suspendant litis extinctionem, et novi triennii cursum (4).

XV. Molestiae tum extraiudiciales quoties vel perceptionem fructuum, vel administrationem, et functiones beneficiarias quolibet actu naturali, et auctoritate vel privata, vel iudicis incompetentis de facto impediant, seu possessorem sua e sede abiiciant, vel deturbent, pacificam quoque interrumpunt possessionem (5). Quaestiones iuris extra iudicium agitatae, vel ad iudicem incompetentem delatae, non item.

XVI. Quodlibet beneficium ecclesiasticum duplici quum iure aeque principaliter constet ministrandi spiritualia, et percipiendi fructus temporales, ille solum videtur pacificus esse possessor, qui utroque fruatur: secus qui alterutro. Rota Romana quaestionem pro eo, qui iura tantum spiritualia sine perceptione fructuum possederat, minime definivit (6). Spiritualia si ab uno, et ab altero temporalia possideantur: neutrius tunc poterit pacifica possessio consistere. At eum procul dubio possessorem pacificum putant, qui maiore ex parte res temporales detineat, fructusque percipiat, una cum spirituali ministerio (7).

XVII. Instar legitimae usucapionis bonorum (8) triennalis beneficio-

525. §. *fin.* Card. de Luca *disc.* 92. *n.* 22. Iustinianus in *l. ut perfectius* 2., et *l. si ex multis* 3. *C. de annali exceptione* statuit sufficere ad interrumpendam praescriptionem sive triennii, sive longi temporis denunciationem libelli factam, vel possessori praesenti, vel si abesset, praesidi, vel Episcopo, vel defensori vel tabulario publico, vel tribus testibus. Interpellationem sufficere ait textus in *l.* 1. *C. de praescript. longi temporis.*

(1) Quidquid sit de beneficio ipso, quod *litigiosum* non efficitur, nisi per litis contestationem super titulo, ac proprietate, ex supradictis *cap.* 5. *num.* 60.

(2) Sever. et Antonin. in *l.* 1. *C. de praescript. longi temporis* Iuliano rescripsere: *num post* motam, *et* omissam *quaestionem ad nova dominia bona fide transierint, et exinde novi viginti anni intercesserint sine interpretatione: non est inquietanda, quae nova possidet persona.*

(3) Rota pluries apud Rigant., in *Reg.* 36. *num.* 87.

(4) Alex III. in *cap. super eo* 10., et Innoc. III. in *cap. bonae* 51. *de appellat.*

(5) Card. de Luca *loc. cit.*, Rota apud Rigant. in *Reg.* 36. *n.* 60., *et seq.* tum *n.* 75., *et seq.*

(6) Rota *dec. n.* 39., *et dec.* 154. *part.* 12. *rec.* apud Rigant. *ibidem n.* 88.

(7) Rota *dec.* 154. *n.* 38. *par.* 12. *rec.* apud Rigant. *loc. cit. n.* 89.

(8) Iustinianus in *l. un. C. de usucapione transformanda, et sublata differentia rerum mancipi, et nec mancipi*, statuit, *ut si quis alienam rem mobilem, seu se-moventem in quacumque terra sive italica, sive provinciali* bona fide *per continuum* triennium *detinuerit, is firmo iure eum possideat, quasi per usucapionem eam adquisitam.*

rum possessio titulum coloratum, bonamque fidem omnino postulat, ea ut valeat secundum Cancellariae Regulam prodesse (1): *cum in praescriptione rerum ecclesiasticarum bona fides, et iustus titulus exigantur* ex iuris axiomate, quod tradit Innocentius III. (2). *Iustus*, inquam, titulus non revera, sed per speciem: scilicet verosimilis, probabilis, coloratus evidenter, quamvis invalidus, irritus, iniustus latenter (3). Opus porro non habet iure possessionis adventitio, qui canonico titulo evidenter iusto, et valido ecclesiasticum beneficium sit adeptus, et firmo iure possideat (4). Quemadmodum igitur Iure civili rem alienam longaeva possessione praescribit, qui eam ex quovis contractu bona fide inito accepit a non domino, vel tamquam heres, aut legatarius putativi domini (5): sic Iure canonico beneficium sibi praescribit possessor triennalis, qui illud ex. gr., ab Apostolica Sede nulliter per subreptionem, vel obreptionem sine dolo impetravit, etiamsi illegitimus, impubes, aliamve ob caussam incapax ipse fuerit (6), vel reservatum Sedi Apostolicae, aut devolutum ex ordinaria dioecesani Episcopi collatione obtinuerit, ignorans apostolicam reservationem in Corpore Iuris non clausam, vel devolutionem. His enim casibus recte dicitur titulum habere coloratum ex institutione vel pontificia, vel ordinaria, bonamque fidem exinde praesumptam. At colorem iustitiae omnem titulo adivit evidens illius nullitas, quae malam possessoris fidem detegit. Dissentiunt Doctores, an malae etiam fidei possessorem haec Regula tueatur (7). Quaestionem, puto distinctione dirimendam, ut scilicet in possessorio tantum iudicio mala fides triennali possessori non officiat: secus in petitorio.

XVIII. Quoties autem vel tituli colorati, vel bonae fidei defectus pateat: nullus erit locus praescriptioni. Ad Germanos triennalis Regulae usum

(1) Pius IV. in responsione ad Germanos an. 1563. apud Raynaldum ad an. 1503. *n.* 44. Rigant. in *Reg.* 36. *n.* 90., *et seqq.*

(2) Innoc. III. in *cap. cum ex officii* 16. *de praescript.* Namque *beneficium ecclesiasticum non potest licite sine institutione canonica obtinere*, inquam cum Bonif. VIII. in *cap.* 1. *de Reg. Iur. in VI.* Idemque Innoc. in Conc. generali definivit: *uti nullu valeat absque bona fide praescriptio tam canonica, quam civilis...et qui praescribit, in multa temporis parte habeat conscientiam rei alienae*, *cap. quoniam* 20., *et ult. eod tit.*

(3) Pseudo-synodus Basileensis an. 1421. *sess.* 23. *tit. de pacif. possess.* ita decrevit: *Quicumque non violentus, sed habens* coloratum titulum *pacifice, et sine lite praelaturam, dignitatem, beneficium, vel officium triennio proximo hactenus possedit, vel in futurum possidebit: non possit postea in petitorio, vel possessorio a quoquam molestari: excepto hostilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo protestari, et illud intimare teneatur.*

(4) Gl. in *cit. cap. cum. ex officii* 17. *verb. iustus*, Rigant. in *Reg.* 36. *n.* 98. *et seq.*

(5) Ex *lib.* 41. *tit.* 4., *et seq. D. pro emptore, pro donato, pro herede.* Nam nullo iusto titulo *praecedente possidentes ratio iuris quaerere dominium prohibet, et usucapionem induci*, *l. nullo iusto* 24. *C. de rei vindic.*

(6) Rigant. in *Reg.* 36. *n.* 197., *et seq.*

(7) Affirmant Gomesius in *Reg. de triennali quaest.* 41. Tondutus Rubeus, Rota, ceteri apud Rigant. *ibidem n.* 211. Alii negant cum P. la Croix *theol. mor. lib.* 4. *n.* 695, Bauny *de beneficiis disp.* 11. *qu.* 5; Sanchez *lib.* 2. *cons. moral. lib.* 2. *cap.* 5. *dub.* 25.

sine limitatione postulantes respondit Pius IV. hanc aequissimam pro triennali possessore latam nullo pacto ei suffragaturam, *qui evidenter notorie absque ullo canonico titulo in beneficium ecclesiasticum se intruserit* (1). Ipsamet Regula *de triennali* palam excipit *simoniacos* improba fide titulum adeptos, possessionemque nefariam ingressos (2): nec non *intrusos* sine collationis apostolicae titulo in possessionem beneficiorum Sedi Apostolicae reservatorum reservatione in Corpore Iuris clausa, scilicet vacantium per obitum naturalem in Urbe, vel intra duas diactas contingentem. Haec autem exceptio firmat regulam in contrarium pro iis, qui ab Ordinariis locorum obtinent beneficia reservata reservationibus non clausis in Corpore Iuris.

XIX. Iisdem etiam ex caussis possessio triennalis non suffragatur spoliatori violento, qui privata scilicet vi possessorem alium deiecerit (3): aut per sententiam notorie nullam possessoris iniuste privati beneficium obtinuerit (4). Nec ei qui beneficium impetravit ante verosimilem vacationis illius notitiam (5). Nec saeculari clerico, qui beneficium regulare ab Apostolica Sede obtinuit cum decreto profitendi vota regularia infra certum tempus, alias irrita sit collatio (6). Nec Lateranensibus professis sine pontificio indulto Parochiam saecularem adeptis (7). Neque impetrantibus per subreptionem monasteria, quae capita sunt Ordinum, sive prioratus, vel abbatias eorumdem capitum filias, quoties singulorum qualitas expressa nominatim non sit (8). Nec possessori duorum incompatibilium (9). Ne-

(1) Pius IV. in resp. ad Germanos apud Raynald. *tom.* 2. *an.* 1563. *n.* 44.

(2) Igitur a contrario sensu qui beneficium sine vitio simoniae impetraverint ex apostolica, vel ordinaria collatione, et postea pro illo retinendo simoniam admiserint, praesidio huius Regulae quidem utuntur, DD. apud Rigant. *loc. cit. num.* 133. Qui simul observat simoniam realem dumtaxat triennali possessori nocere.

(3) Post Sotum Rota coram Priolo *dec.* 395. *in fin. et dec.* 411. *n.* 8., *et* 9. Rigant. in *Reg.* 36. *n.* 148., *et seq.* id insuper firmat decreto superius laudato Synodi Basileensis, et antiquis notabilibus Cancellariae.

(4) Post Gomes., Rigant. *ibidem. n.* 145.

(5) Rebuff. in *praxi benefic. Gl.* 6., Kochier in *Reg. de verisimili notitia n.* 17. Rigant. in reg. 30. *num.* 35.

(6) Tondut. Pastor, Cabassutins Broedus ad Lovet. apud Rigant. in *Reg.* 36. *n.* 184. At Sanchez *cons. moral. lib.* 2. *cap.* 1. *dub.* 31, P. la Croix. *theolog. moral. lib.* 4. *n.* 66., et Fagnan. in *cap. cum in magistrum n.* 33 *de elect.* tenent eis hanc Regulam prodesse, qui sine dispensatione apostolica, et sine decreto irritante beneficium regulare in statu clerici saecularis per triennium possederint.

(7) Ex decreto Clementis X. die 18. Martii 1671. apud Rigant. *ibidem n.* 161. Videsis dicta superius *cap.* 9. *n.* 33., *et seq.*

(8) *Trid.* in cap. *cum plerumque* 21. sess. 25. *de Regular. sanxit* « ut in pro» visionibus monasteriorum (quae capita sunt, ac primates Ordinum, sive abbatiae, » sive prioratus filiae illorum capitum nuncupantur) qualitas singulorum nomina» tim exprimatur, aliterque facta provisio subreptitia esse censeatur, nullaque sub» sequuti possessione etiam *triennali* adiuvetur ». *Videsis dicta superius* cap. 9. num. 32.

(9) S. Congr. Conc. in *Aquilana* 14. *Aug.* 1642. proposito dubio, *an praesumpta* dispensatio, *in qua fundatur Regula* de triennali, *habeat locum contra decreta S. Conc. Trid. cap.* 4. *sess.* 7., *et cap.* 27. *sess.* 24., *et cap.* 15. *sess.* 25. *de reform.* (quae sanxerunt *ipso iure* vacare beneficia omnia incompatibilia, nisi alterutrum ea possidens intra sex menses dimiserit), *ita ut possidentes beneficia* con-

que ei, qui publicationem resignationis a Gregorio XIII. imperatam omiserit (1). Quique sacros Ordines canonicatibus Cathedralium, vel beneficiis curatis adnexos, vel gradus iuris, vel theologiae intra annum, aliudve spatium temporis praefixum litteris apostolicis cum decreto irritante gratiam ipso iure, quo nimirum titulus collationis apostolicae penitus deletur, et adimitur (2): aut litteras apostolicae collationis falsaverit (3). Aut sine litteris vi solius gratiae signatae possessionem beneficii nactus sit (4). Neque consanguineis resignantium, vel Episcopi dioecesani adeptis ab ipso Episcopo beneficia in manibus eius resignata (5). Neque iis, qui beneficium de iurepatronatus, tamquam devolutum ab Ordinario loci spretis patronis expiscaverint (6). Hisce porro casibus vel titulus coloratus, vel bona fides, vel utrumque deficit.

XX. Ex his autem ipsis triennali Regula exclusis nonnullos iuvat possessio decennalis, quae vim habet supplendi omnes fere tituli defectus (7), et firmandi praesumptionem apostolicae dispensationis urgentiorem (8), et elidendi contrarias quoque praesumptiones. Itaque adeptus beneficium per simoniam a suis consanguineis, se inscio, vel contradicente admissam, quamvis tueri se nequeat praesidio triennalis possessionis, quia in externo foro simulata, et affectata iure praesumitur ea ipsius ignorantia, et contradictio (9): tamen proderit possessio decennalis contrariam eiusmodi praesumptionem absorbens, novumque titulum dispensationis apostolicae (10), quam solet ignorantibus Papa indulgere (11), pariens praesumptione validiore. Ad retinenda etiam incompatibilia prodesse decennalem possessionem Doctores concordant (12). Ea insuper, quae sine Datariae litteris provisus per Signaturam nactus fuerit (13).

tra dispositionem dictorum decretorum ex tali praesumpta dispensatione suam possessionem tueri valeant? respondit *non habere locum contra dicti Concilii Tridentini decreta.* Idipsum pluribus firmant Fagnanus in *cap. de multa de praeb. num.* 48; *et seq.* Garcia, Pitonius, Rota; ceteri apud Rigant. *loc. cit.* 151., *et* 155.

(1) Gregor. XIII. in *const. humano vix iudicio* 84. aperte sanxit *constitutiones de annali, et triennali possessore* nullimode suffragaturas tam resignantibus, quam resignatariis publicationem negligentibus. De qua dicam inferius.

(2) Rota coram Raynaldo, Petrutio, Piton., Card. de Luca, alii apud Rigant. *loc. cit. n.* 186. Secus dicendum, ubi irritans eiusmodi decretum collationi apostolicae adiectum non sit.

(3) Ant. M. de Nigris *de vacat. benefic. cap.* 33. *n.* 5. *lib.* 1.

(4) Id aperte sanxit Iulius III. *const.* 3., et definivit Rota *dec.* 216. *n.* 8., *et seq. par.* 6. *rec.* apud cit. de Nigris *cap.* 51. *n.* 30.

(5) Ex *const.* 58. S. Pii V., *et* traditis *a* Rigantio *loc. cit. n.* 126.

(6) Rota in Ostunensi 10. Decembris 1708. coram Cripso *dec.* 3., et alibi apud Rigant. *loc. cit. num.* 144.

(7) Card. de Luca *de benefic. in summa num.* 244, Rota, et DD. apud Rigant. in *Reg.* 36. *n.* 96.

(8) Rota *dec.* 341. *num.* 6. *par.* 15. *rec.*, coram Bichio *dec.* 198. *num.* 3., et alibi apud Rigant. *loc. cit. n.* 156.

(9) Ex *cap. sicut* 33. *de simonia*, et *cap. tuam* 10. *de aetate, et qualit.*

(10) Anton. M. de Nigris *de vacat. benefic. cap.* 30. *n.* 12., *et* 13. *lib.* 1.

(11) Clemens III. in *cap. de Regularibus* 25., et *cap. ex insinuatione* 26. *de simonia*, Coelestin. III. in *cap. nobis* 27. *eod tit.*

(12) Apud Rigant. *ibidem n.* 156., et de Nigris *cap.* 7. *n.* 27.

(13) Card. de Luca *de benefic. disc.* 91., *et* 131, de Nigris *loc. cit. cap.* 51. *n.* 30.

XXI. Consentiunt plane Doctores, quod possessor decennalis non cogatur titulum, qui pro eo praesumitur, ostendere (1). At vero ad colorandum eum, seu potius ad iura praesumendum deficientis tituli colorem tres alios annos ultra decem requirunt (2). Adeptus hinc beneficium, uti vacans per obitum eius, qui illud possedit per decennium, tutus omnino est a molestiis cuiuspiam, qui illud ipsum ex vacatione, *ut prius* impetraverit (3). Quisquis eum beneficium vacans per alicuius obitum nanciscitur, titulum defuncti non cogitur is ostendere: sed sufficit ei possessionem dumtaxat demonstrare, ut preces ipsius hac in re innixae veritati iudicentur (4).

CAP. XVI.

De sequestratione possessionis et fructuum (*).

I. Deposito aequatur litigiosae rei sequestrum.
II. In caussis beneficiariis vel fructus tantum temporales, vel tota administratio spiritualium, ac temporalium sequestro dantur.
III. Lite pendente sequestrum vetat Regula Iuris.
IV. Sed variis ex caussis eam limitantibus iudices arbitrium habent sequestrandi fructus.
V. Hocce sequestrum vel initio litis decernitur, vel in decreto termini reservatur ad quamlibet partem iudicii.
VI. Alterum formale non adponitur, nisi post sententiam in Curia tantum Romana prolatam contra possessorem non triennalem.
VII. Violantes formale sequestrum incurrunt excommunicationem, et a iure cadunt suo.
VIII. Ob suspicionem amoveri sequester potest, aliusque idoneus subrogari.

I. Depositarium rei litigiosae iureconsulti *sequestrem* appellant: quum *in sequestrem depositi actio competat* ex Ulpiani sententia (5), seu *depositi sequestraria actio*, ut ait Pomponius (6). *Sequester* a Modestino *dicitur is,*

(1) Card. de Luca *disc.* 91. *de benefic.* 16, Rota coram Penia *dec.* 1004. *n.* 4, coram Celso *decis.* 130. *n.* 10, *dec.* 178. *n.* 12. *par.* 11. *rec.*, et alibi, Pastor, Tondutus, Peleus, Lotterius apud Rigant. in *Reg.* 36. *n.* 66.
(2) Card. de Luca *loc. cit. n.* 15, Rota coram Ubaldo *dec.* 877. *n.* 3, coram Coccino *dec.* 475. *n.* 4, coram Penia, *dec.* 1004. *n.* 4., coram Bichio *decis.* 198. *n.* 36, coram Celso *dec.* 130. *n.* 11., et *dec.* 518. *n.* 16. *par.* 14. *rec.*
(3) Rota coram Priolo in Cochensi 12. Iunii 1701, apud Rigant. *loc. cit. n.* 29.
(4) Ex Lapi sententia *alleg.* 89. Rota coram Coccino *dec.* 188. *n.* 2, de Nigris *de vacat. benefic. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 29.
(*) Ad *tit. XVII. lib.* 2. Decretalium.
(5) Ulp. in *l. ei, apud quem* 5. *D. depositi.*
(6) Pompon. in *l. si in Asia* 12. *D. eodem.*

apud quem plures eamdem rem, de qua controversia est, deposuerunt: dictus ab eo, quod occurrenti, aut quasi sequenti eos, qui contendunt, committitur (1): vel quod eius fidem *sequantur* ambo collitigantes. Dum igitur iudex alicui vel officio suo, consensu signatorum controversae rei custodiam committit eo pacto, ut lite finita rem ipsam una cum fructibus restituat victori: *sequestratio*, et *sequestrum* fieri tunc dicitur.

II. Duplex usuvenit sequestrum in caussis beneficiariis, altero nimirum sola fructuum perceptio, et custodia in sequestrem transfertur, quum beneficiarius administrationem rerum spiritualium, et ministerium Ecclesiae, officiumque sibi retineat; altero tota Ecclesiae, seu beneficii administratio quum spiritualis, tum temporalis, videlicet ecclesiasticum ministerium una cum fructibus temporalibus beneficiario adimitur. Illud *provisionale*, hoc pragmatici *formale* appellant.

III. Initio litis, eaque pendente, quoad usque iura partium in ambiguo versantur, probationibus in iudicio non factis, neque discussis, sequestrum iura, et civilia, et canonica prohibent: quod scilicet possessori, vel ex toto, vel ex parte adimit possessionem, et ordinarium interdictum retinendae possessionis. Pecuniae sequestrationem inhibuerunt speciatim Honorius, et Theodosius Imp. in profanis caussis contractuum, antequam debitor probationibus actoris rite convinceretur: quum eo non probante sit absolvendus (2). Nam Felix II. ad Episcopos in Alexandrina Synodo congregatos rescripsit, quod nullus litigantibus Sedes, puta Ecclesias, et beneficia surripere, aut res eorum auferre, aut aliquam eis vim inferre praesumat, antequam eorum caussa finiatur (3). Ideo enim melior potissimum est conditio possidentis, quam petitoris, quia lite pendente *uti possidetis, ita possideatis* oportet ex recepta interdicti possessorii formula (4).

IV. Nihilominus *provisionale* sequestrum passim usurpatur, et apponitur super beneficii litigiosi fructibus, quoties id aequum prudenti iudicis arbitrio videatur. Puta propter scandalum evitandum (5), vel ob probabilem dissipationis fructuum timorem (6), eo praesertim casu, quo possessor a sententia contra seipsum lata provocaverit (7). Vel in poenam contumaciae (8). Vel ob attentati vitium, si possessio post interpositam appellationem, aut intra decem dies ad appellandum concessos capta fuerit (9). Vel ob apertam tituli deficientiam, vel turbidam possessionem,

(1) Modestin. in *l. sequester* 110. *D. de verb. sign.*
(2) Hon., et Theod. in *l. un. C. de prohibita sequestrat. pecuniae.*
(3) Felix II. in *can. quoties* 16. C. 2. *qu.* 6.
(4) Quam tradit Ulpianus in *l.* 1. *D. uti possidetis.*
(5) Innoc. III. in *cap. ad hoc unxit.* 1. de *sequestrat. possess., et fruct.*
(6) Honor. III. in *cap. dilectus* 2. *eod. tit.*
(7) Greg. IX. in *cap. ab eo* 3., *et fin. eod. tit.* Innoc. III. insuper in *cap. pastoralis* 53. *de appellat.* rescripsit proventus ecclesiasticos subtrahi appellantibus a sententia excommunicationis debere, eosque ad tempus ecclesiasticis beneficiis spoliari. Nam *illi proventus ecclesiastici merito subtrahuntur*, textus ait, *cui Ecclesiae communio denegatur.*
(8) Alex. III. in *cap. ex litteris* 2. *de dolo, et contumacia*, Innoc. III. in *cap. olim.* 25. *de rescriptis.* In utroque enim foro iamdiu exolevit missio actoris in possessionem adversarii contumacis ex primo, vel secundo decreto.
(9) Bonif. VIII. in *cap. non solum* 7. *de appell. in VI.*

alismve probabilem caussam ex facti, rerumque adiunctis eruendam. Et vicissim contrario iudicis imperio, arbitrioque istiusmodi sequestrum provisionale tolli, et revocari solet, quoties prudentia, et aequitas id suadest: praesertim si beneficii possessor idoneam praestabit cautionem, vel satisdationem servandi fructus, eosque victori, postquam succubuerit, exhibendi. Nam ex prsgmsticorum proverbio, *cautio est medicina sequestri*. Pius IV., ubi constet de reservatione beneficii litigiosi (1), et S. Pius V., quoties lis vertitur circa dignitatem, vel canonicatum, vel portionem Ecclesiae Cathedralis, vel Collegiatae (2), iubent sequestrum super fructibus tunc apponi.

V. Ut autem *lite pendente nihil innovetur* a iudice iuxta vulgarem Iuris regulam, qui litigiosam in eodem statu, in quo ante litis contestationem erat, relinquere post contestationem ad exitum usque iudicii debet (3): haec praxis in foro inolevit, ut antequam terminus ad probandum incumbentia impertiretur, petitum faciat sequestrum: vel saltem in ipso termini decreto sibi iudex reservet provisionem faciendam super petito sequestro in qualibet parte iudicii, quatenus si intra termini probatorii compilationem constiterit de bono iure petitoris, valeat sequestrum rite decernere, explicando provisionem in decreto termini reservatam (4).

VI. Quod vero ad *formale* sequestrum, Clemens V. in Concilio Viennensi constituit, *ut una contra possessorem diffinitiva sententia super beneficio* apud Sedem Apostolicam dumtaxat *in petitorio*, *vel possessorio promulgata, beneficium ipsum a possessore huiusmodi* (*dum tamen* triennio pacifice *ab eo antea* possessum *non fuerit*) *per loci Ordinarium apud aliquam personam idoneam sequestretur*, *quae* plenam *de ipso* curam *gerens*, *id*, *quod de fructibus ipsius* (*debitis eiusdem supportatis* oneribus) *superesse contigerit*, *illi restituat*, *qui finalem in caussa victoriam obtinebit*. . . . *non obstante si contra praefatam sententiam de nullitate forsan opponatur* (5). Una igitur vel prima sententia, quam pronunciaverit contra possessorem Curia Romana, non obstante appellatione, vel remedio nullitatum, locum formali sequestro dat: quod beneficii substantiam afficiens omnem penitus possessionem adimit, cautionis medicinam non admittit, nec revocatur umquam, nisi per rem iudicatam in exitu litis (6). At aliorum inferiorum sententia una, quae appellatione interposita, aliove Iuris remedio suspenditur, hunc effectum non parit. Absurdum enim esset, quod per singulas Ordinariorum, vel delegatorum iudicum sententiss, quae revo-

(1) Pius IV. in *const. sanctissimus*, apud St. Quaranta verb. *sequestrum*.
(2) Pius V. in *const. cordi nobis*, apud eumdem.
(3) Gelasius in *can. quia res* 5o., *et fin. C. XI. qu.* 1.
(4) Regens de Rosa in *prax. civ. decretor. in prima inst. ord. iud. cap.* 6. *n.* 14., *et seq.*
(5) Clementina *un. de sequestrat. possess.*, *et fructuum*.
(6) Card. de Luca in *summa de benefic. num.* 277. Ius etiam civile vetat sequestro datam semel pro executione sententiae possessionem revocari ante rem iudicatam, *l. si pecuniae* 6. §. *un. D. in possessionem legatorum*. Qui *fideicommissi servandi caussa*, Iulianus ibi ait, *in possessionem missus est, non prius de possessione decedere debet, quam ei fideicommissum solutum, aut eo nomine satis datum fuerit, nam quod si integra re fieret, in possessionem non mitteretur id cum offeretur, discedere a possessione debet.*

cantur saepius, et facilius, possessores ab eis appellantes possessione sua interea priventur: dum appellatione lis ad contestationis terminum redierit. Triennalem vero possessorem ab omni etiam formali sequestro palam eximit expressa Clementinae constitutionis littera.

VII. *Si quis autem*, idem Clementinae textus ait: *sequestrationem huiusmodi impedire, vel fructus sequestratos quoquo modo praesumpserit occupare: excommunicationis incurrat sententiam ipso facto, a qua (nisi impedimento prius amoto, et occupatis per eum fructibus restitutis) nullatenus absolvatur. Et nihilominus si de litigantibus fuerit: iure (si quod in huiusmodi beneficio, vel ad ipsum forsitam competebat eidem) hoc ipso se noverit cecidisse.* Censuram hanc maiorem, iacturamque totius iuris in beneficio quaesiti incurrunt violatores formalis tantum sequestri: non alii, qui alias poenas pro modo contumaciae suae, spretaeque iurisdictionis dabunt arbitraria.

VIII. Suspectum utique sequestrem fas est partibus eiurare, eiusque amotionem rite postulatam cognita suspicione obtinere, ut possessio ad alterius idoneae personae custodiam, curamque transferatur (1), quoadusque iudicata res litem penitus extinxerit.

CAP. XVII.

De fructibus.

I. A beneficio, quod spiritualis iuris est, fructibus temporales differunt.
II. Nec non a praediis, et rebus Ecclesiae fructus ipsos parientibus.
III. Stricta notio fructuum distributiones quotidianas non continet.
IV. Incerti distributionum fructus labore personali quaeruntur, certi secus.
V. Distributiones quotidianae instar diurni stipendii ad heredes transmittuntur.
VI. Fructus generatim suos facit beneficiarius a die adeptae possessionis, qui suum impleat officium, secus qui idipsum non implet, nec residet.
VII. Facere suos idem sonat, quod dominium adquirere.
VIII. Eosque profanos efficit, statim ac perceptos cum rebus suis commisisset, et distrahit ad libitum, suisque creditoribus obligat.
IX. Locare praedia ad triennium beneficiario licet sine anticipatis solutionibus, et sine successorum praeiudicio.

(1) Ridolphin. in *prax. iudic. par.* 2. *cap.* 12. *n.* 75., *et* 331.

X. Locationes ecclesiasticae ex indulto ultra unicum annum cum anticipata solutione non valent, nec obligant successorem.

XI. Cessio exactionis fructuum beneficii ad vitam, vel in longum tempus irrita nunc est, simul, et cessio pensionis intra sex menses a die possessionis.

XII. In pauperes, et fabricam Ecclesiae, aliosque pios usus a fundatore volitos sunt beneficiorum fructus ex parte impendendi.

XIII. Portionum istarum administratores, et dispensatores sunt ipsimet beneficiarii.

XIV. Solis primum Episcopis qua saecularibus, qua regularibus concredita fructuum omnium ecclesiasticorum administratio libera, tum ad omnes beneficiarios extensa.

XV. Clericis beneficiariis adimere partem administrationis fructuum beneficiorum etiam de iurepatronatus non licet respectu pauperum, et fabricae.

XVI. Negligentibus refectionem Ecclesiarum beneficiariis Clemens VII. partem fructuum sequestro dare iussit.

XVII. Aliis quoque oneribus subiguntur fructus beneficiorum, Seminarii taxae, et stipendio Canonici theologi, simul et grammaticae magistri.

XVIII. Usufructuariis beneficiarios clericos alii aequant.

XIX. Usuarios alii eos esse maximopere contendunt.

XX. Horum sententia non minuit liberalitatem clericorum erga suos consanguineos pauperes.

XXI. Alii usufructuarios quoad vivunt, usuarios tempore mortis existimant probabilius.

XXII. Donationes inter vivos fructuum ecclesiasticorum idcirco valent, at quae mortis caussa, vel tempore fiunt non item.

XXIII. Fructuum alii naturales, aliique civiles sunt.

XXIV. Rursum dividuntur in consumptos, et extantes in perceptos, seu exactos, et pendentes, seu inexactos.

I. Quoniam spirituale ius percipiendi ecclesiasticos redditus propter spirituale ministerium in beneficiis ecclesiasticis a fructuaria perceptione redditιum distinguitur (1): duo proinde iura in eisdem singulis separatim considerant: alterum scilicet *spirituale*, quod hactenus expensum est, et alterum *temporale*, quod corpoream utilitatem solummodo spectat (2), mox edisserendum. Hinc patet, cur fructus beneficii temporales ab ipso beneficio, suaque ipsorum caussa producente abscissi, et seiuncti instar rerum profanarum censeantur in contractibus humanis, et dispositionibus (3).

(1) Liquet ex supradictis *cap. 2. n. 1., et seq.*

(2) Rota *dec. 200. n. 11. par. 6. rec.*, et *dec. 36. n. 31. par. 12. rec.*, alibique.

(3) Ex traditis a Card. de Luca *de regal. disc. 11. n. 10.*, et infra dicendis.

II. A rebus praeterea Ecclesiae non alienandis, hoc est praediis qua urbanis, qua rusticis, et capitalibus pecuniariis (non aliter, quam effectus a caussa) distinguendi sunt fructus ecclesiastici, quos suum ad libitum distrahunt, et consumunt clerici beneficiarii. *Fructus* enim *a ferendo dictus est*, ut sit *omne*, *quod res ferat* (1). Quidquid ergo emolumenti, ac redditus tam ex praediis, statisque censibus, et pensionibus, quam ex incertis proventibus, et distributionibus etiam quotidianis (2) beneficiarius quotannis percipit intuitu Ecclesiae, suique beneficii, sub lata, et generali fructus ecclesiastici notione continetur.

III. Si vero specialis, et stricta eiusdem vocis significatio spectetur: fructum nomenclatura quotidianas distributiones minime complectitur. Quidquid enim sine personalis laboris, aut servitii necessitate ad beneficiarium obvenit ex sola beneficii possessione, ac titulo, *fructus* dicitur speciatim. Quod autem is adquirit in dies ob suam in choro, officiisve sacris praesentiam operosam, ceu diurnum quotidiani laboris stipendium, atque singulos in dies, vel horas dividitur in pecunia, aliave specie iis tantum qui personaliter intersunt divinis officiis, muneribusque sacris obeundis, *distributionis quotidianae* nomen, et naturam proprie habet (3). Hac inter utrumque vocabulum differentia fit, ut inter fructus fere non aggregentur quotidianae distributiones in rebus odiosis, quae strictam postulant interpretationem, quoties iura, vel statuta, vel pontificiae litterae fructus alicui oneri obnoxios faciunt (4). Itaque si tertiam, vel mediam, vel aliam quamlibet partem *fructuum* beneficii Pontifex annua pensione in alicuius favorem solvenda oneraverit: ea ad quotidianas distributiones non extenditur (5). Et beneficium adeptus ab Apostolica Sede, cuius annuos fructus praenarraverit non excedere certum valorem tot florenorum, non cogitur certorum fructuum quantitati addere valorem incertarum huiusmodi distributionum, ubi veritatem expositi valoris debet exequutori apostolicarum litterarum ipse ostendere (6).

IV. Fructus *incertos*, et *varios* esse distributiones quotidianas nemo dubitat. Sed eas a fructibus *certis*, et *fixis* praediorum, rerumque immobilium, vel quasi stabilium ideo secernunt Doctores, quia incertum nimis est, an ipsas actu servientibus debitas beneficiarius personali praesentia, suisque laboribus, et operibus sit reapse lucraturus. Certos vero fructus is tuto percipit continenter, nulla fere habita ratione laboris personalis, vel praesentis muneris.

V. Qui divinis intersunt officiis, ex integro percipiunt distributiones: qui vero aliter de iisdem quidquam receperint (exceptis infirmis, et legitime impeditis), earum tunc receptarum *dominium non adquirit*, *nec facit eas suas*, ex textu Bonifacii VIII. (7). Cum itaque beneficiarius distribu-

(1) Ex sententia Varronis *lib. 4. de lingua latina.*

(2) Eas *manualia* beneficia, seu *victualia* Bonifacius VIII. appellat in *cap. un. de cler. non resident. in VI.*

(3) Et *cit. cap. un.* Videsis quae dixi *lib. 1. Inst. Canon. tit. de Canonicis.*

(4) Covarr. *lib. 3. var. cap.* 13. *n.* 1.

(5) Flamin. Paris. *de resign. benefic. lib. 7. qu. 2. num.* 29.

(6) Rota *dec.* 79. *par.* 4. *rec.*, et alibi. Videsis dicta superius *cap.* 12. *n.* 6., *et seq.*

(7) Bonif. VIII. in *cap. consuetudinem un. de cler. non resident.* Consonant Conc.

tionum emolumenta lucretur non secus, quam laboris mercedem, et stipendium personalis operae: eas iure merito ad profanos etiam heredes transmitti Doctores putant (1).

VI. Ministerium qui suum impleat, et onera Ecclesiae, beneficiique sui ferat a die adeptae possessionis, is *facere fructus suos* in sacris canonibus dicitur (2): et e contrario non facere suos, qui ex. gr. horas canonicas non persolvunt quotidie (3), suumque officium, propter quod sit beneficium cuiusque institutum, non impleant, nec qui suscepta cura animarum intra duos menses a die possessionis publicam fidei professionem non fecerint, vel non resideant (4). Tridentina Synodus declaravit non residentem vel Episcopum, vel Parochum *pro rata temporis absentiae fructus suos non facere, nec tuta conscientia illos sibi detinere posse: sed teneri illos fabricae Ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare* (5), Sanxitque iisdem non residentibus *nec privilegia, neque indulta perpetua de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis suffragari* (6). Absentes itidem a choro Canonici non lucrantur distributiones, fructusque amittunt primi anni dimidios, alterius deinde integros (7).

VII. *Fructus facere suos* idem sonat apud iureconsultos, quod ipsos iure dominii adquirere, ac lucrari cum arbitrio de iis disponendi suum ad libitum. Iulianus docuit possessorem bonae fidei, et fructuarium perinde *facere fructus suos*, atque dominum praedii (8). Quo enim iure humano cum S. Augustino dicimus: *haec villa mea est, haec domus mea, hic servus meus est* (9): eodem ipso post divisa iam inter homines dominia rerum, *alius hoc* suum *esse dixit, et alius illud* (10). Ad dominium porro indicandum spectant potissimum vocabula *meum*, et *tuum*, et *suum* (11).

VIII. Iulius III. aperte declaravit fructus ecclesiasticos, *postquam ad manus beneficiatorum pervenerint, et cum aliis ipsorum rebus commixti fuerint, et incorporati, non alterius in ecclesiasticis, sed potius ipsorum beneficiatorum* propriis, *et ab eis adquisitis* bonis *iudicandos esse, eosque adeo pro saecularibus, et profanis haberi, ut de eis* testamento, *aut alias disponendi facultas beneficiatis per Sedem Apostolicam concedi consueverit* (12). Propterea eis beneficiarius quisque utitur, fruitur ad consumptionem u-

Lateran. sub Leone X. *sess.* 9., et Trid. in *cap. Episcopi* 3. *sess.* 22., *et cap.* 1. *sess.* 23. *de ref.*

(1) Covarr. in *cap. cum in officio de testam. num.* 4., et Card. de Luca in *summa de benefic. num.* 288.

(2) *Cit. cap. un. de cler. non resid.*

(3) Ex S. Pii V. *const.* 135. edita an. 1571., et communi Doctorum sententia.

(4) Trid. in *cap. cum dignitates* 12. *sess.* 24. *de ref.*

(5) Trid. in *cap. cum praecepto* 1. *sess.* 23. *de ref.*

(6) Idem in *cit. cap. cum dignitates* 12. *sess.* 23. *de ref.*

(7) Idem in *cit. cap. cum dignitates* 12. *sess.* 24. *de ref.*

(8) Iulian. in *l. qui scit.* 25. *D. de usuris, et fructibus.*

(9) S. Aug. in *can. quo iure dist.* 8.

(10) Clemens in *can. dilectissimis C.* 12. *qu.* 1.

(11) Glos. in *cit. can. quo iure. Verbum* suum *ambiguum est,* Pomponius ait, *utrum de toto, an de parte significet: et ideo qui* iuxta suum *non esse dicit, adiicere debet, neque* sibi communem *esse, l. pupillus* 239. *§. fin. D. de verb. sign.*

(12) Iulius III. in *const. cum sicut nobis*, die 26. Iunii 1550.

aque, eosque nedum ipse consumendi facultatem habet, sed distrahendi etiam per quoslibet contractus legitimos quum onerosos, tum lucrativos, aliisque donandi inter vivos irrevocabiliter, non secus, quam profanos (1). Quumque illos semel alienaverint, vendiderint, vel aeris alieni hypothecae, aut pignori supposuerint: ita obnoxios creditoribus suis afficiunt, ut iudices ecclesiastici eosdem saepe dari sequestro iubeant pro cautione creditorum, vel creditoribus tradi pro executione rei iudicatae (2).

IX. Locare item praedia Ecclesiarum possunt, ut accipiant a conductoribus annuum pensionis canonem, fructum scilicet civilem vice fructuum naturalium (3). Sed locatio ultra triennium extendi sine adsensu apostolico nequit (4). Synodus Tridentina animadvertens *magnam Ecclesiis perniciem afferri, quum earum bona, repraesentata pecunia, in successorum praeiudicium aliis locentur:* decrevit, ut *omnes* locationes *si* anticipatis solutionibus *fiant nullatenus in praeiudicium* successorum *validas intelligantur, quocumque indulto, aut privilegio non obstante; nec huiusmodi locationes in Romana Curia, vel extra eam confirmentur.* Sanxit etiam *non licere* iurisdictiones *ecclesiasticas, seu facultates nominandi, aut deputandi Vicarios in spiritualibus locare, nec conductoribus per. se, aut alios eas exercere, aliterque concessiones etiam a Sede Apostolica factas subrepititias censeantur* (5).

X. Tum Cancellariae Regula LXIX. novus quisque Pontifex *indemnitati Ecclesiarum, et successorum in beneficiis, consulere volens,* revocat cassatque *omnia, et singula indulta, et facultates in ea parte, qua nondum vere, et realiter suum sortitas sunt effectum, per quoscumque Romanos Pontifices praedecessores suos hactenus ad favorem quarumcumque personarum concessas, quibus eis vel earum singulis* ullo modo, *et ex quavis caussa, vel praetextu permittitur* fructus *certos, vel incertos, iura, obventiones, et emolumenta quaecumque quorumlibet beneficiorum per eos obtentorum* anticipatis *solutionibus ultra* unicum annum elocare, *arrendare, ad firmam, vel responsionem concedere, vel eos ad favorem quarucumque personarum quomodolibet* obligare, *vel hypothecare, in solutum dare, aut de eis quomodolibet, et ex quavis caussa disponere pro tempore ad vitam beneficiatorum et tempus, quo beneficia huiusmodi obtinuerint, minime restricto, et coar-*

(1) Rota *dec.* 442. *part.* 4. *dec.* 886. *par.* 9., *et dec.* 368. *par.* 12. *rec.*, alibi passim.

(2) Ex decretali epistola Lucii III. in *cap. pervenit* 2. *de fideiussoribus.*

(3) Innoc. III. in *cap. vestra* 2. *de locato, et conducto,* rescripsit valere consuetas proventuum ecclesiasticorum locationes *ad firmam*, dummodo ad feudum, vel alienationem non extendantur.

(4) Coelestin. III. in *cap. ad audientiam* 9. *de reb. Eccl. alien.*, *vel* non rescripsit locationes praediorum Ecclesiae, quas quidam Canonici in perpetuum fecerant, rescindendas esse. Paul. II, in extravag. *ambitiosae un. eod. tit.* concessionem, hypothecam, locationem, et conductionem *ultra triennium* vetuit, nec non infeudationem, vel contractum emphiteuticum.

(5) Trid. in *cap. magnam* 11. *sess.* 25. *de ref.* Conferenda huc sunt decreta Conc. Romani sub Bened. XIII. in *cap un. de reb. Eccl. non alien.* pro locationibus ecclesiasticis, et contractibus emphyteuticis, eiusque constitutio *ex quo* pro indemnitate, et utilitate Eccl. Benev. dioecesis.

ciato (1). Hinc patet, cur valeant statuta, et consuetudines locorum, si quae sint, et synodica decreta, quod fructus beneficiorum primi solius anni ad heredes defuncti beneficiarii, non ad successorem beneficiarium pertineant (2). Colligitur etiam, quod successor in beneficio possit canonico iure conductorem praedecessoris beneficiarii repellere a locatione ultra annum extensa, perinde ac usufructuarius iure civili (3).

XI. Ad cohibendam vero clericorum prodigalitatem, fraudesque foenerantium Benedictus XIV. prohibuit: *ne in posterum audeant* clerici *sub nomine alienandi utilitatem, et commodum percipiendi fructus, vel alio quovis titulo*, *et colore* vendere, *ac* distrahere *suorum respective beneficiorum redditus, et proventus vel* ad vitam, *vel* in longus tempus, *respecta ab emptore per unam, vel plures solutiones pecuniarum quantitate, quam ipsi beneficiarii per eiusdem temporis, vel vitae spatium probabiliter consequi potuissent, sub poena excommunicationis, et nullitatis contractus, et omnium inde consecutorum* (4). Idemque alia constitutioue sua irritat cessiones commodi pensiones ecclesiasticas exigendi, quae fiant intra sex menses a die captae possessionis resignati beneficii (5).

XII. Onus habent singuli beneficiarii, sacris canonibus impositum distribuendi pauperibus partem fructuum, alteramque impendendi in Ecclesiae fabricam, et sacram suppellectilem, aliosque pios usus a fundatoribus volitos (6). Fit exinde, ut in utroque foro beneficiarius ex ea solum parte fructus faciat suos, qua ad eum ipsum pertinent pro alimentis, et congrua substentatione: reliquos vero debeat, ut fidelis administrator erogare iuxta sacrorum canonum dispositionem, et fundatoris voluntatem. *Fructus*, *et obventiones sunt impendendi in usus Ecclesiae necessarios*, *et stipendia ministrorum*, ait Innocentius III, ubi rescripsit non licere novam pensionem imponere, vel antiquam augere super Ecclesia sine licentia Romani Pontificis (7). *Suo ne defraudetur obsequio* beneficium, quod sit magistris etiam theologiae, et grammaticae adsignatum, iure censuerunt Patres Tridentini (8), Hospitaliumque fructus, ubi nequeat primaeva voluntas fuudatoris impleri ex personarum defectu, convertendos in alium pium usum eidem voluntati conformiorem (9).

XIII. Quoties ergo portionem vel pauperibus, vel fabricae, aliisve piis usibus addictam fraudaverint Ecclesiarum Praelati, rectores, beneficia-

(1) Reg. 69. *de revocatione indultorum supervivantiae*. Secundam huius Regulae partem firmavit Urbanus VIII. *const.* 28., et 80.

(2) Ex traditis a Benedicto XIV. *lib.* 7. *de Synodo dioec. cap.* 20. *num.* 3, post Rotam coram Seraphino, etc.

(3) *Ad exemplum venditionis*, ait Paulus Ictus, *nisi fuerint specialiter exceptae pensiones*, *potest usufructuarius conductorem repellere*, *l. arbores* 59. *D. de usufructu.*

(4) Bened. XIV. in *const. universalis* 29. *to.* 1. Bullar.

(5) Idem in *const. in sublimi* 30. *eodem to.* 1.

(6) Ex supradictis *cap.* 1. *num.* 17., *et seq.*

(7) Innoc. III. in *cap. pastoralis* 9. *de his*, *quae fiunt a Prael. sine cons. Cap.* Nihil etiam patronis deberi super fructibus ecclesiasticis, nisi in fundatione reservatum eis aliquid sit. Lucius III. rescripsit in *cap. praeterea* 23. *de iurepatr.*

(8) Trid. in *cap.* 1. *sess.* 5. *de reform.*

(9) Idem Trid. in *cap. admonet* 8. *sess.* 25. *de ref.*

rii: eam sibi suam non faciunt in foro interno. *Si privatim possidemus quod nobis sufficiat*, ad Bonifacium inquit S. Augustinus, *non illa* nostra *sunt*, *sed pauperum: quorum procurationem quodammodo gerimus*, *non* proprietatem *nobis usurpatione damnabili vindicamus* (1). Priscis canonibus cautum liquet, ut Episcopus curam totius ecclesiasticae pecuniae gereret, eamque indigentibus dispensaret per presbyteros, et diaconos cum Dei timore, et omni sollicitudine ministraret (2). Postquam inolevit eiusdem partitio in Episcopum, Clerum, pauperes, et fabricam Ecclesiarum: quum Praelatis, tum clericis ipsis libera, et plena reddit uum ecclesiasticorum administratio concredita est cum facultate substentandi semetipsos, et pauperes, et cum onere sartas tectas habendi Ecclesias. Tum aevo Innocentii III. constitutum expresse, ut portiones pauperum, Ecclesiarumque a portionibus Episcopi cuiusque, et Cleri ne seiungerentur, relicta his ipsis cura eleemosynarum, expensarumque fabricae (3).

XIV. Talis autem administrandi, et dispensandi potestas adeo libera solis Episcopis ab initio fuit, ut rationem ipsi ea de re Deo soli redderent (4). Eos hinc vel dominos proventuum ecclesiasticorum putabant, vel dominis comparabant (5). Qua in re ab Episcopo clericalis Ordinis saecularis nil differt Episcopus regularis professus, quem suos etiam facere fructus episcopales cum libertate administrandi, ac disponendi instar saecularium Praelatorum Rota definivit, communem christiani Orbis consuetudinem sequuta (6). Quamvis enim professi regulares ad episcopatum promoti ex voto paupertatis capaces dominii non sint: tamen liberam, plenamque fructuum Ecclesiae administrationem obtinent sacris canonibus concessam, cum iure alendi semetipsos, et erogandi superfluum in pios tantum usus. Quidquid autem parcius vivendo quaesiverint, id eos posse ex benignitate Ecclesiae donare inter vivos, et absumere in usus etiam non pios, tenent Doctores (7). Eiusdem libertati participes processu

(1) *S. Aug*. ep. 50, *alias* 185. *ad Bonifacium scribens contra Donatistas*, *qui catholicos Episcopos calumniabantur sibi vindicare possessionem bonorum Ecclesiae*, *in* can. si privatum 28., et ult. C. 12. qu. 1., et can. quod autem 3. C. 23. qu. 7. *Idemque S. Doctor*. ep. 126. *haec habet*. « Ego secundum multorum » sensum comparantiam nosmetipsos sibimetipsis, non divitias dimisisse, sed ad di» vitias videor venisse. Vix enim vigesima particula res mea paterna existimari » potest in comparationem praediorum Ecclesiae, quae nunc *ut dominus* existimor » possidere. Nos rebus Ecclesiae *dominari* existimamur, nos opibus frui. Deus te» stis est, istam omnem rerum ecclesiasticarum *procurationem*, quarum credimur » amare *dominatum*, propter servitutem, quam debeo charitati fratrum, et timori » Dei, tolerare me, non amare: ita ut ea, si salvo officio possim, carere deside» rarem ».

(2) *Can*. 41. vulgo Apostolor. in *can*. *praecipimus C*. 12. *qu*. 2.

(3) Id quod pluribus comprobat Thomassinus *to*. 3. *lib*. 2. cap. 23.

(4) Ex supradictis *cap*. 1. *num*. 16., *et seq*., Gelasius in *can*. *concesso* 26. *C*. 12. *qu*. 2. Clero, ordini, et plebi Brundusii rescribens, ait, quod Iulianus Episcopus *redditus*, *et oblationes fidelium in quatuor partes* divisurus, sibi, clericis, fabricis, et pauperibus, earum *rationem divino est redditurus examini*.

(5) Rota coram Ludovisio in Usselens. spolior. die 15. Febr. 1609. apud Redoanum *dec*. 3. *num*. 11. *et* 12.

(6) Cum Navarra, et Sanchez Layman. *lib*. 4. *theol*. *mor*. *tract*. 2. *cap*. 4. *num*. 11.

(7) Liquet ex epistolis S. Augustini paulo superius iam recitatis.

temporum facti sunt inferiores Ecclesiarum rectores, beneficiariique singuli.

XV. Leo X. pontificia sanctione providendum censuit: *ne beneficiati per saeculares Principes eorumve officiales, et iudices etiam ecclesiasticos impedirentur sub praetextu instaurationis fabricae, aut eleemosynarum, seu quovis alio colore, aut fuco, quominus de* fructibus *suorum beneficiorum, ut antea*, libere disponerent: *neve* fructus, *et proventus Ecclesiarum, monasteriorum, ac beneficiorum* sequestrarentur, *vel aliquo modo detinerentur sub eodem praetextu fabricae sine Romani Pontificis expressa licentia* (1). Paulo post Tridentina Synodus decrevit: ut *patroni beneficiorum cuiuscumque ordinis, et dignitatis, etiamsi communitates, universitates, collegia quaecumque clericorum, vel laicorum existant, in* perceptione fructuum, *proventuum, obventionum quorumcumque beneficiorum, etiamsi vere de iure* patronatus *ipsorum ex fundatione, et donatione essent, nullatenus, nullaxe causa: vel occasione* se ingerant: *sed illos libere rectori, seu* beneficiato, *non obstante etiam quacumque consuetudine*, distribuendos *dimittant* (2).

XVI. Hoc in Regno Neapolitano, ubi negligerent Praelati, rectores, beneficiarii suas reficere Ecclesias, Clemens VII. litteras sub annulo Piscatoris dedit die 20. Ianuarii 1526, regnante Carolo V, pro eaque temporis conditione urgentibus Ecclesiarum necessitatibus consulturus indulsit, mandavitque Marcello Galello Regenti Cancellariae, et Hieronymo Cantelles Nuntio Apostolico potestatem capiendi quartam partem fructuum omnium Ecclesiarum huius Regni tam Cathedralium, Collegiatarum, et parochialium, quam beneficiorum simplicium, a viris locupletibus, et idoneis custodiendam, et detinendam, qua ipsae reficerentur Ecclesiae, deque sacra suppellectili, rebusque necessariis providerentur. Cumque illas Romani Pontificis litteras promulgasset Prorex S. Severinae Comes (3), suis inde litteris ad omnes huius Regni magistratus, officiales, et Universitates datis die 26. Februarii eiusdem anni 1526, earum executionem imperavit.

XVII. Alia tamen onera aliquando subire beneficiarii coguntur super ecclesiasticis fructibus, ratione publicae necessitatis, vel utilitatis. Ex. gr. taxae quotam pro substentando dioecesano Seminario adolescentium contribuere, non minorem tribus, nec maiorem quinque in centum (4). Nec non pro stipendio tam Canonici Theologi in Cathedralibus Ecclesiis, et Collegiatis alicuius insignis oppidi, ubi Clerus adsit numerosus, S. Scripturae lectionem obituri (5): quam magistri, qui grammaticam doceat in Ecclesiis egenis, locisque non populosis (6).

XVIII. At certant adhuc Doctores, num ecclesiastica beneficia obtinentes *usufructuarii* eorumdem sint, an *usuarii* tantum? Qui *usufructuarios* esse tuentur, facultatem eis pleniorem adstruunt disponendi ad libitum

(1) Leo X. in *const. supernae* 7. §. 39. 3. nonas Maias 1513.
(2) Trid. in *cap. sicuti legitima* 9. *sess.* 25. *de ref.*
(3) Cui et legum, et canonum custodiam a Deo concreditam fassus est Iustinianus initio Nov. 137.
(4) Ex supra dictis *cap.* 4. *num.* 14., *et* 15.
(5) Ex supradictis eodem *cap* 4. *num.* 20., *et seq.*
(6) Trid. in *cap.* 1. *sess.* 5. *de ref.*

de omnibus beneficiorum fructibus, iisque utendi, et fruendi ultra necessitatem non aliter, quam de rebus profani patrimonii (1): eosque abutentes non peccare contra iustitiam, sed contra charitatem dumtaxat (2). Suamque isti sententiam conantur ex eo firmare; quia Ecclesiarum bona sunt principaliter in substentationem, stipendiumque sacrorum ministrorum destinata. *Dignus est enim operarius mercede sua*, vel *cibo suo*, ex Christi Domini oraculo (3). *Et quis militat suis stipendiis umquam?* ex Apostoli sententia (4). *Qui constituerunt*, Iustinianus Imperator inquit, *vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute, et communis reipublicae, reliquerunt illis substantias suas, ut per eas debeant sacrae liturgiae fieri, et ut in illis a ministrantibus piis clericis Deus colatur* (5). Sicuti ergo miles, quamvis locuples, et necessariis alimentis non indigens suis non debet expensis alteri militare: ita clericus, cui bona profani patrimonii, unde vivat decenter, suppetant, debet de proventibus altaris, cui servit, ac militat, vivere, stipendiumque laboris accipere eo etiam non indignus. Quidquid vero clericus pro sua substentatione, ac stipendio accipit, instar profani militis adeo suum facit, ut pro libito distrahat, et praeter necessitatem absumat, perinde ac quisque rei suae moderator, et arbiter (6). Adde *beneficiario* iure possidere idem apud philologos esse, ac per *usufructum* (7).

XIX. *Usuarios* eatenus mavult altera DD. opinio, ut clericis vix relinquat usum congruae portionis, quae sufficiat ad quotidianam ipsorum, familiaeque substentationem honestam: arbitrium vero deneget distrahendi ad libitum reliquos fructus, quos pauperibus, et Ecclesiae, aliisque piis operibus fideliter esse dispensandos ex iustitiae lege contendunt (8). *Quod superest, date eleemosynam*, ex Christi Domini praecepto (9). *Victu, et tegumento, his contenti simus*, Apostolus ad Timo-

(1) *L. 2. 9., et 12. D. de usufructu.* Minus porro ius in usu, quam in usufructu statutum est iure civili §. 1. *Inst. de usu, et habit.*

(2) *S. Carolus in Conc. IV. Mediolanensi* par. 3. cap. 1. *ad clericos ecclesiasticis redditibus affluentes converso sermone, ait:* « Christi visceribus substantiam » ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet, peregrinis, viduis, pupillis, aegrotis, » in vincula coniectis, captivis: quibus egentibus, et esurientibus quum subvenire » possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatae *charitatis* rei estis in conspe- » ctu Domini. » *Silvius in 2. 2. D. Thom.* qu. 185. art. 7. concl. 5., nemo plane » Doctorum dissentit, *ait*, sive inter theologos scholasticos, sive morales sive inter » iurisperitos, quod peccatum grave in dispensatione superfluorum aliter, quam ad » pios usus *beneficiarius admittat: quamvis dissideant DD. adhuc, dominium ne fructuum superfluorum is habeat, an pauperes, et Ecclesia* 71.

(3) Apud Luc. *cap.* 10. *vers.* 7., et Matth. *cap* 10. *vers.* 10.

(4) Quam initio huiusce tractatus exscripsi fusius *pag.* 2

(5) Iustin. in *l. omnem* 42. §. 10. *C. de Episc., et clericis.*

(6) Constantinus in *l. in re mandata* 21. *C. mandati.* His rationibus freti hanc tenent opinionem Dominicus Sotus, Silvius, Molina, Wasquez, Covarr. Sarmiento, Marsilias, Gonzalez apud Bened. XIV. *de Syn. dioec. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 7. Fagnanus in *cap. si quis sane de pecul. clericor.* et Thom. de Rosa *de rect. distribut. cap.* 2. *num.* 87., *et seq.*

(7) Carolus du Fresne in *glossar.* verb. *beneficium.*

(8) Navarrus, Azarius, Comitolus, N. Alexander, Genettus. Card. Capisucchius apud Bened. XIV. *de Synod. dioces. lib.* 7. *cap.* 2. *num.* 6.

(9) Lucae *cap.* 11.

theum scripsit (1). Tertullianus de spontaneis fidelium oblationibus loquens : *haec quasi deposita pietatis sunt*, ait; *nam non epulis, non potaculis, nec in gratiis dispensantur : sed egenis alendis, humandisque, et puellis, re, ac parentibus destitutis, aetatsque domitis senibus item naufragis, et si qui in metallis, insulis, custodiis dumtaxat ex caussa Dei sectae alumni confessionis suae fiunt* (2). A B. Hieronymo dicitur *rapina* pauperum in domibus sacerdotum, qui sibi Ecclesiae opes thesaurizant. S. Prosper, *non propriae sunt*, inquit, *sed communes Ecclesiae facultates: et ideo quisquis praepositus fuerit factus Ecclesiae, efficitur dispensator* (3). Ioannes III. in Conc. Lugdunensi I. res Ecclesiae *egentium substantiam* appellavit (4). Martinus Bracarensis de potestate Episcopi in rebus Ecclesiae dispensandis ait : *participare cum oportet, quae necessaria sunt. Si tamen ipse, aut qui cum eo sunt fratres, indiguerint aliquo, ut necessitatem nullo modo patiantur, secundum Apostolum dicentem :* victu, et tegumento his contenti simus. *Sin autem Episcopus, vel qui cum eo sunt presbyteri, aut diaconi ea, quae vel ex redditu, vel ex quolibet actu Ecclesiae veniant, in sinus suos colligunt, et pauperes fraudant, et fame conficiunt, hos corripi oportet* (5). Itaque sanctorum Patrum traditione novimus res Ecclesiae *vota esse fidelium, pretia peccatorum, et patrimonia pauperum* (6). S. Bernardus inde colligit : *quidquid praeter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est* (7). Adde canonem Concilii Toletani II, quo clericis permissum fuit agellos, vel vineolas in terra Ecclesiae constructas possidere usque ad sui obitus diem *substentandae vitae* caussa, non fruendi (8). *Si ergo res Ecclesiae non quasi proprias, sed quasi communes habendae sunt, quum de communi nullus dicat*, hoc est *nec de rebus Ecclesiae*, haec est mea... *pis, et religiose possunt distribui, ut ex his, quae sibi assignata sunt, primum sibi* necessaria *percipiat : si quae vero suis* necessitatibus supersunt, *in communes usus Ecclesiae expendat*, Gratianus docet (9). Ita stipendium clericis collaborantibus debitum ad necessaria vitae alimenta redigitur, non ultra extendendum. Nam oportet eos gratis dare, quod gratis a Domino acceperunt (10).

(1) Ep. I. ad Timotheum *cap.* 6.

(2) *Tertullian.* in apologet. cap. 39. *Ex Concilio Antioch. an.* 341. can. 25. Episcopus habet rerum Ecclesiae potestatem, ut eas in omnes indigentes dispenset. Videntur, *ait S. Augustinus* ep. 50, *alias* 185, quod male fecerint Principes, et alii dando divitias « Praelatis. Dicendum, quod non dederunt propter se, sed propter » pauperes, et ideo non dederunt eis, sed pauperibus: Praelatis autem dantur tam- » quam dispensatoribus ».

(3) S. Prosper in *can. expedit* 13. *C.* 12. *qu.* 1., *et* rursus in *can. si quis* 8., *et can. sacerdos* 9. *C.* 1. *qu.* 2.

(4) Conc. Lugd. I. an. 570. in *cap. qui res Ecclesiae* 2. *de reb. Eccl. non alien.*

(5) Conc. Martini Papae an. 649. in *can. Episcopus* 7. *C.* 10. *qu.* 2.

(6) Ex *lib.* 1. *Capitular.* Gratian. in *can. quia iuxta C.* 16. *qu.* 1.

(7) S. Bernard. *ep.* 2. ad Fulconem.

(8) Tolet. II. an. 831. in *cap. fin. de pecul. cleric.*

(9) Gratianus suis ita verbis docet post *can.* 27. *C.* 12. *num.* 1, ubi quaerit utrum liceat clericis proprium habere.

(10) *Apostolus I. ad Corinth.* cap. 9. vers. 15., et seq. *haec habet:* « Si evangelizavero, non est mihi gloria, *necessitas* enim mihi incumbit. Vae enim mihi est,

XX. Haec sententia quidem in foro poli tutior non vetat Praelatis, et clericis beneficiariis suos alere domesticos, et consanguineos pauperes, sed locupletari solum eos proventibus ecclesiasticis, nimirum communi pauperum patrimonio. *Quia*, ut monet S. Ambrosius, *perfecta liberalitas fide, caussa, loco, tempore commendatur, ut primum operis circa domesticos fidei* (1). *Est probanda illa liberalitas, ut proximos seminis tui non despicias, si egere cognoscas. Melius, ut ipse subvenias tuis, quibus pudor est ab aliis sumptum deposcere, aut alicui postulare subsidium necessitati: non tamen, ut illi ditiores eo fieri velint, quod tu posses conferre inopibus. Neque enim propterea te Domino dicasti, ut tuos divites facias: sed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis adquiras, et pretio miserationis peccata redimas tua* (2). Idipsum docet S. Augustinus (3), suoque decreto firmat Tridentina Synodus (4).

XXI. S. Thomas in eiusmodi quaestione distinguens, *aliter dicendum est*, ait, primum in quodlibetis, *de illis ecclesiasticis bonis, quae principaliter sunt attribuenda* necessitatibus pauperum, *et ex consequenti necessitatibus ministrorum, sicuti sunt bona hospitalium, et aliorum huiusmodi, et aliter de illis bonis, quae sunt principaliter attributa* usibus ministrorum, *sicuti sunt praebendae clericorum, et alia huiusmodi. Nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit quod est alterius: et ideo tenetur* ad restitutionem, *tamquam defraudator rei alienae. In secundis vero bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut et de bonis patrimonialibus dictum est: unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam* (5). Deinde in summa theologica eamdem resumens quaestionem: *de suis autem* ecclesiasticis proventibus, inquit, *quae sunt specialiter* suo usui *deputata, videtur esse eadem ratio, quae*

» si non evangelizavero, si enim volens hoc ago, *mercedem* habeo: si autem invi-
» tus, dispensatio mihi credita est. Quae est ergo *merces* mea? ut Evangelium prae-
» dicans *sine sumptu* ponam Evangelium, ut non abutar potestate mea in Evange-
» lio » *Hanc Apostoli sententiam S. Augustinus exponens* lib. de Pastoribus, et
» ovibus cap. 2. *ait:* » Clericis ergo non redditur substentatio necessitatis a popu-
» lo, quasi *merces* illis, qui sibi in charitate serviunt, sed tamquam *stipendium*,
» quo ut possint laborare, pascantur. Quare veri Christi ministri non evangelizant
» ut manducent, et propterea secundum Apostolum non in victu constituunt finem
» evangelizandi, sed ipsius victus sui finem in Evangelio collocant. »

(1) S. Ambros. in *can. non satis est* 14 *dist.* 86.

(2) Idem in *seq. can.* 16.

(3) *S. Aug.* lib. 1. de doct. Christ. cap 22. « Omnes aeque diligendi sunt, *ait*, » sed quum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro » locorum, et temporum, vel quarumlibet rerum opportunitate constrictius tibi » quasi quadam sorte iunguntur ».

(4) *Trid. in* cap. *optandum* 1. sess. 25. de ref. *Episcopis* interdicit, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos familiares suos augere studeant, cum et Apostolorum canones probibeant, ne res ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent, sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum caussa. Quae vero de Episcopis dicta sunt, eadem in quibuscumque beneficia ecclesiastica tam saecularia, quam regularia obtinentibus pro gradus sui conditione observari *decrevit*.

(5) S. Thom. *quodlibet.* 6. *qu.* 7. *art.* 12. *ad* 3. Id quo scripsit circa an. 1257.

est de bonis propriis (1). In partes quisque suas Angelicum Doctorem vertere studet, qui alterutram sectatur opinionem.

XXII. Distinctione tandem alia alii opiniones discordes componunt, et arbitrantur beneficiarios cum libera administratione proventuum ecclesiasticorum, quales sunt Episcopi etiam regulares, Praelatique inferiores post mortem subiecto spolio inferius explicando, quamdiu vivunt incolumes, aequari *usufructuariis*, quoniam suum utendi fruendi ius morte finitur: infirmos vero, mortique proximos comparari *usuariis*, quippe qui caussa mortis disponere de fructibus intuitu Ecclesiae quaesitis, spolioque subiectis nequeant, nisi in Ecclesiae suae utilitatem. Ceteros vero beneficiarios annuam pro transacto spolio quotam Camerae apostolicae solventes, quibus Apostolica Sedes, vel consuetudo induisit facultatem testandi ob onerosam spolii transactionem, fructuariis omnino pares faciunt in vita perinde, ac tempore mortis, cum pleno iure utendi fruendi fructibus omnium iam perceptis, atque a solo separatis beneficiorum suorum, de iisque ad libitum disponendi inter vivos, et causa mortis, et suos ad heredes profanos ab intestato etiam transmittendi. Hanc distinctionem a Glossa traditam (2) probavit Rota Romana (3), et usu receptam in foro externo, Ecclesiaeque disciplinae recentiori conformem esse Doctores plerumque affirmant (4).

XXIII. Apparet exinde conditio beneficiarium, qui apostolicum testandi indultum non habeant, in vita, quam in morte potior. Propterea quod inter vivos donare irrevocabiliter, ac distrahere possunt fructus ecclesiasticos iam sibi quaesitos, at caussa mortis donationes ipsorum, et quae post mortem sint effectum consecuturae, quamvis instrumento inter vivos cum clausula *nunc pro tunc* fuerint conceptae, quemadmodum et legata, et dispositiones testamentariae nullo pacto sustinentur. Clemens VIII., et Benedictus XIII. invalidas ipso iure declarant donationes inter vivos etiam factas cum reservatione usufructus, vel usus ipsimet Episcopo, seu Praelato donanti, quae scilicet in vita donantium sortitae suam non sint executionem (5). Ut enim usuarius ipse utendo reipsa, et consumendo fructus facit suos, quum personale ius suum utendi nequeat ab se in alios, nec etiam ad heredes transmittere: ita fructus Ecclesiarum non consumpti, sed extantes a morientibus clericis usuariis non possunt ad profanos heredes, vel donatarios transire, sed ad ipsius Ecclesiae dominium, ac proprietatem redeunt, statim ac desierit eorum administratio, et usus per mortem. Profecto canones non patiuntur liberam administrandi, ac dispensandi potestatem clericis, donec vivant, concreditam extendi, vel conferri in tempus, quo ipsi nec beneficiarii, neque admini-

(1) Idem in summa theologiae, quam hortante Clemente IV. conscripsit, absolvitque anno circiter 1269. *in 2. 2. quaest.* 185. *art.* 7.

(2) Gl. in *cap. praesenti de off. ord. in VI. verb. reservari.*

(3) Rota apud Redoanum *de spoliis* in Romana, seu Vercellensi pecuniar. *dec.* 1. *num.* 7. in Ussellensi spoliorum coram Lodovisio *dec.* 3. *num.* 1. *et* 2. coram Blanchetto in nullius, seu Romana pecuniaria *dec.* 4. *n.* 7, apud Cavalcantum *dec.* 104, tum *dec.* 442. *num.* 4. *par.* 4. *rec. to.* 1, alibique passim.

(4) Thom. de Rosa in *tract. de recta distribut. cap.* 3. *n.* 124.

(5) Rota apud Redoanum *cit. dec.* 3. *num.* 31. Videsis dicenda inferius.

stratores sunt amplius. Id autem patebit apertius in capite *de spolio beneficiorum*, in quo varias fructuum species distinguere oportet.

XXIV. Sane fructus alii sunt *naturales*, aliique *civiles*. Dicuntur *naturales*, quos Natura producit ex ipsa re frugifera, aut *sponte* magis, quam diligentia hominum, ut poma, nuces, ligna, foenum: *industria* magis hominum, quam naturali foecunditate, ut segetes, legumina, cetera in agris sata, quae sine labore, industriaque humana quum non producantur, iure merito dicuntur *industriales* (1). Qui vero non ex corpore foecundo rei naturaliter, sed extrinsecus occasione rei locatae, aut operae, vel pecuniae creditae percipiuntur, eos appellant *civiles*, quales sunt usurae, annui pecuniarum redditus, mercedes, pensiones. Si peculiaris vocabuli notio spectetur, iste *fructus* proprie non sunt (2): sed quia vicem fructuum supplent, inter fructus numerantur (3).

XXV. Agros etiam frugiferos, et foecunda praedia, quoties dominus vel fructuarius locaverit, certum canonem, seu pensionem a conductore accepturus, aut pecuniae numeratae, aut frumenti, vini, olei, aliusve rei: non naturales tunc fructus percipere ab suis, sed *civiles* a manu conductoris aestimatur. Nam species frugum, et rerum, quae persolvitur pro convento canone, ad qualitatem fructus indicandum non spectatur, sed sola pactio constituti canonis, et pensionis (4). Terminum vero locationis figit mensis potissimum, in quo fructus naturales conductor a fundo separat, et colligit: non dies ad solvendum canonem condictus vel ante, vel post tempus collectionis, aut messis (5). Nam Scaevola Ictus respondit non ad Rempublicam, cui proprietas fundi legata fuerat, sed ad heredem usufructuariae integram pertinere pensionem annuam, quamvis mense Decembri ante Kalendas Martias, quibus solvi pensiones debeant, ipsa decessisset, sublatis Octobri mense iam praeterito fructibus (6).

(1) Pomponius in *l. fructus* 45. *D. de usuris*. Ut enim canit Virgilius Georgic. *lib.* 2.

Principio arboribus varia est natura creandis.
Namque aliae nullis hominum cogentibus ipsae
Sponte sua veniunt, camposque, et flumina late
Curva tenent: ut molle siler, lentaeque genistae.
Populus, et glauca canentia fronde salicta
Pars autem posito surgunt de semine, ut altae
Castaneae . . .
Scilicet omnibus est labor impendendus, et omnes
Cogendae in sulcum, ac multa mercede domandae.
Sed truncis oleae melius, propagine vites
Respondent. . . .

Pecudum foetus, lac, pilum, lanam alii inter fructus naturales spontaneos, inter industriales alii referunt.

(2) Pomponius in *l. usurae* 121. *D. de verb. sign. usura pecuniae*, quam percipimus, inquit, *in fructu non est: quia non ex ipso corpore, sed ex alia caussa est*, nimirum ex nomine debitoris.

(3) *L.* 19., 34., *et* 36. *D. de usuris*, *l. mercedes* 29. *D. de petit. heredit.*

(4) Covarr. *to.* 2. *lib.* 1. *var. cap.* 15. *n.* 11.

(5) Cavalcan. *dec.* 104. *n.* 5. Quidquid contra senserit Ventriglia in *praxi par.* 2, *adnotat.* 16. *n.* 36.

(6) Scaevola in *l. defuncta* 58. *D. de usufructu*. Ceterum si *imperfecto tempore*

XXVI. *Consumatos* praeterea fructus distinguere ab *extantibus* debemus: nec non *perceptos*, seu *exactos* a *pendentibus*, *et inexactis*. Quandoquidem clerici beneficiarii de *consumptis* Deo soli rationem reddunt, *extantes* autem inter vivos distrahunt, caussa mortis donare prohibentur, qui nullum do iis testandi indultum habeant, *pendentes*, et *inexactos*, vel Ecclesia, vel Camera apostolica percipit iure spolii.

CAP. XVIII.

De vacationibus beneficiorum.

I. Vacat Ecclesia, quae suo caret beneficiario.
II. Vacatio autem vel volontaria est ob renunciationem, et permutationem:
III. Vel necessaria: quae aut contingit de iure, aut de facto, aut de iure simul, et facto, aut per sententiam iudicis.

I. Vacare beneficium, et Ecclesia dicitur, quae suo caret beneficiario, seu Praelato, seu rectore: quemadmodum Iureconsulti *vacare* aiunt loca, et *vacantia* bona nuncupant, quae vacua sunt, suumque possessorem, vel heredem non habent (1).

II. Duobus generatim modis, praeter obitum naturalem, vacatio beneficiorum contingit, vel scilicet *voluntariis*, vel *necessariis*. Voluntarii sunt *renunciatio*, seu *resignatio*, *et permutatio*, quae nonnisi libera beneficiariorum voluntate fiunt.

III. Necessarii autem, invitis fere possessoribus, aut ob *pluralitatem* incompatibilium beneficiorum, aut in *poenam* patrati criminis, vel desertae militiae clericalis contingunt multipliciter: nimirum vel *ipso iure*, vel *ipso facto*, vel *ipso iure simul*, *ipsoque facto*, vel *per sententiam iudicis*. De omnibus singulatim dicendum superest, et primo de vacationibus voluntariis.

CAP. XIX.

De renunciatione (*)

I. Renunciatio, et resignatio pro spontanea beneficii dimissione: cessio pro commendae abdicatione accipitur.

locationis usufructus interierit morte fructuarii; *quod superest* ex tempore condicto,*ad proprietarium pertinebit;* quod praecessit interitum, ad heredem fructuarii, ex responso Pauli in *l. si operas* 26. *D. eodem.* Consonat Ulpianus in *l. sed etsi quid* 25. §. 2. D. *eodem.*

(1) *Ex tit. C. de bonis vacantibus, et tit. D. de vacationibus munerum.*

(*) Ad tit. IX. *lib. I.* Decretalium.

II. Invitos quandoque ad renunciandum, et cedendum beneficia, et commendas cogi clericos iura statuunt.

III. Sine Superioris auctoritate ab Ecclesia propria recedere canones vetant clericis, quemadmodum leges decurionibus, et magistratibus derelinquere sedes suas.

IV. Imperfecta, et irrita quaevis renunciatio est, quoadusque a Superiore admittatur.

V. Ea idcirco potest re integra revocari, nisi ex caussis legitimis eam debeat Superior perficere.

VI. Pura, et simplex renunciatio, cuius est usus antiquissimus, longe differt a conditionali, quae recentior est.

VII. Puram, et simplicem Ordinarii locorum communi Iure adprobant, servata forma Tridentini, et constitutionum apostolicarum.

VIII. Conditionalem in alicuius favorem, aut cum reservatione pensionis potest Papa solum admittere, nullo etiam simoniaco pacto, aut pensionis onere affectam.

IX. Nec personis a renunciante quomodolibet designatis, nec illius, aut suis consanguineis, vel familiaribus possunt Ordinarii resignata beneficia libere conferre.

X. At patronis licet suos etiam consanguineos, familiaresque praesentare ad beneficia iurispatronatus sine ulla conditione coram Ordinariis renunciata.

XI. Post perfectam liberi etiam beneficii renunciationem renuncianti licebit citra fraudem Ordinario commendare aliquem nec sibi, nec Ordinario consanguineum, vel familiarem.

XII. Beneficia resignari cum onere pensionis, et pacto eam cassandi nullatenus possunt, nec vacatura ob imminentem incompatibilis assecutionem.

XIII. Undecim caussas resignandi beneficia inferiora S. Pius V. probavit, sex in episcopalibus Ecclesiis dimittendis Innocentius III.

XIV. Coram Ordinariis intra mensem perficiendae sunt renunciationes, intra menses tres publicandae.

XV. In favorem certae personae resignans debet suum in Cancellaria apostolica consensum praestare, datisque ab eo pluris mandatis ad resignandum, et consentiendi expeditioni bullarum, primus consensus praevalebit.

XVI. Procuratori suo resignans debet inter alia tribuere facultatem expressam consentiendi bullarum expeditioni, et vicissim resignatarius acceptandi resignationem cum onere pensionis, et consentiendi bullae pensionis.

XVII. Mandata hinc ad resignandum, hinc ad acceptandum nul-

lo temporis lapsu olim expirabant: nunc post octo menses citramontana, intra duodecim ultramontana expirant: simul, et morte resignantis re integra.

XVIII. Si resignantis quum sani, tum infirmi mors intra 20. dies a die consensus in Cancellaria praestiti decurrens acciderit: mandatum resignandi, re etiam non integra, evanescit.

XIX. Revocatio insuper mandatum extinguit re integra, statim ac erit rite nunciata.

XX. Mandato ad resignandum in Papae Cancelleria exhibito, non licebit amplius Ordinariis dioecesanis puram quoque reunciationem admittere.

XXI. Simulatas, occultasque resignationes multi Pontifices quum vetassent, orta inde fuit Cancellariae Regula de publicandis resignationibus, *quam Galliae Senatus acceptavit, legemque illius regni perpetuam fore statuit.*

XXII. Ea et rationi, et Iuri etiam communi consentanea videtur.

XXIII. Necessitatem, et formam publicandi resignationes, poenasque non publicantium edixit curatius perpetua constitutione Gregorius XIII, amota Regulae mobilitate. Sex menses citramontanis apud Sedem Apostolicam resignantibus praefixit ad publicandum in Cathedrali, et beneficiali Ecclesia, vel parochiali inter Missarum solemnia, et per edictum ad earumdem Ecclesiarum valvas. Irritas voluit resignationes ita non publicatas, et resignata beneficia vacare ipso facto, et impetrantibus conferri. Annalem, ac triennalem possessionem resignatariis nil suffragaturam. Resignationes coram Ordinariis intra mensem perficiendas fore sub poenis eisdem sanxit.

XXIV. Impetrationes beneficiorum vigore constitutionis Gregorianae vacantium ex neglecta publicatione resignationis iamdudum heic usu viguerunt.

XXV. Benedictus XIV. tandem Gregorii VIII. constitutionem firmavit, fraudesque in eam detectas abolevit.

XXVI. Omissam publicationem debet impetrans probare.

XXVII. Pactiones illicitas, et simoniacas apostolici executores inquirant.

XXVIII. Dimissa beneficia recuperant, qui ea dimiserint ignorantes reservationem, affectionemve alterius nulliter obtenti.

XXIX. Ad renunciata, vel dimissa beneficia regressum canones vetant generatim.

XXX. Papa nonnumquam indulget regressum, praetereaque accessum, et ingressum.

XXXI. Praesertim in odium eorum, qui pensionem resignati non solverint.

XXXII. Improbas pactiones resignantium numquam probat, sed immo proscribit Sedes Apostolica.
XXXIII. Sine consensu patronorum beneficia resignare in favorem non licet.

I. Renunciatio apud Canonistas est *spontanea dimissio beneficii ecclesiastici ob caussam a Superiore cognitam, et probatam.* Ipsam Innocentius III. (1), et Bonifacius VIII. (2) resignationem appellant. Eamque Doctores a *cessione* distinguentes, aiunt beneficia in *titulum* obtenta renunciari, vel resignari: *commendata* rectius *cedi*, quam ronunciari. Huiusmodi distinctionem Cancellariae Regula *de viginti* inferius explicanda (3) sectatur apertissime. Hinc mandatum in Cancellaria apostolica exhibitum renunciandi beneficia non oxtendi ad commendas, observat Rebuffus (4). Ab utraque distinguere insuper oportet abdicationem, et dimissionem officii, quae spontanea est repudiatio muneris, declaratio se nolle magistrâtum amplius gerere, sine cuiuspiam iudicio, et adprobatione.

II. Spontanea esse debet renunciatio, non coacta. Si enim extorta per vim fuerit, irrita est, et compellentes nedum excommunicationis poenam incurrunt, verum etiam si Praelati fuerint, suspensionem ii a percipiendis fructibus per triennium incurrunt, inferiores obtentis beneficiis ipso iure privantur (5). Attamen Episcopi diffamati pro vulgatis criminibus, vitandisque scandalis cogi a Papa ad dimittendam Ecclesiam possunt (6): idemque dicendum de Parochis scandalosis (7); retinens praeterea quilibet praebendam ipso iure vacantem cogendus est ea resignare ex textu Innocenti III. (8).

III. Ex Apostoli praecepto *unusquisque in sua vocatione maneat* (9), olim in omnibus beneficiorum titulis erat grave piaculum deserere Ecclesiam, cui inserviebant clerici, ad eamque redire censuris ecclesiasticis cogebantur ex Nicaeno canone (10). Istamquo disciplinam studuit Concilium Tridentinum innovare, ubi sanxit, ut quivis ex ordinatis clericis suum inconsulto Episcopo locum deseruerit, ei sacrorum exercitium in-

(1) Innoc. III. in *cap. apud in dubiis* 8. *de renunc.*
(2) Bonif. VIII. in *cap. quoniam* 1. *eod. tit. in* VI.
(3) *Num.* 19.
(4) Rebuff. in *prax. benefic. tit. de commenda num.* 37.
(5) Clem. *multorum* 2, *de poenis.*
(6) Innoc. III. in *cap. nisi cum pridem* 10. *de renunciat.*
(7) De Nigris *lib.* 2. *cap.* 3. *n.* 17.
(8) Innoc. III. in *cap. litteras* 9. *de concess. praeb.*
(9) *I. ad Corinth. cap.* 7. *vers.* 2., *et* 24.
(10) Conc. Nicaenum *can.* 15., et 16. relato in *can. non oportet* 19., *et can. si qui vero* 23. *C.* 7. *qu.* 1, ibi: *si qui vero recesserint ab Ecclesia sive presbyter, sive diaconus, vel in quocumque ecclesiastico ordine positi fuerint, hi non debent suscipi in alia Ecclesia: sed omni necessitate cogantur, ut redeant ad Ecclesiam suam: quod si permanserint, excommunicari eos oportet.* Consonant alia plura Concilia ibidem relata per Gratianum, et decretales Alexandri III. in cap. *admonet* 4. *de renunc.* Conc. Lateranen. IV. sub Innoc. III. *cap.* 28., et Basileense *sess.* 23.

terdicatur (1). Id consentaneum legibus etiam civilibus est (2). Ex Codicis rubrica *si curialis omissa civitate rus habitare maluerit*, facile colligitur subditos posse ad Urbem incolendum compelli. Adscriptitii pariter, et conditionales homines suum deserere officium prohibentur (3): qui suo a munere si recedant, furtum sui facere dicuntur, et velut fugitivi repetendi sunt (4). Desertores etiam militiae ad suum ducem cum elogio, seu litteris testimonialibus remittendos lex iubet (5). Barones pariter, et feudatarii e Regni finibus, regiique ministri e loco iudicii nequeunt impunes sine Regis permissu discedere.

IV. Iure hinc merito clericis, inconsulto Episcopo, vel Summo Pontifice eatenus non permittitur beneficia sua renunciare (6): ut renunciatio habeatur irrita, nisi ab ecclesiastico Superiore probata ea sit, et quousque pendeat Superioris admissio, nullam beneficii vacationem pariat, sed possessionem resignans ipse retineat, fructusque percipiat. At rerum experientia nunc docet, quod locorum Ordinarii, et Praelati ecclesiastici potius exoptant, quam respuunt, libentissimoque magis, quam aegro animo accipiunt spontaneas, et liberas beneficiorum renunciationes, cessionesque commendarum, ut valeant suam erga alios munificentiam exercere in conferendis vacantibus beneficiis.

V. Praeterea resignanti licebit re integra poenitere, a resignatione resilire, mandatumque procurationis ad resignandum revocare (7). Qui tamen *cedendi licentiam cum instantia postulantes cedere promittunt, quum in postulatione huiusmodi, aut Ecclesiarum commoda, quibus praesunt, aut salutem videantur propriam attendisse, eos ad renunciandum decrevit compellendos* Innoc. III. (8). Nam illusio, et variatio in personis ecclesiasticis vitandae maxime sunt (9). Et quamvis Innocentius idem (10) rescripsit eum beneficio spoliandum fore, qui illud in manum laicam resignasset: inferri exinde nequit renunciationem sine consensu Episcopi in manus patroni laici factam valere, quum *resignatio facta laico nullam obtineat firmitatem* (11). Spoliabitur ergo renuncians beneficio invalide renunciato in poenam renunciationis in manibus laici attentatae. Sed antequam revocatio mandati ad renunciandum, vel poenitentia renunciationis innotescat mandatario, vel superiori, poterit utique Superior eam adprobare, beneficiumque renunciatum, ut vacans alteri conferre: nisi dolus, vel ma-

(1) Trid. *sess.* 23. *cap.* 16. *de reform.*

(2) Ulpian. in *l.* 1. *D. decurionibus, et filiis eorum* sic censuit: *decuriones, quos sedibus civitatis, ad quam pertinent, relictis in alia loca transmigrasse probabitur. Praeses provinciae in patrium solum revocare: et muneribus congruentibus fungi curet.* Insuper ex *l.* 35. 50., et 55. *C. eod. tit.* decuriones obstringuntur in originariis Curiis perseverare.

(3) *L. defensionis C. de iure fisci.*

(4) *L. eum satis C. de agricolis, et censitis.*

(5) *L.* 3. *D. de re militari.*

(6) *Cap. admonet* 4. *de renunciatione*, quod supra laudavi *cap.* 5. *num.* 68.

(7) Flam. Parisius *lib.* 1. *q.* 12. *n.* 6.

(8) Innoc. III. in Conc. Later. IV. *cap. quidam cedendi* 10. *de renunc.*

(9) *Clem. un. de renunc.*

(10) Innoc. III. *in cap. quod in dubiis* 8. *de renunc.*

(11) Innoc. III. *ibidem.*

litia impetrantis intercesserit occultando revocationem, ac poenitentiam (1). Stylus tamen invaluit (2) in Romana Curia non perficiendi negotium incoeptum resignationis etiam admissae per Papam, et signatae in favorem alterius per rescriptum *fiat, ut petitur*, si resignans eam revocaverit, antequam consensum in Cancellaria apostolica super expeditione bullarum ipse praestitisset (3). In coadiutoriis etiam requiri eiusmodi consensum coadiuti, monet Rigantius (4).

VI. Duplex est renunciatio: *simplex* videlicet seu *pura*, et *conditionalis*, seu *in favorem*. Renunciatio *simplex* in Superioris manibus pure fit sine reservatione aliqua, sine pacto, et sine conditione. *Conditionalis* fit *in favorem* alicuius certae personae, hoc pacto, ut si ea ipsa persona beneficium ita renunciatum tum reapse obtinuerit, renunciatio habetur irrita, et infecta ob deficientem eiusmodi conditionem, et clausulam non aliter, nec alio modo. Nam conditio, vel modus quoadusque impleatur, beneficium manet resignanti, ab eoque nullum omnino ius abdicatur, nisi postquam resignatarius vere sit illud adeptus (5). Quin etiam potest resignans incumbere possessioni, et fructus sibi reservare ad illum usque diem, in quo resignatarius actu acceperit possessionem (6). Addit Parisius (7) resignationes in favorem usu non fuisse temporibus Alexandri III, Innocentii III, et Clementis V, nullumque vetustiores canones verbum de ea fecisse, quum de simplici tantum resignatione loquantur textus Decretalium, et Clementinarum: sed invaluisse circa initium saeculi XVI (8).

VII. *Simplices, et puras* renunciationes quilibet Episcopus, et loci Ordinarius potest generatim admittere: dummodo renuncians ad sacros Ordines promotus non sit ad titulum illius beneficii, quod dimittere velit (9). Eo enim casu Concilium Tridentinum (10) sancivit renunciationem talis beneficii nullatenus admittendam, nisi constiterit renunciantem aliunde posse commode vivere, aliter facta renunciatio irrita est. Exprimere hinc oportet renunciantem ipsum titulo illius beneficii, quod resignatur, fuisse ordinatum. *Si quis forte Religionem ingressurus*, ait, Benedictus XIV, *beneficium suum dimitteret (quo casu potest Episcopus per constitutionem* LV. *S. Pii V. huiusmodi renunciationem admittere) vel etiamsi tempore novitiatus huiusmodi dimissionem expleret servatis omnibus, quae ex praescripto S. Trid. Conc.* cap. XVI. sess. 25. de Regul. *tam in bonorum temporalium, quam in beneficiorum ecclesiasticorum renunciationibus servari debent: nihilominus omnia in suspenso remanere deberent, neque posset Epi-*

(1) Clemens V. in Conc. Vienn. in *Clem. un. de renunc.*
(2) Ex regula 45. Cancellariae *de consensu in resignationibus.*
(3) Parisius *cit. q.* 12., et Io. Kochier in *comm. add. Reg. n.* 24.
(4) Rigantius *tom.* 3. *pag.* 386. *n.* 38.
(5) Parisius *lib.* 3. *n.* 11., *et seq.*
(6) Paris. *ibid. q.* 7. *n.* 9.
(7) Paris. *lib.* 1. *de resignatione benef. qu.* 2. *num.* 3.
(8) Videsis Thomassinum *de vet. et nov. Eccl. discipl. par.* 2. *lib.* 2. *cap.* 57. 58., et 59. Ubi de Episcopis, et Abbatibus quandoque nonnisi urgente utilitatis caussa, aliave canonica, sedes suas ad favorem resignabant, et successores denominabant.
(9) Fagnanus *ad cit. cap.* 4. *de renunc. n.* 12.
(10) Conc. Trid. *sess.* 21. *cap.* 1. *de reform.*

scopus ad beneficii sic dimissi collationem devenire, nisi post factam a dimittente solemnem professionem (1).

VIII. At *conditionales* resignationes in favorem cuiuslibet Summus tantum Pontifex potest hodie adprobare de stylo Curiae Romanae (2). Nam ea in beneficiis resignandis conditio, ut alicui certae personae conferantur, continet in re spirituali adnexam pactionem illicitam, et humano canonum iure prohibitam, cui non alius, nisi Papa poterit dispensationem indulgere (3), et Sedis Apostolicae delegatus. Bonifacius VIII. Episcopo Praenestino suo in Gallias legato facultatem mandavit recipiendi auctoritate apostolica resignationes beneficiorum liberas in manibus suis faciendas, et conferendi resignata personis idoneis (4). S. Pius V. aperte prohibuit, ne resignationes in favorem coram Ordinario umquam fierent etiam in casibus, in quibus canones probant coram Ordinario simplicem renunciationem. Sacris enim canonibus quum sit ecclesiasticis personis prohibitum quaerere, aut eligere sui vel officii, vel beneficii successorem; necessaria idcirco est apostolica dispensatio in admittenda resignatione ad favorem cuiuslibet, etiamsi resignatarius ad obtinenda beneficia sit idoneus, et capax, atque a renunciante nominetur sine ulla pactione simonisca, qui nullam scilicet pecuniam, aliamve rem temporalem dederit, vel promiserit, et sine ulla reservatione pensionis. Id quod in beneficiis quoque iurispatronatus locum habet, etiamsi ea ad regiam pertineant praesentationem, aut collationem. Quare Xystus V. die 28. Iulii 1587. canonicatum Ecclesiae Lucerinae de regio iurepatronatus contulit Io. Mariae Pallavicino, in cuius favorem Aloysius Wasquez illud renunciaverat (dummodo ad id accederet Regis consensus) annuam sibi pensionem reservans. Pluribus aliis etiam resignationibus decanatus, archidiaconatus, aliarumque dignitatum, et canonicatuum eiusdem Ecclesiae Lucerinae in manibus Summi Pontificis factis cum reservatione pensionis suum Reges adsensum impertiti sunt, in bullis etiam pontificiis reservatum, et expressum (5). Excipe *personatus* hispanos provinciae Cataloniae, ubi consuetudo viguit erigendi beneficia ecclesiastica (*personatus* inibi appellantur) hoc pacto, ut possessores eorumdem possent usque ad tertiam nominationem sibi successores designare, dein personatus huiusmodi extinguerentur, eorumque bona in caussam piam erogarentur (6).

IX. *Caveant autem Episcopi* (S. Pius V. ait), *et alii praedicti, itemque omnes electores, praesentatores, et patroni tam ecclesiastici, quam laici quicumque sint, ut ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in huiusmodi beneficiis, et officiis successores ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum si-*

(1) Bened. XIV. in *const. ex quo dilectus* 25. *to.* 2. Bullarii, ubi collaudat auctoritatem Io B. Rigant. in *comm. ad Reg.* 46. *Cancell. n.* 2. *tom.* 3. Videsis dicta superius *cap.* 10. *n.* 31., et dicenda mox *num.* 13.

(2) Rebuffus in *praxi par.* 3. *tit. de resignatione conditionali*, et Garzia *de benefic. par.* 11. *cap.* 3.

(3) *Cap. fin. de pactis.*

(4) Bonif. VIII. in *cap. dudum* 14. *de praebendis in VI.*

(5) B. Chioccarell. *tom.* 7. *Archiv. tit.* 3.

(6) Ex Rota coram Aldovrando, et Millino, ex Synodo Terraconensi, et DD., quos laudat, et sequitur Rigantius in *par.* 1. *Reg. IX. Cancell.* §. 2. *n.* 21. *et seq.* Videsis dicenda inferius.

gnificatione, vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscumque intercedat. Praeterea interdixit ibidem Pontifex, *ne ipsi Episcopi, aut alii collatores de beneficiis, et officiis resignandis aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in extraneos collationum, valeant providere: quod si secus, ac etiam quidquid praeter, vel contra formam praedictorum fuerit a quocumque temere attentatum, id totum nunc vires, et effectum decernimus non habere* (1).

X. Gregorius XIII. autem declaravit beneficia iurispatronatus non comprehendi in Piana ista constitutione (2), qua prohibetur Episcopis beneficia in eorum manibus resignata tam ipsorum Episcoporum conferentium, quam resignantium affinibus, consanguineis, vel familiaribus conferre (3).

XI. At resignatione confecta posse Ordinarium a resignante rogari, ut conferat beneficium certae nominatim personae sine peccato in foro conscientiae, et sine labe simoniae, censuit Rota (4): laqueum enim humanis animis iniicere non debemus ex Apostoli monito (5).

XII. Benedictus XIV. beneficiorum resignationes cum reservatione pensionis, et pacto eam cassandi prohibet, et irritat (6). Et quoniam Sedi Apostolicae reservata sunt beneficia eorum, qui alia incompatibilia assecuti fuerint (7): fraus irrepserat in anticipatis resignationibus, quas impetratores beneficiorum incompatibilium faciebant, ut instantem eluderent reservationem. At Paulus V. irritavit anticipatas eiusmodi resignationes, iisque non obstantibus, ea ipsa beneficia declaravit reservata fore (8). Tum Gregorius XV. eamdem constitutionem inter suas Cancellariae Regulas inseruit, eiusque exemplum successores Pontifices sequuti, quum in nuperis Clementis XII. Regulis (9) etiam innovata legatur talis reservatio beneficiorum, quae in antecessum resignentur in fraudem reservationis per extravagantem *ad regimen* inductae, et quae vacarent reservationi obnoxia per pontificiam assecutionem incompatibilis beneficii: Regulam istam habere locum, etiamsi bona fide resignatio facta fuerit, et citra fraudem docet Rigantius (10). Secus vero, si resignaret quis in manibus Summi Pontificis cum clausula *provideri sperans* de altero incompatibili: vel si Ordinarius, non Papa, vel indultarius collator secundum incompatibile contulerit. Nec in beneficiis iurispatronatus laicorum eam vigere, contraria reiecta sententia, tenet ipse Rigantius (11).

(1) S. Pius V. in const. *quum Ecclesiae Dei* 58.
(2) Scilicet in §. *ceterum cit.* constitutionis Pianae.
(3) Id ex libris S. Congr. Concilii testatus est Cardinalis Matthaeus, postulante Archiepiscopo Salernitano, et refert Steph. Quaranta in *summ. Bullarii* ver. *beneficiorum resignationes.*
(4) Rota penes Cassador. *dec.* 2. *de simonia,* et Navarra *cons.* 56., et 16. *de simonia* in antiquis.
(5) Apostolus I. *ad Corinth. cap.* 7. *vers.* 35.
(6) Bened. XIV. *const.* 30. *pag.* 4. *tom.* 1.
(7) Extravag. *ad regimen de praeb.* innovata per. Reg. I. Cancell.
(8) Paulus V. in *const.* 62.
(9) Clem. XII. in *Reg.* 8. *Canc.*
(10) Ioannes Baptista Rigantius in *comm. ad d. Reg.* 3. *n.* 74.
(11) Rigant. *ibidem n.* 106.

XIII. Ex praelaudata bulla S. Pii V, edita die 10, Aprilis 1568. *Episcopi, et alii facultatem habentes eorum dumtaxat resignationes recipere, et admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarii, aut corpore impediti, vel viliati, aut crimini obnoxii, censurisque ecclesiasticis irretiti non debent Ecclesiae, vel beneficio inservire. Qui unum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoveri. Religionem quoque ingressuri, vel matrimonium contracturi, si statim postea id reipsa exequantur. Denique cum aliquis ex aliis casibus acciderit, qui constitutione fel. rec. Innocentii Papae III. de dimittendis cathedralibus Ecclesiis edita continentur* (1). *Qui etiam ob capitales inimicitias nequeunt, vel non audent in loco beneficii residere securi: sed nec horum ullus sacro Ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium, vel officium ecclesiasticum resignare, nisi aliunde ei sit, qua in vita possit commode sustentare. Qui vero contra fecerint, ut in eo, in quo deliquerint, puniantur, a beneficiorum, et officiorum collatione, necnon electione, praesentatione, confirmatione, et institutione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem a Romano Pontifice meruerint obtinere, et qui talia beneficia, seu officia receperint, eos praedictis poenis volumus subiacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, praesentare, confirmare, vel instituere ausi fuerint, excommunicationis quoad personas; quo vero ad Capitula, et conventus, a divinis suspensionis sententiam ipso facto promulgamus, Romano Pontifici reservatam* (2). Undecim caussas resignandi, ex quibus possunt locorum Ordinarii resignationes beneficiorum inferiorum puras admittere, Parisius colligit Pianam constitutionem declarans latissime (3). Sex tantum caussas probavit pro Episcopis resignantibus Innocentius III (4), quae his verisiculis in epigraphe eiusdem textus relatis comprehenduntur:

Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala cedere possit.

XIV. Gregorius XIII. *de beneficiis, quae in manibus Ordinariorum collatorum etiam Cardinalium, et delegatorum etiam specialium Sedis Apostolicae extra Romanam Curiam resignari, etiam ex caussa permutationis contigerit*, sanxit, ut *ipsi intra mensem negotium universum admissionis, vel reiectionis resignationis huiusmodi, et (si per eos facienda erit) provisionis resignati beneficii iuxta apostolicas, et alias canonicas sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra tres menses a die sibi factae provisionis illam publicet, et possessionem beneficii capiat modo, et forma supradictis; alioquin illis elapsis nulla sit eius provisio, et beneficium vacare censeatur eo ipso: Ordinariique, et alii praedicti, qui haec non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis beneficiis sint ea vice privati, eorumque dispositio eo ipso ad Sedem Apostolicam devoluta existat, et aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat concedatur* (5). Sed publicandae resignationis

(1) Innoc. III in *cap. nisi cum pridem* 10. *de renunc.*
(2) Pius V. in *const. quanta Ecclesia Dei* 58.
(3) Parisius *par.* 1. *lib.* 5. *q.* 6., et Steph Quaranta *ibidem.*
(4) Innoc. III. *in cit. cap. nisi cum pridem* 10. *de renunc.*
(5) Gregorius XIII. in const. *humano vix iudicio* §. 12., *et* 13. De qua fusius infra *n.* 24.

lex explicationem postulat accuratiorem inferius. Beneficium litigiosum potentiori ne cedatur, legibus, et canonibus cautum est (1): alias irrita cessio erit. Quemadmodum et si cuius fiat ab aliquo reo criminis, quod privationem beneficii ipso facto secum ferat (2).

XV. Conditionalis resignatio ad favorem certae personae in manibus Summi Pontificis tantum fieri potest, ac solet, vel per ipsum resignantem, si in Romana Curia sit praesens, vel per procuratorem cum speciali mandato in forma publici instrumenti, quod Notarius apostolicus debet manu resignantis subscriptum exarare ad vitandas fraudes. Cancellariae enim Regula XLV. voluit, et ordinavit, *quod super resignatione cuiuscumque beneficii ecclesiastici, seu cessione iuris in eo, quam in manibus Papae, vel in Cancellaria apostolica fieri contigerit, apostolicae litterae nullatenus expediantur, nisi* resignans, *vel cedens, si praesens in Romana Curia fuerit, personaliter, alioquin per procuratorem suum ad hoc ab eo specialiter constitutum expeditioni huiusmodi in eadem Cancellaria expresse* consenserit, *et iuraverit, ut moris est. Et* si *ipsum resignantem, seu cedentem pluries super uno, et eodem beneficio in favorem diversarum personarum successive consentire contigerit, voluit, quod primus consensus tenere debeat, et alii posteriores consensus, ac litterae nullius sint momenti. Nec litterae reservationis, vel adsignationis etiam motu proprio cuiusvis* pensionis *annuae super alicuius beneficii fructibus expediri possint, nisi de* consensu *illius, qui pensionem persolvere tunc debebit.*

XVI. Istud speciale mandatum debet facultatem continere tam renunciandi, vel simpliciter, vel in favorem certae personae certum beneficium, cuius describi, ac exprimi nomen debet, seu titulus, et locus dioecesis, vel Ecclesiae, ubi positum est, et valor annuorum redditum, nisi concistoriale sit, ut animadversum supra est (3) quam praestandi consensum renunciationi in Cancellaria pontificia, atque novarum expeditioni bullarum in resignatarii favorem vel simpliciter, vel cum reservatione pensionis annuae tot scutorum cum clausula *non aliter, nec alio modo*, et iurandi in animam ipsius renunciantis, et constituentis nullam in eadem resignatione fraudem, aut simoniae labem intercessisse. Nec sufficeret mandatum generale cum libera potestate renunciandi omnia beneficia mandantis, ea si per titulum, et locum minime descripta sint. Vicissim resignatarius, nisi praesens in Curia fuerit, mandato etiam speciali constituet procuratorem ad resignationem acceptandam cum eodem iuramento de fraude, ac simonia inde procul habita, et consentiendum reservationi pensionis in favorem resignantis, et litteris apostolicis desuper expediendis. Istiusmodi mandatorum formulae habentur in appendice ad formularium instrumentorum Florentiae impressum anno 1576.

XVII. Mandatum eiusmodi speciale ad resignandum quovis lapsu temporis non expirat, nec dissolvitur umquam: voluntas enim resignandi praesumitur in mandante semper perseverare, quoadusque fuerit revocata, quum nonnisi mutata voluntate mandatum extinguatur (4). Expirat

(1) *L.* 1., et 2. *C. ne liceat potentiori.*
(2) Rigant. in *Reg.* 29. §. 1. *num.* 25., *et seq. tom.* 2.
(3) *Cap.* XII. *n.* 10.
(4) *L.* 12. §. *penult. D. mandati.*

nihilominus per mortem resignantis re integra sequutam (1), scilicet ante gratiam a Pontifice signatam. Post illam vero poterit procurator specialis incoeptum resignationis negotium perficere, et bullae apostolicae expeditioni consensum rite praestare (2), nisi mors resignantis acciderit intra viginti dies a praesentatione mandati in Cancellaria pontificia computandos. Quandoquidem Regula XX. Cancellariae statuit: *quod si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod beneficium sive simpliciter, sive ex caussa permutationis, vel alias dimiserit, aut illius commendae cesserit, seu ipsius beneficii unionis dissolutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae, et postea infra viginti dies a die per ipsum resignantem praestandi consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, et ipsum beneficium quavis auctoritate conferatur per resignationem sic factam, collatio huiusmodi sit nulla, ipsumque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare* (3).

XVIII. Ut ergo vim, effectumque suum habeat resignatio, debet resignans supervivere viginti dies, qui non computantur a tempore mandati procurationis ad resignandum in favorem certae personae dati, sed a die praestiti consensus in Cancellaria apostolica, seu exhibiti in ea mandati: quum resignationem perficiat huiusmodi consensus, non vero simplex mandatum, seu constitutio procuratoris ad resignandum. Ab hac tamen regula excludebant glossatores olim sanos resignantes (4). At Clemens VII. eamdem ampliare coepit *ad caussam etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatae.* Cuiusmodi verba sequentes Pontifices in eadem Regula quum usurpaverint: ea proinde et infirmorum, et sanorum resignationes aequo iure afficit.

XIX. Expirat etiam, quovis tempore ante bullas expeditas revocetur mandatum. Ut vero valeat revocatio irritare procuratoris consensum: debet ea rite nunciari vel officialibus Cancellariae, vel ipsi procuratori. Nam si quis ad cedendum cuilibet dignitati, vel beneficio procuratorem sponte constituerit, et ipsum ignorantem postea duxerit quomodolibet revocandum: valida tunc erit cessio per eum facta, priusquam ad notitiam ipsius, eiusve, in cuius manibus esset ea peragenda, revocatio huiusmodi pervenisset (5).

XX. Constituto procuratore ad resignandum in manibus Romani Pontificis, deinceps tunc nequit resignatio fieri coram Ordinario, nisi post mandati revocationem rite nunciatam: quum non liceat recedere a postulatione Papae praesentata, ne Sedi Apostolicae illudatur (6). Adde, quod possit Papa resignationem incoeptam istis ex caussis perficere, ubi voluntatem resignantis irrationabiliter, et contra utilitatem Ecclesiae mutatam agnoverit.

XXI. Simulatas, occultasque beneficiorum resignationes multifariam prohibuerunt Summi Pontifices Xistus IV. Innoc. VIII, Clemens VII,

(1) Clemen. *ult. de procurator.*
(2) Flam. Parisius *lib.* 9. *quaest.* 13. *n.* 18.
(3) Regula XIX. Cancellariae *de viginti*, et olim *de infirmis resignantibus.*
(4) Gomes. *ad hanc Regulam q.* 7., et Rebuffus *gl.* 2. 13., *et seqq.*
(5) Clemen. un. *de renunc.* cui consonat *l.* 15. *D. mandati.*
(6) Innoc. III. *in cap. gratum* 2. *de postul. Praelat.*

Pius IV, et V. (1); aliique per Cancellariae Regulam *de publicandis resignationibus*. His ea verbis occupata fuit. *Idem D. N. statuit, et ordinavit, quod quaecumque beneficia ecclesiastica sive in Romana Curia, sive extra eam sint resignata, nisi de illis factae resignationes (si in eadem Curia infra* sex *menses a data supplicationis, et non praestiti consensus computandos: si vero extra dictam Curiam factae sint, infra* mensem *ex tunc, ubi talia beneficia consistant) publicatae fuerint. Collationes quoque, et aliae quaevis dispositiones de illis tamquam per resignationem vacantibus factae, et inde secutae nullius sint roboris, vel momenti* (2). *Haec Regula*, ait Rebuffus in Galliis *fuit recepta, et in Curia Parlamenti registrata anno* 1493. *die* 27. *Augusti* (sub Innocentio VIII): *unde est lex Regni effecta, ideoque per mortem Papae non tollitur* (3).

XXII. Ab Iure communi eruta haec Regula videtur. Nam Innocentius III. ad Milani Archiepiscopum rescribens, irritas censuit occultas beneficiorum donationes, et collationes, improba suspicione affectas (4). Idemque in generali Concilio *electiones quoque clandestinas* reprobavit, statuens *ut quam cito electio fuerit celebrata, solemniter publicetur* (5). Idque firmavit etiam Bonifacius VIII (6).

XXIII. Ut Regulae illuderent, et iacturam beneficiorum evaderent quum negligentes, tum contemnentes solemniorem publicationem: contendebant eam satis expleri ab eo, qui palam in resignati beneficii possessionem coram duobus, tribusve testibus immitteretur. Doctores autem cordatiores, in his Abbas, Panormitanus, et Rebuffus, peculiarem publicandi in ritum ab actu possessionis quantumlibet publicae separatum omnimodis exquirebant (7). S. Pius V. solemnem publicandi formam primus edixit, eamque perpetua lege imperavit (8): Dein Gregorius XIII. suam

(1) Pii IV., et V. const. explicui *lib.* 4. *Can. Inst.* tit. *de simonia.*

(2) Eam ita exscriptam habent Sarnus, Io. Kohier, Rebuffus, alii: quam a Xysto IV. proditam primum fuisse tenent Flaminius Parisius *lib.* 11 *de resign. in praefat. n.* 1. post Sarnum, et Rigantius in Reg. IX. *tom.* 2. *n.* 172. Ab Inn. VIII. Xysti successore Wanespenius *par.* 2. *tit.* 27. *cap.* 6 *n.* 2.

(3) Rebuff. in *prax. benefic.* tit. *Regula de public. resignat.* Hinc pontificias ei Regulae derogationes locum in Galliis inde non habuisse commonent idem Rebuff. *Gl.* 13. *n.* 33. Ludovicus Charonda *lib.* 1. *resp.* 23. Zypaeus *de renunc. n.* 2. Georg. Lovetius *ad Molineum nota* 6.

(4) Innoc. III. in *cap. un. ne ecclesiastica benef. sine deminut. confer.*

(5) Idem in *cap. quia propter* 42. *de electione.*

(6) Bonif. VIII. in *cap. quoniam* 47. *et ult. de elect. in VI. Nos volentes*, ait, *huic morbo, et fraudibus* (puta clandestinae electionis) *obviare, sancimus, et confirmationes tales viribus omnino carere, ipsasque decernimus irritas, et inanes.* Glossa in eodem *cap. quoniam* verb. *observari* loquens de ritibus in electione, et confirmatione publicanda constitutis ait: *in provisionibus, vel collationibus tantum puto, et haec fieri.*

(7) Rebuffus anno 1540, commentarium Regularum Cancellariae sub Paulo III. aggressus in *prax. benefic.* tit. *de publicand. resignat. gl.* 10. *n.* 19, haec scribit contrariam refellens opinionem: *aliter parum serviet haec Regula volens resignationem publicari: nam de iure testes debent interesse in adeptione possessionis, sicut in aliis actibus, alias actus non posset probari. Ergo haec Regula requirens publicationem aliquid addit Iuri communi. Et quod non dicatur publicatio coram duobus, aut tribus testibus, consuluit Panormitanus cons.* 99.

(8) S. Pius V. in const. *cogit nos*, quam motu proprio tulit die 13. Martii 1567,

edidit constitutionem IX. Kal. Ianuarii 1583. promulgatam sequenti anno 1584. (1), qua modus, et forma publicandi resignationes explicatius, et accuratius praescribitur perpetuo iure servanda. *Posthac omnes, et quaecumque* resignationes (ait) *etiam caussa* permutationis, *ac commendarum, et etiam litteris apostolicis non confectis, et possessione non habita, nec non* litis, et iurium *quorumcumque* cessiones, *ac retrocessiones, quae deinceps de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis in nostris, seu Romani Pontificis pro tempore existentis manibus, ac etiam coram notario publico, et testibus fiet, et super eis provisiones, et quaecumque aliae dispositiones sive temporales, sive perpetuas* publicari *debeant cum litteris apostolicis desuper confectis intra* sex menses, *si beneficium citra montes fuerit: ultra vero, intra* novem *a data concessionis gratiae, non autem a die praestiti super ea consensus numerandos. Ipsa autem publicatio in* Cathedrali, *et in* beneficii *Ecclesia, vel Ecclesiis; si in pluribus illud sit, fiat: ibique dum frequens populus ad Missarum solemnia convenerit, palam omnibus litterae apostolicae praedictae, earumve transumptum authenticum exhibeatur, claraque, et intelligibili voce resignatio, seu cessio huiusmodi, ac beneficii qualitas, et invocatio, nominaque, et cognomina resignantis, sive cedentis, ac illius, in cuius favorem gratia huiusmodi facta est, pronuncietur: ut haec omnia possint ad notitiam omnium ibi existentium verisimiliter pervenire, scriptoque de his omnibus exemplo collato,* valvis *dictarum Ecclesiarum* affixum *relinquatur. Si vero Ecclesia beneficii ruralis sit, aut populo, conventuque careat: eo casu in* parochiali, *intra cuius parochiae limites beneficium ipsum consistit, et in Cathedrali Ecclesia, vel si locus bello, seu peste, aliisve manifestis periculis subiaceat, tunc in proxima parochiali, ac etiam in Cathedrali Ecclesia; vel si aditus ad illas, aut utramvis minime sit securus, in alia Cathedrali, vel parochiali viciniori periculorum immuni publicatio huiusmodi peragatur* (2). *Quod si quidquam praedictorum omnium omissum fuerit dictis terminis elapsis, omnes dispositiones, et gratiae resignatorum, vel cessorum beneficiorum, aut iurium huiusmodi cum omnibus inde secutis, sive de pacificis, sive de litigiosis, sint irritae, et inanes, nullaque, alia gratia super huiusmodi beneficio, sive iure cesso suffragetur: sed ipsi inhabiles, et incapaces sint ad huiusmodi beneficia sic resignata, et cessa quandocumque obtinenda: illaque ab ipsa statim prima resignatione, seu cessione, etiamsi alias nullae, et invalidae essent, vacavisse, et vacare censeantur eo ipso: nec resignantibus, seu cedentibus, si postea in sua possessione remanent, constitutiones de* annali, et triennali *possessore, nec praesumptae, aut tacitae retrocessiones etiam propter diuturnam continuatae possessionis huiusmodi tolerantiam ullo tempore suffragentur: sed ipsa beneficia, sive iura sic a principio vacantia a Sede Apostolica praedicta dumtaxat impetrari valeant, ac concedi* (3). *Illorum* vero impetrationes *numquam sub clausulis generalibus, vel implicitis comprehendantur, sed specialiter, et expresse* ob non servatam *praesentis constitutionis formam, et cum declara-*

---

et const. *quanta Ecclesiae Dei*, edita an. 1568, quas collaudat Benedictus XIV. in const. *Ecclesiastica* 10. *tom.* 2. Bull.

(1) Gregor. XIII. in const. *humano vix iudicio* 85.

(2) *Ibidem* §. 8.

(3) *Ibidem.*

tione nominum, et cognominum resignantis, seu cedentis, et gratiam habentis dispositive, et non conditionaliter fieri omnino debeant (1). *De beneficiis autem, quae in* manibus Ordinariorum *collatorum etiam Cardinalium, et delegatorum etiam specialium Sedis Apostolicae extra Romanam Curiam resignari, etiam ex caussa permutationis contigerit: ipsi* intra mensem *negotium universum admissionis, vel reiectionis resignationis eiusmodi, et (si per eos facienda erit) provisionis resignati beneficii iuxta apostolicas, et alias canonicas sanctiones omnino absolvant. Et qui sic provisus fuerit, intra* tres menses *a die sibi factae provisionis illam publicet, et possessionem beneficii capiat modo, et forma supradictis: alioquin illis elapsis nulla sit eius provisio, et beneficium vacare censeatur eo ipso, Ordinariique, et alii praedicti, qui hoc non perfecerint, eo casu potestate disponendi de ipsis beneficiis sint ea vice privati, eorumque dispositio eo ipso ad Sedem Apostolicam devoluta existat, et aliis idoneis ab ipsa Sede dumtaxat concedantur* (2).

XXIV. Ex rebus quidem gestis liquet Apostolicae Sedis litteras pro impetrantibus beneficia (exceptis iis, quae sunt iurispatronatus) ob neglectam resignationis publicationem vacantia ipso iure vigore eiusmodi Gregorianae constitutionis, executioni mandatas hoc in Regno fuisse ad nostram usque aetatem, regiumque iis placitum continue, nemine contradicente, aut reclamante concessum. Petrus Blancardus quum beneficium Sanctissimae Trinitatis intra parochialem Ecclesiam Fractae maioris in Aversana dioecesi ab Urbano VIII. impetrasset anno 1629. uti vacans ob publicationem a resignatario possessore non factam: Archidiaconus Aversanus executor apostolicus pontificiae collationis litteras sine obstaculo exequens, eum, amoto resignatario, in possessionem illius beneficii immisit, ut patet ex actis in Episcopali archivio Aversano servatis eiusdem beneficii familiae olim de Fusconis, hodie de Spenis (3). Codices autem Curiae Capellani maioris redundant impetrationibus eiusmodi ab ea relatis ad Proreges olim, et Collaterale Consilium, mox ad Regem nostrum cum voto indulgente super iis regia placita, de stylo exinde concessa, quoties nemo laesa patronatus iura, nec alias Regni leges conquestus esset. Unde sanctio Gregoriana, quae ipso iure vacationem beneficiorum infert ex neglecta eorumdem resignatorum publicatione, videtur usu iamdudum viguisse. Quum vero nec petitum, nec datum, nec denegatum constitutioni Gregorii XIII. placitum regium, quemadmodum nec pleris-que Pontificum constitutionibus ante, ac post comitia Tridentina editis, quae prostant in Bullario M. nullatenus ferant rerum nostrarum scriptores, statui exinde nequit eam hoc in Regno non acceptatam. Quinimmo ex tali scriptorum silentio magis praesumitur eam tacito saltem regiae Potestatis placito receptam usu, quam non in iis partibus, quae nullum patronatibus vel regiis, et laicorum iuribus detrimentum inferant.

XXV. Benedictus XIV. aegro ferens animo fraudes ad eludendam Gre-

(1) Idem in *seq.* §. 9. Constitutionem hanc explicant, versantque in primis Parisius *tom.* 1. *de resign. benefic. lib.* 21. *per tot.* et Steph. Quaranta in *sum. bullar. verb. benefic. resign. public.*

(2) Greg. XIII. ibidem §. 12. Videsis dicta superius *num.* 14.

(3) Ex arch. Avers. *fil.* 3. *n.* 2.

gorii XIII. sanctionem adinventas, ab se ipso in iudicio detectas, videlicet *expeditionem litterarum* apostolicarum ad preces resignantium prorogari solitam, *restitutiones* in integrum saepe largitas ad publicandam, ut resignantes interea fructus beneficiorum resignatorum perciperent, *iterationem praesentatae* super una, eademque resignatione ad protrahendam signaturae gratiam, *possessionem*, et publicationem usque ad obitum resignantis dilatam, satagit ea radicitus amovere. Propterea constitutionem saepe dicti Gregorii de publicandis intra certum tempus resignationum gratiis, et capienda resignatorum beneficiorum possessione confirmans, et innovans constitutione sua itidem perpetua vetuit Notario Datariae, ne recipiant umquam consensus super resignationibus, quoties mandata procurationum hinc ad resignandum, hinc ad acceptandum data videantur ante menses octo a citramontanis, vel duodecim ab ultramontanis. Tum iussit ab eo die, quo rescripserit Pontifex admittendam esse resignationem, ut intra duos ad summum menses quum supplicatio signetur, tum litterae apostolicae desuper expediantur, mox a die signatae gratiae intra sex menses possessio resignati beneficii citra montes, et intra novem ultra montes revera capiatur, litteraeque apostolicae simul publicentur ad formam Gregorianam. Utque nulla temporis prorogatio ad publicandum amplius indulgeatur prima etiam vice, nisi antea constiterit in officio Subdatarii apostolicas litteras fuisse iam expeditas. Insuper ut prima, et secunda dumtaxat prorogatio tunc liceat concedi, tertia nequaquam, nisi patens impedimentum sine culpa petentis interiectum aliter Datario suaserit. Si quid contra gestum erit, irritum omnino fuit, et beneficia ipsa ut vacantia impetrationibus fore abnoxia (1).

XXVI. Onus probandi omissam publicationem non resignatario, sed impetranti beneficium incumbere, Doctores consentiunt (2): quum is qui negat aliquid, in quo suam fundat intentionem, debeat idipsum plene probare.

XXVII. S. Pius V. dum formam imperavit expediendi litteras super resignationibus Ecclesiarum, praesertim parochialium in forma dignum, studuit omnem simoniae suspicionem, et labem ab eisdem amovere, mandans exequutoribus apostolicis, ut ea de re diligentius inquirant (3). Hinc ea in litteris pontificiis resignationum adiici clausula suevit inferius exponenda, ut sedulo circumspiciant singuli executores, an in resignationibus beneficiorum apud Sedem Apostolicam gestis, atque admissis *intercesserit* simoniae *labes, aut aliqua alia* illicita pactio, *seu etiam corruptela* (4).

XXVIII. Si quis bona fide beneficium Sedi Apostolicae reservatum, vel affectum, vel alicui a Papa collatum acceperit ab Ordinariis collatoribus ignorans, tum post agnitam reservationem, collationemve pontificiam sine mora dimiserit: Bonifacius VIII. statuit eos ad sua propria beneficia, ea etiam, quae sponte dimisisset, regressuros esse, non obstante quavis collatione eorumdem aliis interea impetrantibus facta (5). Nam Cancella-

(1) Bened. XIV. in const. *ecclesiastica ministeria* 10. die 15. Iunii 1746. *to.* 2. Bullarii.

(2) Apud St. Quaranta in *summa bullar.* verb. *benef. resign. public. n.* 18.

(3) S. Pius V. *const.* 32.

(4) Rigant. in *Reg.* 45. §. 1. *n.* 44. *tom.* 3.

(5) Bonif. VIII. in *cap. si beneficia* 20. *de praeb. in VI.*

riae Regula III. superius exposita eos, qui beneficium incompatibile iam iam adepturi ab Apostolica Sede in fraudem reservationis beneficia sua vel dimiserint, vel resignaverint, coercet (1): non alios bona fide dimittentes.

XXIX. Ad beneficium semel renunciatum nullatenus poterit renuncians amplius regredi, nec illud umquam repetere. *Quam periculosum sit in divinis rebus, ut quis cadat iure suo, et potestate, Scriptura sancta declarat, quum in Genesi Esau primatus suos inde perdiderit, nec recipere id postmodum potuerit, quod semel cessit, regressum*, Nicolaus I. rescripsit ad Iubaianum (2).

XXX. Iure hinc merito Patres Tridentini omnino accessum, et regressum ad beneficia damnarunt, et submoverunt (3), in quo Episcopis nulla est dispensandi facultas. Plenaria tamen Sedis Apostolicae auctoritate Romanus Pontifex poterit ex caussa, et solet resignantibus indulgere *regressum*, seu facultatem repetendi Ecclesiam, seu beneficium, quoties renunciatario obeunti, vel illud dimittendi superstes erit resignas. Quemadmodum et *ingressum*, ut aiunt pragmatici, potest Papa concedere ei, qui antequam possessionem apprehenderet beneficii sibi collati: illud in alicuius favorem renunciaverit sub hac conditione, ut praemoriente renunciatario fas ipsi renuncianti esset ingrediendi, et auctoritate sua adprehendendi possessionem illius. Praetereaque *accessum* quandoque Papa largitur vel aliis incapacibus ad ecclesiasticam dignitatem, eius administrationem interea dignae personae conferens eo pacto, ut puer, aliusve incapax postquam ad aetatem pervenerit legitimam, vel capax effectus erit, valeat ad eam ipsam accedere (4).

XXXI. In pontificiis bullis pensionum super beneficiis reservatarum de stylo Curiae Romanae solet reservari regressus, si contingerit, quod resignatarius pensionem solvere detractaverit, per hanc clausulam. *Si vero per sex menses dictos triginta dies immediate sequentes* (puta post cessum, ventumque diem solutionis) *sententiam ipsam excommunicationis animo, quod absit, substinuerit indurato: ex tunc effluxis mensibus eisdem dicto beneficio perpetuo privatus existat, illudque vocare censeatur eo ipso, tibique liceat ad idem beneficium liberum habere regressum, et liceat tibi etiam vigore tui prioris tituli possessionem propria auctoritate adprehendere, ac si illud minime resignasses*. In praxi tamen cum regressus eiusmodi nec postuletur, nec postulatus obtineri soleat, clausula idcirco nullam vim reapse habere videtur. Et ubi efficax iudicaretur, ante sententiam iudicis declaratoriam nequiret renuncians regredi ad beneficium, ut decisum a Rota refert Flaminius Parisius (5). At renunciationes, cessionesque cum ingressu, et regressu a reservatione omnium fructuum, ut Cardinalibus tantum indulgeantur, statuit Alexander VI. a Rebuffo laudatus (6).

XXXII. Ad improbas resignantium pactiones, et fraudes extirpandum

(1) Ex supradictis *cap.* 5. *n.* 40.
(2) Nicol. I. in *can. quam periculosum c.* 7. *qu.* 1, Vide Rebuff. *in prax. benef. cap. de regressibus.*
(3) Trid. in *cap.* 7. *sess.* 25. *de ref.*
(4) Rebuff. *loc. cit.*
(5) Flam. Parisius *lib.* 6. *qu.* 3.
(6) Rebuff. *ibidem.*

cum lege Gregoriana conspirat Cancellariae Regula XL, statuens, quod *si committatur alicui beneficii resignationis receptio, ponatur* clausula : *attente quoque provideas, etc.* quod nimirum in resignatione praedicta dolus, vis, metus, vel aliqua simoniaca pravitas non intervenerint (1). Eam hisce ipsis verbis exprimi olim consuevisse in pontificiis litteris bullatis, monent scriptores (2). At hodierno stylo his aliis conceptam Rigantius ibidem tradit: *Ceterum ne, dum prodesse studemus, aliqua forte irrepat iniquitas in exitium animarum: tu istic attente circumspicias, an ex parte N. N. praefatorum super dicta resignatione, ut fieret, quam nos nullo hucusque vitio laborare deprehendimus, intercesserit simoniae labes, aut aliqua alia illicita pactio, seu etiam corruptela.* Ex huiusmodi verbis plane intelligimus, quod Romani Pontifices dum apostolica dispensatione adprobant conditionales in favorem resignationes, conventasque pensionum reservationes humano iure prohibitas, admittere numquam intendant aliquam ex illicitis pactionibus Iuri divino, vel naturali adversantibus, quas nulla hominum Potestas valet probas efficere. Neque subreptitias preces, nec falsam valoris expressionem (3).

XXXIII. Dicendum superest de beneficiis iurispatronatus, quae invitis patronis cuilibet conferri non patiuntur communes Ecclesiae leges, quaeque a cunctis Apostolicae Sedis derogationibus quum generalibus, tum specialibus exempta videntur. Tametsi ergo vacare apud Sedem dicuntur beneficia in manibus Papae resignata in alicuius favorem, eaque Pontifices consueverint resignatariis conferre singulatim cum derogatione iurispatronatus pro illa vice tantum (4): collatio tamen pontificia sine derogatione expressa, nisi praecesserit, vel subsequatur patronorum consensus irrita, nulliusque momenti erit ex Cancellariae Regula XLII.

CAP. XX.

De permutatione (*).

I. Mutua beneficiorum resignatio heic permutatio dicitur.
II. Permutationem canones vetant, nisi eam Ecclesiae necessitas, vel utilitas postulaverint.
III. Eamque sine auctoritate Episcopi irritam, et improbam habent.
IV. Nonnisi permutantibus possunt Episcopi beneficia mutuo resignata conferre.

(1) Rigant. in *comm. eiusdem Reg.* 40. *num.* 2. *tom.* 3.
(2) Sotus, Rebuffus, et Quesada in *comm.* eiusdem Regulae.
(3) Ex supradictis *cap.* 12. *num.* 12.
(4) Mandos. *de signat. grat.*, verb. *dum vacant.*, et Rigant. *in Reg. I. Canc.* §. 1. *num.* 322.
(*) Ex *lib. III.* Decretal. *tit.* 19.

V. Neutri ius in permutato beneficio adquiritur, nisi alter alterius beneficium reapse obtinuerit.
VI. Regressum hinc iure habet alteruter ad beneficium suum, non adeptus alienum.
VII. Episcopi, locorumque Ordinarii cum territorio separato, Vicarii Episcopales cum speciali mandato, et Capitulares possunt permutationes adprobare, secus alii Praelati.
VIII. Necessitatis, vel utilitatis Ecclesiae caussam oportet inquiri, antequam dioecesanus loci Ordinarius permutationi adsentiatur.
IX. In beneficiis iurispatronatus permutandis requiritur patronorum consensus.
X. Eo vel maxime, si ea patronatus regii sunt. Consensus autem praesentationi aequipollet.
XI. In fraudem reservationis pontificiae permutatio non valet.
XII. Fraudulentos Cataloniae personatus abolevit lex Concordatorum.
XIII. Publicari permutationes oportet.

I. Mutua, et reciproca beneficiorum resignatio, quae inter duos vicissim fiat cum adsensu, et auctoritate Superioris ecclesiastici, *permutatio* a Canonistis speciatim dicitur. Mutuam vero unius rei pro altera praestationem ea generatim significat (1), et quandoque translationom Episcoporum (2). Quoties ergo suum alter alteri beneficium Superiore annuente resignat eo pacto, ut alterum pro suo resignato, ac dimisso beneficium sit adepturus, permutari tunc dicuntur beneficia. Nam duae res permutationem constituunt, mutua permutantium resignatio, et nova Superioris ecclesiastici in utriusque favorem collatio.

II. Et dignitatum, et praebendarum permutationem in Turonensi Concilio Alexander III. interdixit: *Sicut in magnis, ait, ita quoque in minimis membris suis firmatam Ecclesia habeat universitatem:* divisionem *praebendarum, aut dignitatum* permutationem *fieri prohibemus* (3). Mox rescripsit Urbanus III., *quod commutationes praebendarum de iure fieri non possunt: praesertim pactione praemissa, quae circa spiritualia, vel connexa spiritualibus labem semper continent simoniae. Si autem Episcopus caussam inspexerit* necessariam: *licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uni loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere* (4).

III. Qui attentaverint auctoritate propria, inscio, vel invito Superiore permutare, ambo sua perdunt beneficia (5). Quoniam iu eiusmodi permutationibus compertum est crebro aliquam simoniae labem; aliamve illicitam intercedere corruptelam (6). Sola igitur partium conventio satis non

(1) Ex rubrica 19. lib. 3. Decretal. *de rerum permutatione.*
(2) Anterus Papa in *can. mutationes* 34. C. 7. *qu.* 1.
(3) Conc. Turonense in *cap. maioribus* 8. *de praeb., et dignit.*
(4) Urbanus III. in *cap. quaesitum est.* 5. *de rerum permut.*
(5) Innoc. III. in *cap. cum olim.* 7. *de rerum permutat.*
(6) Boetius tractatum edidit *de saluberrimo permutationis beneficialis iure*, quem

est ad permutationem perficiendam: sed requiritur omnimodis,ut Episcopus ex integro conferat ambobus permutantibus beneficia invicem resignata.

IV. Si autem aliis, quam permutantibus ea is conferret, irrita esset penitus collatio. *Ne concessione iuris utentibus praesertim circa spiritualia illudatur, si qua beneficia ex caussa permutationis ab aliquibus resignata aliis, quam ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse volumus firmitatis*, Clemens V. decrevit in Concilio Viennensi (1).

V. Et quoniam permutatio perficitur, quoties alter alterius beneficium sit realiter assecutus, si permutatio completa sit ex una parte, et per alteram steterit, quominus impleatur, restituitur ille ad suum beneficium, amoto quolibet detentore: quum deceptis, et non decipientibus iura subveniant, et simplicitati venia tribuatur (2). Hinc manavit Reg. LX. Cancellariae, qua praescribitur, ut *si ex caussa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula, quod neutri permutantium ius adquiratur, nisi quilibet ipsorum ius habuerit in beneficio per ipsum resignato* (3). Nullius ergo momenti permutatio erit, ubi alterutrum ex permutatis beneficiis litigiosum erit, aut ab alio evincatur etiam ex intervallo, aut fictum sit, et simulatum, aut legatum pium, seu capellania laicalis (4).

VI. Hinc est, cur permutantes habeant *regressum* iustitiae ad sua dimissa beneficia, quoties suum permutatio effectum plene non sortiatur, novaque collatione, seu institutione canonica non perficiatur (5). Non obtinet locum in hoc casu decretum Tridentini, quod accessum, et regressum in beneficiis omnino submovit (6). Tametsi enim resignans in favorem alterius nequit sibi regressum,praemoriente resignatario,reservare ad beneficium resignatum, quum talis regressus aperte foveat successorem canonibus inimicum, ea tamen ratio videtur in regressu permutantium nil urgere, quum sua singuli permutantes beneficia retineant, donec permutatio utriusque suum sortiatur effectum. Et quoties eam semel effectum sortitam revocari contigerit, vel irritari ex qualibet caussa nullitatis: alteruter permutantium ad suum redit beneficium ipso facto absque novo collationis titulo, statim ac sententia gestam permutationem irritans, vel rescindens transiverit in rem iudicatam (7).

VII. Facultas autem adprobandi permutationes Episcopis data est communi Iure Decretalium, quod nullum de inferioribus Praelatis, locorumque Ordinariis verbum facit (8). S. Pius V. autem nedum Episcopis, sed

ideo sic inscripsit, et nominavit, quia permutatio suos foetus in summum solet adducere discrimen, non aliter, quam Saturnus crudeliter foetum devorat proprium, ut est in fabulis: licet id ad naturam temporis, quae edax est rerum omnium, plerique referant. Frequenter enim permutantibus scrupulos adeo duros, ut vehementes, eosdemque iustos ingerit, ut Saturni voracitas nullos umquam consimiles genuerit cruciatus illis ipsis, qui devorarentur.

(1) Ex Clementina *un. de rerum permut.*

(2) Innoc. III. in *cap. cum universorum* 8. *de rerum permut.*

(3) Reg. XL. *de clausula ponenda in litteris permutationis beneficiorum.*

(4) Rigant. in *Reg.* 40. *num.* 12., *et seq.*

(5) Rebuff. in *cit. praxi tit. de permutat. num.* 12., *et seq.*

(6) Trid. *sess.* 25. *cap.* 7. *de refor.* relatum supra *cap.* 20. *num.* 34., *et* 35.

(7) Rigant. *loc. cit. num.* 44.

(8) Ex *cit. cap. quaesitum*, ibi: *Si autem Episcopus caussam* ec.

aliis etiam Ordinariis collatoribus declaravit fas esse eas permutationes beneficiorum admittere, *quae canonicis sanctionibus, et apostolicis constitutionibus permittuntur*(1). Si vero contra formam sacrorum canonum, et apostolicarum constitutionum Episcopi, aliique Ordinarii collatores permutationes admiserint: nullius eae momenti erunt, et permutata coram eis beneficia ipso iure vacabunt, Sediquae Apostolicae reservata manebunt ex alia S.Pii V. constitutione (2). Usu hinc receptum est, ut inferiores etiam Praelati iurisdictione quasi episcopali cum territorio separato potientes, et Vicarii episcopales speciali ad id mandato praediti permutationes beneficiorum canonicas adprobare valeant (3). Simul et Vicarii capitulares quod ad ea beneficia, quae ad communem Capituli cum Episcopo collationem pertinent: secus quod ad alia episcopalis tantum collationis (4). Inferiores enim Praelati praescribere possunt eamdem potestatem iurisdictionis (5). Quod si neque collatio, neque institutio pertineat ad dioecesanum Episcopum: ipsius adhuc auctoritas requiritur: etiamsi illi, ad quos aliquo in loco pertinet beneficiorum provisio, consenserint (6). Si per gratiam, ut aiunt expectativam, seu mandatum de providendo, quod Sedes Apostolica concesserit, quispiam alterutrum ex permutandis beneficiis proxime vacaturum expectet: adhuc poterit Episcopus permutationem adprobare. Nam Bonifacius VIII. rescripsit illos, qui secundum formam iuris beneficia in eadem dioecesi ad Episcopi collationem spectantia permutare volentes, libere, ac sine fraude in manibus Episcopi resignarent, non impediri, ne facerent permutationem beneficiorum huiusmodi, quae alias minime resignassent, licet aliqui auctoritate apostolica eadem beneficia proximo vacatura expectarent (7).

VIII. Caussam vero utilitatis, vel necessitatis Ecclesiae debet Episcopus inquirere, antequam permutationi suum impertiatur adsensum: quum nonnisi pro spirituali caussa, ut melius videlicet Deo serviatur, et Ecclesiae, sint admittendae permutationes, ex B.Thomae sententia (8). Mutationes *communi utilitate, atque necessitate* licere, Anterus Papa rescripsit (9). *Si Episcopus caussam inspexerit necessariam*, tunc plane eas indulget Urbanus III. (10). *Utilitati utriusque* permutantium profuturas non improbat Innocentius III. (11), quae nimirum redundare simul in Ecclesia utilitatem videantur.

IX. Consensus itidem patronorum requiritur, illorumve, ad quos nominandi, praesentandi, vel eligendi Ius pertinet: alias irrita foret permuta-

(1) S. Pius V. in *const. quanta Ecclesiae Dei* 58., quam retuli in superiori *cap.* 20. *num.* 9.
(2) Idem in *const. officium creditae* 42., et Rigant. in *Reg.* 40. *num.* 48. *to.* 3.
(3) Rigant. in *Reg.* 40. *num.* 65.
(4) Idem *loc. cit. num.* 68.
(5) Glos. in *Clem.* 1. *de reb. Eccles. non alien.*
(6) Io. Kokier in *tract. de permut. benefic. num.* 7.
(7) Bonif. VIII. Biterensi Episcopo in *cap. un. h. tit. in* VI.
(8) S. Thom. in 4. *dist.* 25. *qu.* 3. *art.* 3.
(9) Anterus in *cit. can. mutationes.*
(10) Urban. in *cit. cap. quaesitum.*
(11) Innoc. in *cit. cap. cum universorum* 8.

tio (1). Itaque si patronus intra quatuor, vel sex menses ad praesentandum a sacris canonibus concessos contradixerit, et iustam contradicendi caussam exposuerit, nullam puta urgere Ecclesiae necessitatem, nullamque utilitatem: quaevis permutatio apud Sedem quoque Apostolicam facta sine consensu patroni, et sequuta exinde collatio pontificia vel ipso iure invalida est, iuxta opinionem Panormitani (2), aliorumque, vel per sententiam iudicis saltem rescindenda, ut censuit Rochus de Curte (3), et Rota Romana laudata per Covarruvium (4). Qua in re derogationem iurispatronatus tacitam oportet ab expressa distinguere. Si enim Summus Pontifex ob tacitam iurispatronatus qualitatem adprobaverit permutationem, novamque fecerit permutantibus collationem beneficiorum, quorum vel alterutrum, vel utrumque sit de iurepatronatus: collatio tamquam subreptitia nullimode valebit (5), nec poterit ei tacita derogatio prodesse: praesumitur enim extorta contra voluntatem Pontificis. Lapus (6) testatur quemdam Cardinalem a Gregorio XI, nequivisse umquam impetrare derogationem iuripatronatus laicorum ex caussa permutationis. Si vero ad expressam Sedes Apostolica devenerit derogationem: tunc locus erit disputationi, utrum canonicae patronorum querelae valeant, nec ne exequutionem novae collationis impedire, et utrum nullitas ipso iure, vel potius rescissio gratiae competat.

X. Quod vero ad beneficia de iurepatronatus regio, expeditissimum esse affirmat Episcopus Covarruvius (7) permutationem in Romana etiam Curia cum expressa derogatione iurispatronatus peractam, nisi accesserit regius assensus, nequaquam admitti. Addit Stephanus Quaranta esse patroni consensum adhibendum in permutatione, eoque suppleri vicem praesentationis, et conservari quasi possessionem praesentandi (8).

XI. Permutationes in fraudem futurae vacationis apud Sedem ex decreto, vel promotione ad dignitates, et beneficia incompatibilia, non secus, quam resignationes pariter fraudulentas ex Cancellariae Regulis III., et XXVI. vetitas iam monui superius (9): easque ideo nullius fore momenti.

XII. Fraudes in personatibus Cataloniae frequentiores detexit, retulitque sub Alexandro VII. Balneoregiensis Episcopus apostolicus in Hispania Nuntius litteris ad Cardinalem Corradum Prodatarium datis die 10. Aprilis 1660. (10). Consueverant Hispani temporaneos personatus cum adsensu dioecesanorum fundare ea lege, ut eorumdem primus quisque possessor posset ad tertiam usque vicem successorem sibi designare, dein titulus extingueretur continuo, fructusque omnes cum integra dote in aliquod pium opus perpetuo erogarentur, eosque ut ecclesiastica beneficia habebant. Sed eo

(1) Glos. in *Clem. un. hoc tit.*, et Rebuff. *loc. cit. num.* 12.
(2) Panormitan. in *cap. cum dilectus de iurepatr.*
(3) Rochus de Curte in *tract. de iurepatr.* verb. *honorificum qu.* 3.
(4) Rota laudata per Covarruvium *tom.* 2. *pract. qu. cap.* 36. *num.* 9.
(5) Ex traditis supra *cap.* 12. *num.* 4.
(6) Lapus *alleg.* 69. *num.* 4.
(7) Covarruvius *loc. cit.*.
(8) Steph. Quaranta in *summ. bullar.* tit. *benef. permutatio.*
(9) *Cap.* 5. *de reservat., et affect. num.* 57.
(10) Rigant. in *par.* 1. *Reg. IX.* §. 2. *num.* 26.

plerumque studio tales fiebant fundationes, ut personatum ille suum cum alterius dignitate, vel canonicatu, aliove beneficio ecclesiastico permutaret: id quod simoniam redolet (1). Nunc temporaneae eiusmodi fundationes, erectionesque beneficiorum aboletae inibi iam sunt Concordatis inter Romanam, et Hispanam Curiam initis anno 1717. Clemente XI. (2).

XIII. Resignatio duplex cuilibet permutationi adnexa postulat, ut ea sit eo etiam ritu publicanda, quem Gregoriana constitutio imperavit, una eademque poena in resignantes, aeque ac permutantes, qui publicare omiserint, sancita: ut fraudes inde, pactionesque improbae detegantur facilius.

CAP. XXI.

De pluralitate et incompatibilitate beneficiorum.

I. Plura ne unus officia ecclesiastica simul retineat, prisci sanxerunt canones, divino, et naturali Iure suffulti.

II. Nonnisi ob inopiam hominum, Ecclesiarumque indulserunt uni presbytero curam alterius Ecclesiae in commendam accipere, vel titulo unionis.

III. At ea indulgentia sensim invexit abusum serviendi per substitutos pluribus ab uno retentis Ecclesiis, absque ulla earum utilitate, aut necessitate.

IV. Ut nonnisi unam unus Parochiam, vel dignitatem, vel personatum retineat, alteram dimittat, et unusquisque per sese inserviat, contrariis moribus omnino obrogatis, cautum est sacris novae disciplinae canonibus sub Alexandro III.

V. Necnon beneficia, et pensiones cuiuslibet promoti ad episcopales, vel abbatiales Ecclesias, exceptis titularibus, eo ipso vacare.

VI. Innocentius III. ambobus beneficiis, vel curatis, vel non curatis in eadem Ecclesia erectis eos privari sanxit, qui utrumque simul retinuerint.

VII. Bonifacius VIII. contrarias ea in re consuetudines delevit, constituens licere nemini duo beneficia, vel officia Cleri quum saecularis, tum regularis absque dispensatione apostolica retinere.

VIII. Ioannes XXII. praedecessorum suorum constitutiones instauravit.

IX. Synodus Tridentina legem vetitae pluralitatis in curatis, et residentialibus firmavit: in aliis sine caussa, et residentia tenuibus indulsit duo vix beneficia singulis retinere.

(1) Rigantius *loc. cit. num.* 17., Piton. *discept.* 28. *num.* 8.
(2) Ex Rota in Seguntina Archidiaconatus coram Aldrovando 4. Feb. 1729. Rigant. *loc. cit. num.* 33.

X. Incompatibilia sunt duo beneficia cum residentia, vel cura, nisi unum ab altero pendeat, vel sit alteri adnexum.
XI. Simul et uniformia sub eodem tecto.
XII. Quum liberae collationis, tum iuris patronatus beneficia incompatibilia tenuis etiam redditus eadem lege obstringuntur.
XIII. Simplicia duo exigua probe retinentur, tria nequaquam sine dispensatione pontificia.
XIV. Quaenam fructuum quantitas congruae substentationi sufficiat, arbitrio boni viri definienda est.
XV. Iurispatronatus beneficia simplicia lex pluritatis non afficere putatur.
XVI. Nec etiam pensiones, nec legata pia, et laicales capellanias.
XVII. Utraque lex incompatibilitatis, et pluralitatis non collationem secundi incompatibilis, vel tertii simplicis prohibet, sed solam utriusque, vel trium retentionem.
XVIII. Incompatibile primum nonnisi post pacificam secundi possessionem vacat.
XIX. Post Tridentinum adepto secundum incompatibile non licet optare primum ipso iure vacans.
XX. At ei permittitur primum retinere ad duos usque menses: illudque interea impetrans nonnisi post bimestre pacificae possessionis reapse adquiret.
XXI. Apostolica Sedes dum confert primum ipso iure vacans, iubet ei, qui secundum incompatibile inferioris ordinis obtinuerit, ut illud intra duos menses de facto dimittat, vel decernit ipso facto vacare illud ipsum per assecutionem Cathedralis, vel Abbatialis Ecclesiae.
XXII. Retentionem incompatibilium Papa solum ex caussa indulget.
XXXIII. Incompatibilis collatio pontificia retentionem indulgere non praesumitur, nisi eam exprimat.
XXIV. Indultum retinendi subreptione, vel obreptione evanescit.
XXV. Simul et dissensu patronorum in beneficiis de iurepatronatus.

1. Plures ab uno simul Ecclesias detineri, sacris canonibus est assidue vetitum. Audivimus ex ipsa Christi Domini voce, quod *nemo potest duobus dominis servire* (1). *Unusquisque, in quo vocatus est, fratres*, ait Apostolus, *in hoc permaneat apud Deum* (2) *in hoc debet manere, et in una locari Ecclesia*, explicans inquit Synodus VII. (3). *Singula ecclesiastici iuris officia singulis quibusque personis singulatim committi iubemus*, *ait* S. Gregorius M. *Sicut enim in uno corpore multa membra non eumdem*

(1) Matth. *cap.* 6. vers. 24.
(2) I. ad Corinth. *cap.* 7. *vers.* 24.
(3) Synodus VII. in can. *clericis ab instanti* 1. *C.* 21. *qu.* 1.

actum habent: ita in Ecclesiae corpore secundum veridicam Pauli sententiam in uno, eodemque spiritu alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud. Neque uni quantumlibet exercitatae personae uno tempore duarum rerum officia committenda sunt: quia si totum corpus est oculus, ubi auditus? . . . Sicut indecorum est, ut in corpore humano alterum membrum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium, simulque turpissimum, si singula rerum ministeria personis totidem non fuerint distributa (1). Quandoquidem Ius naturale non patitur, quod unus duabus Ecclesiis praesens inserviat, qui duobus in locis nequit naturaliter uno, eodemque tempore esse, quodque unus, qui unum vix officium valeat in una Ecclesia implere, plurimorum sibi vindicet stipendia, quae multis litteratis viris vitae puritate, ac testimonio bonae famae praestantibus, qui mendicant, possunt abunde sufficere: dum ei uni paratur vagandi occasio, divinus cultus, et ministrorum numerus minuitur, hospitalitas in ipsis beneficiis debita non servatur, aliaque mala exinde obvenire fassus est Ioannes XXII. (2). Iure hinc merito, ne clericus unus, eodem tempore inter ministros in matricula duarum Ecclesiarum conscriberetur, canones sanxerunt quum novae, tum veteris disciplinae, praesertim in Concilio Nicaeno, Antiocheno, Calcedonense, et septima Synodo (3).

II. Vix poterat ob inopiam hominum idoneorum indulgeri olim, quod Sacerdos unus duabus Ecclesiis inserviret iis in villis, aut locis extra civitatem, quarum singula singulos habere presbyteros nequibant (4). Tunc autem una uni Ecclesia in *titulum*, altera in *commendam* concedebatur (5), aut ob Ecclesiarum evidentem paupertatem, vel desolationem, aliamve necessitatem per viam *unionis* plurium Ecclesiarum cura uni mandabatur (6).

III. Fraudibus tamen viam latiorem aperuit subsequuta lex unionum, et commendarum, ex qua sensim invaluit abusus extendendi priscam illam indulgentiam extra casus Iure permissos ad privatam personarum utilitatem sine aliqua Ecclesiae necessitate, vel utilitate: scilicet uni presbytero plurium Ecclesiarum quoque parochialium regimen concedendi cum facultate inserviendi per substitutos antiquis Patribus penitus incognitos. Saeculo XI. Synodus Placentina legi eiusmodi adhaerens affirmavit Episcopi dispositione unum posse diversis praeesse Ecclesiis (7).

IV. Quum vero quod una via prohibetur alicui, ad id per aliam admitti non debeat (8): tantum studuit malum corrigere, ac reformare Alexander III. in Concilio Lateranensi III. Iussit enim, ut Episcopi omnimodis emendarent intolerandam eorum ambitionem, *qui non duas, vel tres, sed*

(1) S. Greg. M., seu rectius Io. diaconus in vita S. Greg. *can. singula* 1. *dist.* 89.

(2) Ioann. XXII. in extravag. *execrabilis de praebendis* in communibus. Ioann. a Lignano librum *de pluritate beneficiorum* circa ann. 1365. mandante Urbano V. edidit.

(3) Conc. Nicaen. *can.* 15., Antioch. *can.* 3., Chalcedon. *can.* 10., septima Synod. *can.* 15. apud Gratianum in *cap.* 1., *et seq. C.* 21. *qu.* 1.

(4) *Ex cit. can.* 1.

(5) Ex supradictis *cap. XI. num.* 2.

(6) Ex supradictis *cap.* 1. *num.* 3., *et* 31.

(7) Urban. II. in Syn. Placentina *can. sanctorum* 2. §. *omnino dist.* 90.

(8) Bonif. VIII, in *cap. cum quid* 84. *de Reg. Iur. in VI.*

plures Ecclesias haberent, quum nec duas possent debitam provisionem impendere (1). Simul inhibuit districtius, ne quis dignitates diversas ecclesiasticas, et plures Ecclesias parochiales contra sacrorum canonum instituta deinceps acciperet. Additque, ut quaelibet Ecclesia, et ecclesiasticum ministerium ei committatur tali personae, quae residere in loco, et curam eius per seipsum valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit: et qui receperit, quod contra sacros canones accepit, amittat, et qui dederit, largiendi potestate privetur (2). Idem inde Pontifex rescripsit, ut presbyter duas habens Ecclesias, quam vellet, unam sibi retineret, alteram omnino dimitteret (3): Burdelagensi etiam Archiepiscopo rescripsit, ut presbyterum G. in Burdelagensi, ac Tolosana Ecclesia Archidiaconum constitutum altero, quem is maluisset, archidiaconalu faceret esse contentum (4). Mox conquestus est eiusmodi abusum in Galliis non posse prae multitudine delinquentium emendari, dum Genuensi Episcopo exprobavit, quod in sua ipse Ecclesia attentaret eam improbam Galliae consuetudinem inducere (5). Talem igitur corruptelam quamvis Ecclesia diu toleraverit, attamen probare nunquam potuit: quum multa per patientiam tolerentur, quae si deducta fuerint in iudicium, exigente iustitia non debeant tolerari (6).

V. In eodem Concilio Lateranensi III. constituit Alexander III. beneficia omnia eius, qui in Episcopum eligitur, eo ipso vacare post consecrationem, adeptamque episcopatus possessionem: et quandoque ante consecrationem, si electus tres menses neglexerit sese consecrari (7). Translati etiam Episcopi de una ad aliam Ecclesiam, et beneficia, et pensiones omnes continue vacare Benedictus XII. edixit (8). Insuper omnium quorumlibet, qui ad concistoriales Ecclesias, vel abbatias promoventur ab Apostolica Sede, apud eamdem perinde, ac promotorum ad Cathedrales Ecclesias beneficia cuncta, et pensiones ecclesiasticas ipso facto vacare ex *decreto*, quod iam consuevit in singulis eiusmodi promotionibus, ac translationibus adponi *de vacatione apud Sedem beneficiorum*, *et pensionum eo ipso*, iam exposui superius (9). Quum titulares vero Episcopi in partibus infidelium nequeant possessionem adipisci Ecclesiarum eiusmodi titularium: consequitur eos hac lege non obstringi, eorumque beneficia non vacare ob suam eiusmodi promotionem, nullaque dispensatione indigere pro eis retinendis (10), qua opus omnino habent Episcopi, Praelati, Abbatesque omnes possessionem Ecclesiarum adepturi.

VI. Concilium Lateranense IV. sub Innoc. III. sanxit primo, *ut quicumque receperit aliquod beneficium* curam *habens* animarum *adnexam*, *si*

(1) Alexand. III. in Conc. Lateran. III. *cap. quia in tantum* 5. *de praebendis.*
(2) Ibidem *in cap. quia nonnulli* 2. *de cler. non resident.*
(3) Idem in *cap. referente* 7. *de praeb.*
(4) Idem in *cap. praeterea* 14., *eod. tit. I.*
(5) Id liquet ex integra Alexandri III. epistola ad Genuensem Episcopum penes Ant. Augustinum., et Emm. Gonzalez cuius mutilum fragmentum extat in *cap. cum non ignores* 15. *de praeb.*
(6) Innoc. III. in *cap. cum iamdudum.* 18. *eod. tit.*
(7) Alex. III. in *cap. cum in cunctis* 7. §. *cum vero de elect.*
(8) Bened. XII. in extravag. *ad regimen* 13. *de praeb.*
(9) *Cap.* 5. *de reservat.*, *et affec. num.* 56., *et* 57.
(10) Card. de Luca *disc.* 118. *de beneficiis num.* 5.

prius alterum tale beneficium habebat, eo sit ipso iure *privatus: et si forte illud* retinere *contenderit, etiam alio* spolietur. *Praeterea, ut in* eadem *Ecclesia nullus plures* dignitates, *aut* personatus *habere praesumat, etiamsi curam non habeant animarum* (1). Tum Innocentius idem rescripsit, ut Praepositus quidam in eadem Ecclesia priorem sicut canonibus praebendam retinens cogeretur, appellatione remota, eam sine difficultate resignare, quam clericus,uti vacantem ab ipso Pontifice iam impetraverat (2).

VII. Bonifacius VIII. *consuetudinem,* ait, *quam in vestra Ecclesia servatam asseritis tanto tempore, quod in contrarium memoria non existit: videlicet, quod ipsius Ecclesiae canonici* duos personatus, *aut dignitates, vel praeposituras, seu administrationes, aut duo officia, vel eorum alterum cum reliquo insimul et praebendam possint in ea licite absque dispensatione Sedis Apostolicae obtinere: corruptelam (quum sacris sit inimica canonibus, et de ambitionis radice processerit) merito reputantes, eam auctoritate apostolica reprobamus: vosque ad ipsius observantiam, etiamsi iuramento firmato extiterit, quum iuramentum iniquitatis vinculum non existat, decernimus non teneri statuentes, ut quum unum officium vix digne aliquis valeat adimplere, nulli liceat de cetero, nisi* unicum personatum, *vel* dignitatem, *aut* praeposituram, *sive* administrationem, *vel* officium perpetuum, *quocumque nomine censeantur,* cum praebenda *insimul absque dispensatione dictae Sedis in* eadem Ecclesia *obtinere, vel iam obtenta tenere: Quod si a quoquam secus praesumptum fuerit, irritum sit omnino* (3). Idemque insuper prohibuit, *ne aliqui monachi, vel religiosi alii pluribus prioratibus, vel Ecclesiis curam habentibus animarum, etiamsi eadem cura non per ipsos, sed per presbyteros ad eorum praesentationem per Episcopos institutos habeat exerceri, absque Sedis Apostolicae auctoritate praeesse praesumant, nisi forte unus ex eis ab alio dependeat, vel ad invicem sint adnexi* (4). In eosque simul easdem vacationis, et incapacitatis sanxit: *Gratia vero,* inquit, *quam super beneficio a Sede Apostolica te impetrasse proponis, vitiosa reputari non debet, quamvis de alio beneficio ab Episcopo tuo antea tibi absenti, et ignoranti collato nullam (cum tempore impetrationis nescires) feceris mentionem. Utrumque tamen, si talia sint beneficia, quae simul nequeant de iure teneri, habere non potes: sed eligas, quod ex eis malueris retinere* (5).

VIII. Ioannes XXII. plura enumerans mala, quae obveniunt ex pluralitate beneficiorum, statuit, ut absque mora unusquisque in manibus Ordinariorum intra mensem dimittat alterutrum ex obtentis beneficium ipso iure vacans: alioquin ex tunc sit ambobus etiam ipso facto privatus, atque inhabilis fiat ad Ordines, et beneficia deinceps obtinendum. *Nos itaque,* ait, *tot malis, tantisque discriminibus occurrere cupientes, omnes, et singulas* dispensationes *super* receptione, *aut* retentione *plurium* dignitatum, personatuum, *aut* beneficiorum, *quibus* cura *animarum sit adnexa, a nobis, vel praedecessoribus nostris cuicumque personae concessus* (Cardinalibus

(1) Conc. Lateranen. IV. in *cap. de multa providentia* 28. *de praebend.*
(2) Inn. III. in *cap. litteras* 9. *de concess. praebendae.*
(3) Bonif. VIII. in *cap.* 1. *de consuet. in VI.*
(4) Idem in *cap. cum singula* 32. *de praebendis in VI.*
(5) Bonif. VIII. in *cap. gratia* 7. *de rescriptis in VI.*

tantum exceptis) *duximus moderandas. Statuimus itaque, quod obtinentes nunc ex* dispensatione *legitima pluralitatem huiusmodi dignitatum, personatuum, officiorum, aut prioratuum, seu beneficiorum, quae alias absque dispensatione obtinere nequibant,* unum *tantum ex dignitatibus, personatibus, officiis, prioratibus, Ecclesiis, vel beneficiis huiusmodi, quibus cura imminet animarum, cum dignitate, personatu, vel officio, prioratu, Ecclesia, vel beneficio sine cura, quae habere maluerit, praetextu dispensationis sufficientis circa id eisdem indultae possint licite retinere: quoe tamen teneantur* eligere *intra* mensem: *ceteris* beneficiis *cum cura, vel sine cura, quae de iure absque dispensatione licite retinere non poterant, quae nos ex tunc vacare decernimus, coram Ordinario intra idem tempus cum effectu dimissis . . . alioquin tam his, quam omnibus aliis beneficiis sint* ipso iure privati, *et prorsus* inhabiles *ad similia beneficia obtinenda . . . Qui vero deinceps receperint* dignitatem, *vel* personatum, *seu* officium, *aut aliud* beneficium *animarum* curam *habens adnexam, si antea simile beneficium obtinebant, illud (quo ipso iure postquam secundi possessionem habuerint, vel per eos omni dolo, et fraude cessantibus quominus habeant steterit, privati noscuntur) absque morae dispendio in Ordinariorum manibus* dimittere *debeant pari modo, alioquin ex tunc sint* ipso iure *secundo privati, et nedum ad sacros suscipiendos Ordines, quin etiam ad habendum quodcumque beneficium ecclesiasticum inhabiles reputentur* (1).

IX. Tandem Synodus Tridentina pluralitatem beneficiorum cum cura animarum, aut alias incompatibilium speciatim inhibuit, et priscam Ecclesiae disciplinam ad normam iam dictae constitutionis Innocentii III. reduxit. In primis porro decrevit: *ut nemo quacumque etiam dignitate, gradu, aut praeeminentia praefulgens plures Metropolitanas, seu Cathedrales Ecclesias in titulum sive commendam, aut alio quovis nomine contra sacrorum cononum instituta recipere, et simul* retinere *praesumat* (2). *Et quicumque de cetero* plura curata, *aut alias* incompatibilia *beneficia ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendae perpetuae, aut alio quocumque nomine, et titulo, contra formam sacrorum canonum, et praesertim constitutionis Innoc. III., quae incipit* de multa, *recipere, ac simul retinere praesumpserit, beneficiis ipsis iuxta ipsius constitutionis dispositionem* ipso iure *etiom praesentis canonis vigore* privatus *existat* (3). Dein generatim quamlibet pluralitatem abolendi studio in simplicibus quoque beneficiis constituit, *ut in posterum unum tontum beneficium ecclesiasticum* singulis conferatur. *Quod quidem si ad* vitam *eius, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus* aliud simplex *sufficiens, dummodo utrumque* personalem residentiam *non requirat, eidem conferri. Hoecque non modo ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam ad alia omnia* beneficia *tam* saecularia, *quam* regularia *quaecumque, etiam* commendata *pertineant, cuiuscumque tituli, ac qualitatis existant* (4).

X. Ex recitatis Ecclesiae legibus statuenda differentia est inter *incom-*

(1) Ioann. XXII. in extravag. *execrabilis un. de praebendis* in communibus, *et extravag. ut quos de officio Ordin.*
(2) Trid. in *cap. nemo* 2., *et cap. inferiora* 3. *sess.* 7. *de ref.*
(3) Idem in *cap. quicumque* 4. *ead. sess.* 7.
(4) Idem in *cap. cum ecclesiasticus* 17. *sess.* 24. *de ref.*

patibilitatem, et *pluralitatem*. Plane *incompatibilia* sunt duo beneficia, quae residentiam exigunt praecisam, et necessariam ratione vel spiritualis curae animarum, vel servitii Choro, et Ecclesiae: cuiusmodi sunt episcopalea, et quasi episcopales Ecclesiae, parochiae, dignitates, personatus, et canonicatus Cathedralium, et Collegiatarum: insuper abbatiae, ac prioratus monasteriorum. Nam eae ipsae leges nunc usu vigentes nullo pacto patiuntur, ut promoti ad Cathedrales, aut abbatiales Ecclesias alia beneficia vel simplicia, nec pensiones retineant sine apostolica dispensatione: eoque minus, ut duas unus vel Cathedrales, aut abbatiales, aut parochiales Ecclesias, vel dignitates praebendasve canonicas, vel Parochiam cum dignitate, aut canonicatu simul retineat sine Apostolicae Sedis dispensatione. Nisi forte *una* ex iisdem Ecclesiis, vel dignitatibus curatis *ab alia dependeat*, vel *invicem sint adnexae*, inquam, excipiens cum Bonifacio VIII. (1). Hinc S. Congregatio Concilii declaravit dignitatem cum adnexe canonicatu, quae nullos vel tenues habeat fructus, posse (2), ubi adsit consuetudo, retineri, nec Tridentinam eo casu legem obstare (3). Beneficia etiam curata aliis beneficiis adnexa censuit in simplicium naturam transire, dummodo cura illorum per Vicarium ab Ordinario deputatum exerceatur (4).

XI. Ex iis autem, quae nec residentiam praecisam, neque adnexam habent curam animarum, *duo* beneficia, vel officia *uniformia sub eodem tecto* intra eamdem Ecclesiam sub uno, eodemque titulo, seu nomine fundata, et erecta ad eumdem finem, idemque ministerium, sunt etiam incompatibilia (5). Videtur enim rerum natura non pati, ut unus in eodem loco simul habeat duorum ministeria, et stipendia ordinario canonum iure, cui potest Summi Pontificis tantum dispensatio deregare (6).

XII. Locum habet incompatibilitas in beneficiis nedum liberae collationis, sed iuris etiam patronatus (7). Praeterquam quod fundator potest incompatibilitatem inducere in beneficiis quoque iurispatronatus, ubi residentiam praecisam, et continuam, et servitium personale beneficiario imposuerit, etiam si residentiae onus rigore iuris non adesset in beneficiis

(1) Bonif. VIII. in *cap. cum singula* 32. *de praeb. in VI.*
(2) Glos. in eodem *cap. cum singula* 32. verbo *adnexi.*
(3) Gallemart in declarat. ad *cit. Trid. cap.* 12. *sess.* 24. *de reform. n.* 1.
(4) Gallemart *ibidem num.* 3.
(5) Gallemart *loc. cit. num.* 3. *Plura beneficia*, inquit, *non possunt obtineri, licet simplicia sint, sine dispensatione Papae: intellige sub eodem tecto, ac requirentia* residentiam. Idemque *num.* 5.: *distributiones quotidianae*, ait, *cuiuslibet capellaniae arguunt residentiam in choro, ideo huiusmodi capellania incompatibilis est cum aliis beneficiis residentiam requirentibus.* Idemque *num.* 1. inquit: *Capellania, cui adiunctum est onus deserviendi in choro, obtineri non potest cum canonicatu per hoc decretum* Trid., *etiamsi haberet tantum onus celebrandi Missam: cum enim est sub eodem tecto, opus est dispensatione.*
(6) Fagnan. in *cap. litteras* 9. *de concess. praeb. num.* 13, 39., *et seq. et* 64.
(7) Apud Gallemart *loc. cit. num.* 2. *verb. singulis conferantur.* S. Congregatio die 2. Febr. 1588., respondit eamdem incompatibilitatis legem Tridentinam fore in beneficiis iurispatronatus observandam, in quibus *non collatio*, sed institutio fit.

simplicibus, et sine cura (1). Capellania igitur, cui adiunctum sit onus choro inserviendi, detineri non potest cum canonicatu, etiamsi eo solum celebrandae Missae onus habeat (2). Nulla etiam tenuitas, et inopia fructuum valet incompatibilitatem excludere in tribus iam expositis beneficiorum generibus cum cura, et residentia, ac uniformium sub eodem tecto (3).

XIII. Sed aliter se habet mera *pluralitas* beneficiorum simplicium sine cura, et sine residentia, ac difformium sub eodem tecto. Nam ex Tridentinae legis aequitate usu probatissima quum Episcopi, locorumque Ordinarii collatores potestatem habeant unum, et alterum dumtaxat beneficium uni cuilibet conferendi, quoties primum non sufficiat ad congruam vitae substentationem, et alterutrum sit simplex: fit exinde, ut habenti cuique dignitatem unam, vel canonicatum, vel curam animarum liceat ab Ordinario, aliove collatore accipere, ac sine apostolica dispensatione retinere, alterum quantumvis pingue beneficium simplex, et versa vice possidens primum simplex beneficium tenuis redditus nulla etiam dispensatione indigeat ad secundum cum adnexa cura, vel residentia adipiscendum pariter, ac retinendum (4). Tertium vero beneficium licet nemini sine pontificia dispensatione retinere. Tametsi amborum fructus insimul coacervari congruae substentationi pares non sunt (5). Eodemque iure nullus prohibetur difformia duo sub eodem tecto exigua, et simplicia auctoritate ordinaria obtinere (6): tria nequaquam. In pontificiis autem litteris collationum stylus invaluit semper indulgendi retentionem trium exiguorum beneficiorum quibuslibet: etiam non petentibus dispensationem apostolicam (7), ea adiecta clausula: *qui duo, vel tria simplicia, et personalem residentiam non requirentia beneficia, quorum insimul fructus valorem ducatorum .... de Camera non excedunt, forsan obtinet.*

XIV. Quantitatem reddituum, quae ad beneficiarios clericos decenter substentandos sufficiat, quum Tridentini Patres non taxaverint eam cuiusque boni viri arbitrio definiendam videntur pro variis personarum indigentiis, et qualitatibus reliquisse (8). Factum hinc est, ut quisque sibi

(1) Rota coram Bichio *dec.* 313. *num.* 2.; Garzia *de benefic. par.* II. *cap.* 5. *num.* 230., Card. de Luc. *de benefic. disc.* 119., *num.* 4., Piton. *discept. eccl.* 142. *num.* 2.

(2) Gallemart *loc. cit. num.* 1.

(3) Id colligitur ex Tridentini decreti limitatione, quod indulget habentibus primum tenue beneficium obtinere *aliud simplex sufficiens*, dummodo *utrumque personalem residentiam non requirat.*

(4) Gallemart. *ibidem num.* 3.

(5) Garzia *cit. cap.* 5. *num.* 310. M. A. Genuens. in *prax. arch. Cur. Neap. cap.* 64. *num.* 3.

(6) Gallemart in *remission. ad cit. cap.* 17. *Trid. lit.* E. Fagnanus *loc. cit. num.* 47. Garzia *cit. par.* 11. *cap.* 5. *num.* 246. fert a S. Congr: probari consuetudinem, quae uni in eadem Ecclesia indulgeat simul retinere dignitatem cum canonicatu, et duo quaelibet beneficia difformia. Quidquid aliter senserit Hoieda *de incompatibilitate*, cuius opinionem adversam refellit Card. de Luca *de benefic. disc.* 17. *num.* 6., cum Parisio Gonzalez, Rota, et aliis.

(7) Hoieda *par.* 2. *cap.* 1. *num.* 3., *et seq.*, aliique apud Gallemart *in remission. loc. cit. lit.* V.

(8) Hier. Gonzalez ad Reg. VIII. *Canc. gl.* 15. *num.* 39. Prosp. de Augu-

nimis indulgeat, et ex uno simplici beneficio sive multos, sive tenues redditus percipiens arbitretur sibi licitum sine pontificia dispensatione aliud simplex retinere. Et nemini umquam in foro moveri quaestionem super eiusmodi retentione duorum beneficiorum simplicium, etiamsi alterutrum sufficientes evidenter fructus praebeat, ex consuetudine, quam putat legi Tridentinae iam derogasse, animadvertit Wanespenius (1). Addit Gallemartius, quod habens canonicatum, et duo simplicia beneficia ecclesiastica, quorum omnium annui redditus secundum communem aestimationem non excedunt scuta 125., non prohibetur a Concilio, quin ea omnia retinere possit (2). M. Ant. Genuensis arbitratur Canonicum Neapolitanum posse beneficium sine dispensatione obtinere, cuius annui fructus ascendant ad quincentos ducatos: nullamque habendam de patrimonio ipsius rationem esse, quod in alios a sustentatione sua diversos usus erogare fas est (3).

XV. Beneficia iurispatronatus simplicia ex universali observantia non afficit lex Tridentina pluralitatis. Quum enim Tridentinum *conferri* singulis singula beneficia demandasset, non ideo prohibuit clericos a compatronis praesentatos in secundo, tertio, pluribusque aliis beneficiis patronatui subiectis *institui* (4). Caesar Lambertinus Episcopus Insulanus scribit institutum seso fuisse in triginta septem beneficiis, quorum maxima pars erat iurispatronatus laicorum, et clericorum, eorumque fructus ducatos 130. de camera non excedebant, et ea sine dispensatione retinuisse (5).

XVI. Nec pensiones ecclesiasticas, nec legata pia, et capellanias laicales afficit lex pluralitatis, et incompatibilitatis ex decretis S. Congregationis (6). Sunt qui pensionem sub eodem tecto incompatibilem cum beneficio putarunt (7), et antiquus Datariae stylus ad exprimendas pensiones in apostolicis beneficiariorum litteris, perinde ac beneficia cogere impetrantes iamdudum consueverat, adiecta pro palatinis clausula *etiam sub eodem tecto*, et pro exponentibus in supplicatione pensionem, *non tamen in eadem Ecclesia consistentem* (8). Sed contraria tandem ita praevaluit sententia, ut sub Innocentio X. deleta sit, atque in desuetudinem abierit huiusmodi clausula (9).

stino in *addit.* ad St. Quaranta *in sum. Bullarii* verb. *beneficiorum resignationes caus.* 8., Navarra *miscell.* 62. *de oratione*, et ceteri.

(1) Wan-Espen *par.* 2. *tit.* 20. *cap.* 3. *num.* 18. *et* 19.

(2) Gallemart in *cit. declarat. num.* 7. §. *habens.*

(3) Genuensis in *prax. Cur. archiep. Neap. cap.* 65. *num.* 3, edit. Rom. ann. 1609.

(4) Vivianus in *prax. iurispatr. part.* 2. *lib.* 6. *cap.* 10. *num.* 20., *et* 27.

(5) Lambertinus *de iurepatr. par.* 1. *lib.* 2. *qu.* 7. *art.* 15. *num.* 15.

(6) Apud Gallemart. *in remission. ad cit. cap.* 17. *Trid. sess.* 24. *de ref. lit.* B., et Y. Hinc Lotterius *de re benefic. lib.* 1. *qu.* 45, et Clericatus *de pensionibus discur.* 15. commonent non esse pensiones in beneficiorum impetrationibus exprimendas.

(7) Rebuffus, Hoieda, Garzia, Corradus, Fagnanus apud Rigant. *to.* 1. *in Reg. I. Can.* §. 8. *num.* 117., *et seq.*

(8) Corrad. *in prax. benefic. lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 54.

(9) Ex traditis a Rigantio *loc. cit. num.* 111., et seq.

XVII. Incompatibilitas beneficiorum non collationem, seu impetrationem, neque institutionem canonicam impedit: sed solam duorum, vel plurium retentionem submovet (1). Nullo siquidem iure prohibentur Ordinarii locorum cuivis alterum beneficium incompatibile, aut tertium simplex arbitratu suo conferre, immo iuris necessitate adiguntur in beneficiis iurispatronatus eos instituere a patronis praesentatos, qui alterum incompatibile, aut duo simplicia reapse habeant.

XVIII. Unam *praebendam* per assequutionem alterius *praebendae* in *eadem* Ecclesia *ipso iure*, non autem *de facto* vacare. Innocentius III. rescripsit dubitanti, an quum aliquis de una praebenda eligitur ad aliam, prior vacare statim incipiat, an per sententiam debeat ea spoliari (2). Gregorius X. collationem personatus, dignitatis, vel beneficii cum cura factam sine dispensatione apostolica ei, qui alterum possideret beneficium incompatibile, illudque sponte non resignaret, nullius penitus esse momenti sanxit in Concilio Lugdunensi (3). Eiusmodi autem vacatio iuris non incurritur, nisi post pacificam secundi beneficii possessionem, vel nisi per beneficiarium steterit, omni dolo, ac simulatione litis cessante, quominus pacifice possideat (4). Hac etiam ratione titulares Episcopi sua, ut dixi, non amittunt beneficia, quum per eos non stet, quominus ad suas in partibus infidelibus Ecclesias accedant.

XIX. Ioannes XXII. (5) privat utroque illum, qui adepta possessione secundi incompatibilis curati non dimiserit primum. Firmum optandi arbitrium ei, qui dignitatem, et beneficium curatum obtinuerit, relictum eadem constitutione Fagnanus affirmat (6). Illud vero ipsum ademit Synodus Tridentina, dum sanxit primum ipso iure vacare per assecutionem secundi incompatibilis cuiuslibet sive curati, sive non, sive dignitatis, sive canonicatus: dein utrumque per contumacem utriusque retentionem (7).

XX. Itaque secundum beneficium incompatibile quivis assequi nullo iure impeditur, illudque obtinenti permissa etiam est retentio ad duos usque menses a die adeptae pacificae possessionis computandos (8). Nam si vacatio de facto alterius incompatibilis beneficii non inducitur ex antedictis constitutionibus, nisi post adeptam secundi pacificam possessionem: pacifica nonnisi post aliquod temporis intervallum iudicatur. Nam obvenientibus interea molestiis iudiciariis, possessor non cogitur primum post

(1) Rota *par.* 3. *rec. dec.* 721. *num.* 2, *par.* 4. *dec.* 337. *num.* 9. *to.* 2. *par.* 16. *dec.* 116. *num.* 11, apud Merlinum *dec.* 6. *num.* 10. Cassador. *de caus. possess. dec.* 9.

(2) Innoc. III. in *cap. litteras* 9. *de concess. praeb.*

(3) Greg. X. in *cap. Ordinarii* 3. *de offic. Ord. in VI.*

(4) Clem. *fin. de praebendis*, Extravag. *execrabilis*, et extr. *quos eod tit.*

(5) Ioann. XXII. in extravag. *execrabilis de praeb.* §. *qui vero deinceps.*

(6) Fagnan. in *cap. referente* 7. *de praeb. num.* 7., *et* 8.

(7) Trid. *cap.* 4. *sess.* 7., *et cap.* 17. *sess.* 24. *de ref.* Id quod explicat Fagnan. *loc. cit.* In Gallia vero beneficium ipso iure non vacare per assecutionem secundi incompatibilis, sed dari optionem eligendi alterutrum inter annum, et diem, observant Wan-Espen. *par.* 2. *tit.* 20. *cap.* 4. *num.* 11., *et* 15., et Franc. le Roy *cap.* 16.

(8) Rota apud Merlinum *dec.* 9. *n.* 19., et Cassador. *dec.* 9. *de causs. posses.*

lapsum quoque duorum mensium dimittere, sed utrumque retinebit, donec fuerit lis extincta (1): Rigantius multis ostendit concessum ideo spatium duorum mensium ad primum incompatibile dimittendum, ut possit interea quispiam experiri, an molestiae superveniant: ne istis inopinato obvenientibus post primum dimissum incidat in utriusque iacturam (2). Datariae autem stylo ante duorum mensium lapsum impetratio primi beneficii tamquam ipso iure vacantis per assecutionem secundi indulgetur eo pacto, ut apostolicae litterae executioni demandentur post lapsum pacificae possessionis bimestre, vel post extinctam super secundo beneficio litem: ne utriusque beneficii iacturam incurrat sine culpa sua provisus (3).

XXI. Ad vitandas vero ambiguitates in praxi duplex Datariae decretum discerni debet in litteris pontificiis. Alterum profecto adponitur de dimittendo primo beneficio intra duos menses, ubi inferiora sint beneficia. Alterum in provisionibus Cathedralium, et Abbatialium Ecclesiarum, aliorumque arbitrio Papae beneficiorum exprimit, ut primum eo ipso vacet, eodemque momento alteri conferatur (4). Secundum hocce decretum consonat cum canone Lateranensi sub Alexandro III. (5), quod beneficia electi, et promoti ad episcopatum definivit eo ipso vacare, utque vacantia conferri posse. Fagnanus inde monet, quod executor litterarum apostolicarum immittere in possessionem secundi incompatibilis eum non debeat, qui primum antea non dimiserit (6).

XXII. Super retentione plurium beneficiorum tam simplicium, quam incompatibilium Papa tantum dispensat (7), cui solum; praeterea nemini, facultas est derogandi sacris Ecclesiae canonibus. Verum, ubi non subsit caussa rationabilis, non excusatur clericus plura obtinens beneficia in foro poli ex dispensatione Papae: sed tutus vix est in foro externo militantis Ecclesiae, iuxta communem sententiam relatam a Panormitano (8). Quandoquidem Apostolus nonnisi eis, *qui bene praesunt presbyteri, et qui maxime laborant in verbo, et doctrina, duplici honore* (seu sportula, aut stipendio) dignos pronunciat (9). Concilium inde Lateranense IV. censuit *circa sublimes, et litteratas personas, quae maioribus sunt beneficiis honorandae, cum ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam posse dispensari* (10).

XXIII. Quoniam vero collatio, et provisio alicui de secundo beneficio, quam Sedes quoque Apostolica faciat conscia, quod aliud is beneficium habeat incompatibile, fere non continet dispensationem utriusque retinendi, nisi eam expresserit (11): ad vitandas fraudes iuremerito Gregorius X

(1) Piton. *discept.* 134. *to.* 4.
(2) Rigant. *in Reg. I. Canc.* §. 8. *n.* 115.
(3) Rot. coram Merlin. *dec.* 713., Ant. M. de Nigris *lib.* 1. *de vacat. benef. n.* 6.
(4) De Nigris *loc. cit. n.* 19., *et seq.*
(5) Conc. Lateran. III. in *cap. cum in cunctis* 7. §. *cum vero de elect.*
(6) Fagnan. in *cap. litteras* 9. *de concess. praeb. n.* 20., *et seq.*
(7) Ridolf. in *prax. benef. par.* 2. *tit. de dispensat. ad plura beneficia n.* 2.
(8) Panormitan. in *cap. dudum de elect.*, *et cap. quum adeo de rescript. et* Fagnan. *ad cap. nimis de filiis presbyt. n.* 8.
(9) Apostol. 1. ad Timoth. *cap.* 6. *vers.* 17., *et* 18.
(10) Conc. Lateranen. in *cap. de multa* 28. *de praeb.*
(11) *Cap. non potest* 21 *de praebendis in VI.*

statuit: *Ordinariis locorum dispensationes eiusmodi exhibere compellantur dispensati infra tempus arbitrio Ordinariorum congruum examinandas: quas si non ostenderint, procedatur perinde, ac si nullas haberent; si autem sufficientes ostenderint, amplius non molestentur; quod si de sufficientia dubitetur, super hoc ad Sedem Apostolicam recurratur* (1). Hanc constitutionem innovavit Tridentinum (2).

XXIV. Ut valeat hinc dispensatio pontificia prodesse, procul ab ea omnino sit subreptio, et obreptio. Nequit enim dispensatio super pluralitate beneficiorum ei suffragari, qui aliquod quamvis modicum beneficium subticuit in ea impetranda, ut Bonifacius VIII. declaravit (3).

XXV. Si agatur de beneficiis patronatus laicorum dubitatur, novus ne consensus patronorum requiratur ad dispensationem super iis retinendis? Rigantius monet decreto, quod solet Apostolica Sedes adiicere in provisionibus beneficiorum ob incompatibilitatem vacantium, ut scilicet *nemo alius praeter Pontificem de illis disponere possit*, non adimi patronis facultatem praesentandi: sed Ordinariis inhiberi institutionem, et patronos adigi ad praesentandum in Curia, et apud Sedem (4). Nam Cancellariae Regula XLII. generatim vetat expediri litteras de quovis beneficio ecclesiastico iurispatronatus laicorum, nisi patronorum accedat adsensus.

CAP. XXII.

De necessariis vacationibus.

I. Vel ab homine, *seu sententia iudicis obveniunt necessariae vacationes beneficiorum.*

II. Vel a lege *ob admissa crimina, quae privationem beneficiorum inferunt.*

III. Harum vacationum aliae de iure, *aliae* de facto, *aliae* de iure, et de facto *simul contingunt.*

IV. Unus vacationis modus pro alio narratus pontificiam collationem fere vitiat.

V. Mors naturalis vacationem de iure, et facto parit, civilis non item.

VI. Ex quinque generatim caussis multiformes vacationes ipso iure profluunt.

VII. Primum ex desertione status clericalis.

VIII. Ob matrimonium rite contractum.

(1) Gregor. X. in Conc. Lugdunensi *cap.* 3. *de officio Ordin. in VI.*
(2) Trid. *sess.* 7. *cap.* 5. *de refor.*
(3) Bonif. VIII. in *cit. cap. non potest.* Ea in quaestione variasse Rotae auditores *dec. de praebend.* in novis, refert Rigant. *to.* 1. *in Reg.* 1. *Canc.* §. 7. *n.* 178.
(4) Rigant. in *Reg.* 42. *Canc. num.* 64., *et* 65. tom. 3.

IX. Ob solemnem in aliquo Regularium Ordine professionem, excepta Societate Iesu.
X. Ob saecularem militiam.
XI. Ob investituram feudi.
XII. Quidquid aliter sit de regiis aliis ministeriis.
XIII. Ob derelictum Ecclesiae famulatum, vestemque clericalem.
XIV. Secundo, ex neglecta promotione ad sacros Ordines, vel gradus canonicatibus, et curis animarum adnexos.
XV. Tertio, ex incompatibilitate, et pluralitate.
XVI. Sub eiusdem Ecclesiae tecto clericis illegitimis nec unum licet habere beneficium, ubi eorum parentes beneficiarii fuerint.
XVII. Quarto, ex defectivis impetrationibus, vel conditionibus earum non impletis, praesertim in provisionibus Parochiarum, vel resignationibus non publicatis, vel possessione sine litteris adprehensa.
XVIII. Quinto, ex criminibus aliquot gravioribus. Ea nimirum sunt haeresis, schisma, et apostasia.
XIX. Simonia, et falsitas.
XX. Cardinalium, aut Episcoporum offensio, assassinium, caedes beneficiariorum, aut innoxii pro noxio, abortus, duellum, iniusta ecclesiasticarum rerum usurpatio, tum coactio clericorum ad beneficia dimittenda.
XXI. Nefandum crimen, et tertia blasphemia.
XXII. Ab homine privantur beneficiis clerici ob non residentiam, ministerium derelictum, Ordinesque non susceptos.
XXII. Ob homicidium, sacrilegium, Ecclesiae violationem, sortilegium.
XXIV. Ob falsatas monetas, alchimiaeque artem, ob falsitatem, mutationem nominis, usumque falsarum litterarum.
XXV. Ob adulterium, raptum, incoestum praesertim sacrilegum, concubinatum.
XXVI. Ob vitae turpitudinem, ebrietatem, larvas.
XXVII. Ob furtum, latrocinium, rapinam, usuram.
XXVIII. Ob violationem censurarum, spretumque dignitatis episcopalis.
XXIX. Ob lites pro aliis contra Ecclesiam suam susceptas.
XXX. Ob crimina depositionem promerentia.
XXXI. Nonnisi ubi Ecclesiae leges privationem sanxerunt, Episcopis licet eam decernere.
XXXII. Ipsamque iudices putantur remisisse, quoties ipsam in sententia non exprimant, nisi lex eam ipso facto sanxerit.
XXXIII. Nam ferendas ab homine privationes beneficiorum arbitrio iudicis remittit canonica aequitas.

XXXIV. *Perpetuitas beneficiorum fere excludit arbitrarias privationes.*

I. Necessariae beneficiorum vacationes vel *ab homine*, vel *a lege* promanant. Quoties poenam privationis beneficii ecclesiasticus iudex beneficiario ob crimen aliquod infligit in casibus Iure permissis, clericumque rite damnatum beneficio spoliet vigore sententiae, illina vacatio tunc dicitur *ab homine* inferri: quoniam nonnisi post pronunciatam a iudice sententiam privationis, et postquam ea transiverit in rem iudicatam, vacare illud incipit (1).

II. Vacationes *a lege* saepius contingunt, statim ac beneficiarius crimen admiserit aliquod, cui canones, Ecclesiaeque sanctiones privationem beneficii ipso iure, ipsoque facto incurrendam addixerint, antequam iudex suam in eum ferat sententiam, adeo ut valeant expiscatores illud ab Apostolica Sede extemplo impetrare. Et quamvis nova provisio beneficii, seu vacantis ob crimen eiusmodi nequeat suum sortiri effectum, nec possessionem expiscator accipere, nisi plena praecesserit probatio criminis vacationem inducentis, auditis interesse habentibus in iudicio ordinario, vel exequutore apostolico, vel Ordinario loci, et sententia inde promulgetur, quae beneficiarium declaret einsdem criminis rerum, vel convictum, vel confessum incidisse in poenam privationis beneficii ipso iure inflictam, eoque fore ipso facto spoliandum: attamen eam beneficii vacationem, et privationem non homo, seu iudex inferre tunc dicitur, sed ius ipsum. Nam factum solummodo sententia sua iudex declarat, quod privationem parit ipso iure: quum ex facto ius sponte sua oriatur sine iudicis ministerio. Secus porro est in aliis criminibus, in quibus a Iure facultatem habet iudex irrogandi poenam privationis beneficiorum. Nam si alia poena reos afficere is maluerit, atque a privatione beneficii abstinuerit: nullus post talem sententiam vacationi locus erit. Quoniam pro variis personarum meritis, et criminum qualitatibus poenam quoque depositionis, et privationis beneficiorum poterit iudicantis discretio moderari (2).

III. Vacationis autem *a lege* tripliciter contigere iam praemonui: vel scilicet *de iure* tantum, vel *de facto* tantum, vel *de iure simul, et facto* (3). Quoties possessio beneficii contra ius detineatur sine titulo iusto, puta per invalidam collationem, aut omissam publicationem resignationis, aut quamlibet transgressionem pontificiae legis vacationem eo ipso infligentis, aut post adeptionem secundi incompatibilis: beneficium *de iure* solum vacare, non *de facto* (4): quum expiscator illud valeat, ut vacans impetrare, ipsiusque iam illegitimum possessorem exinde manu iudicis repellere (5). Praeterea si habens quis titulum, et ius plene quaesitum in beneficio per canonicam collationem, vel institutionem, illud antequam possessionem

(1) Innoc. III. in *cap. proposuit* 4. *de concess. praeb.* ait: *quae post cassationem concessionis a vobis factae intelligebatur vacare.*
(2) Innoc. III. in *cap. inquisitionis* 21. *de accusat.*
(3) Videsis dicta superius *cap.* 5. *n.* 54.
(4) Innoc. III. in *cap. litteras* 9. *de concess. praeb.*
(5) Bonif. VIII. in *cap. licet Episcopus* 28. *de praeb. in VI.*

capiat, cesserit, vel amiserit ob crimen, vel reliquerit per obitum: *de iure* vacans, non *de facto* putabitur (1). E contrario, ubi vacua sit possessio beneficii derelicta per eius obitum, vel renunciationem, qui illud subreptione, vel obreptione, vitiove alio nulliter impetrasset, aut qui ab Ordinario, aliove potestatem conferendi non habente obtinuisset invalidam reservati, vel affecti collationem, vacare *de iure* solum dicimus: quia plus facti, quam iuris habet possessio (2). Eoque casu impetrator ostendere non cogitur titulum praedecessoris vel mortui, vel resignantis, sed probare sibi sufficit, quod is diu beneficium possederit cum fama tituli, scilicet pro legitimo beneficii possessore, ac beneficiario sit communiter habitus (3). Dum vero et titulus, et possessio caret beneficiario, et vacua revera haec est per cessum, vel decessum eius, qui iusto cum titulo beneficium possidebat, vacatio *de iure* simul, *et de facto* tunc datur (4) successori beneficiario magis, quam aliae simplices profutura. Qui tamen impetravit beneficium, illudque asseruerit vacare per obitum, vel renunciationem alicuius, sat ei erit pro veritate precum ostendenda probare vacationem alternatim vel de iure, vel de facto (5).

IV. Multos, et varios modos cuiusque istarum vacationum generis distinguere nunc oportet, ex quibus tacite dignoscitur, quaenam beneficiorum impetrationes vitientur, nec ne ob falsam, aut erroneam vacationis expressionem (6). Unus enim expressus modus alium non expressum fere excludit (7).

V. Per *obitum* primis beneficiariorum omni modis reapse vacent: species ista vacationis non ad civilem, sed ad naturalem spectat obitum (8). Itaque per captivitatem Episcopi apud paganos, aut schismaticos episcopalis Ecclesia non vacans nequit cuipiam in titulum conferri, sed Capitulum eam interea in spiritualibus, et temporalibus perinde administrabit, ac si Sedes per mortem vacaret, donec is libertati restitutus ad suam iure postliminii rediverit Ecclesiam: nisi aliud Sedes Apostolica, cuius interest Ecclesiarum omnium providere necessitatibus, censuerit pro ea interim administranda disponere (9). Eodemque iure in Ecclesiis omnibus vel sine cura, vel cum cura animarum captivitas Parochi, vel beneficiarii quum vacationem non inferat, facit, ut Episcopus debeat Vicarium, vel coadiutorem deputare, qui Ecclesiae onera ferat. Hac enim in re absenti ex iusta caussa captivus comparatur (10). Quemadmodum et deportati, seu ad

(1) Rota *dec.* 52. *par.* 3. *div. lib.* 2.
(2) Innoc. III. in *cap. cum nostris* 6. *de concess. praeb.*
(3) Ex sententia Lapi *alleg.* 89., quam Rota probavit coram Io. B. Coccino *dec.* 189. *n.* 2., *et dec.* 348. *par.* 3. *rec.*
(4) Ex *cit. cap. cum nostris.*
(5) Rota coram Coccino *dec.* 263. *n.* 3., et coram Ubaldo dec. 212.
(6) Ex supradictis *cap.* 22. *n.* 14., *et* 15. Innoc. III. in *cap. cum nostris* 6. *de concess. praeb.* rescripsit inanem ei fuisse collationem apostolicam vitio subreptionis, et obreptionis, qui uti devolutum ex diuturna vacatione beneficium obtinuerat, quod promotus ad episcopatum possidebat.
(7) Bonif. VIII. in *cap. susceptum* 6. *de rescript. in VI.*
(8) Idem in *cap. si Episcopus* 3, *de supplen. neglig. praelat. in VI.*
(9) Idem *ibid.*
(10) Gl. in *cit. cap. si Episcopus* verb. *libertati.*

perpetuas triremes, aut carceres damnati beneficia eo ipso non amittunt, quamvis mortui civiliter, et servi poenae: nisi per sententiam iudicis expresse illis priventur (1).

VI. Species quamplurimae vacationum *ipso iure* a quinque capitibus ortum ducunt, a desertione status clericalis, a neglecta susceptione Ordinum beneficiis adnexorum, ab incompatibilitate, ab impetratione defectiva, seu irrita collatione, vel institutione, tandem ab exceptis quibusdam criminibus.

VII. In primis ad desertionem quod attinet status clericalis, hanc teno regulam, unde plura fluunt consectaria fluunt consectaria. Quoties beneficiarii statum clericalem dereliquerint, consequens est, ut beneficia etiam clericalia pro derelictis habeant.

VIII. Hinc eo ipso die, quo matrimonium verbis de praesenti contraxerit beneficiarius clericus latini ritus, beneficia eius confestim ipso iure vacare Alexander III (2), et Innocentius III (3) rescripserunt. Cancellariae tum Regula LVIII. cautum est, ut nisi sequatur matrimonium, non vacare beneficium nec censeri specialiter reservatum, vel affectum (4). Dignitatem Cardinalitiam cum omnibus beneficiis ipso iure post contractum a Cardinale matrimonium vacare, ita ut resignandi locus non detur amplius, declaravit S. Pius V. cum D. Vinc. Card. Gonzaga, et Urbanus VIII. cum Nic. Franc. Cardinale a Lotharingia (5). Et quamvis clerici coniugati cum unicis, et virginibus clericalia privilegia fori, et canonis hoc etiam in Regno retineant (6): nullo tamen pacto possunt ad retentionem, vel adeptionem beneficiorum ex relatis canonibus extendi. Si matrimonium clerici ex aliquo impedimento canonico irritum fuerit: beneficia eius vacare non secus, quam ex matrimonio valido, tenent Doctores (7). At sponsalia de futuro nullam beneficii vacationem inducunt (8).

IX. Transeuntes ad statum regularem, solemni emissa professione,

(1) Ex infra dicendis.

(2) Alex. III. in *cap.* 1. *de cleric. coniug.* ait: «Si qui clericorum infra sub» diaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda beneficia ecclesiastica, et » retinendas uxores districtione ecclesiastica compellatis. Quum enim (idem Pon» tifex inquit in *cap. quod a te* 3. *eod. tit.*) simul voluptatibus, et carnalibus » desideriis, ac diurnis, et ecclesiasticis obsequiis vacare non valeant: eccle» siasticis procul dubio beneficiis sunt privandi.

(3) Innoc. III. in *cap. diversis* 5. *eod. tit.* rescripsit «quatenus huiusmodi cle» ricos beneficiis ecclesiasticis, quae in aliqua dioecesi sunt adepti, privet Epi» scopus, appellatione remota: nisi forte Episcopus talibus scienter contulisset ec» clesiastica beneficia, quibus tunc eos non per Episcopum ipsum, sed per Su» periorem decrevit spoliandos ». Observat Glos. in *cap.* 1. *eod. tit.* verb. *relinquenda*, quod *privatio*, *spoliatio*, *et compulsio* ista ad corpoream solummodo possessionem beneficii dimittendam spectat, quum ipso iure beneficium, matrimonio contracto, statim vacet.

(4) Reg. LVIII, quam supra exposui *cap.* 12. *num.* 15.

(5) Rigant. in *comm. ad Reg. LVIII. n.* 11. *ad* 14. *tom.* 4.

(6) Bonif. VIII. in *cap. un. de cler. coniug.* in VI. Trid. in *cap. nullus* 6. *sess.* 23. *de reformat.*, et Concordata an. 1741. *cap.* 3. *art.* 2.

(7) Staphilaeus *de litt. gratiae tit. de var. mod. vacat.* §. *quintus vacat. modus num.* 4., *et seq.* Vivian. *de iurep. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 63.

(8) Rota *dec.* 772. *par.* 2. *rec.*

amittunt ipso etiam iure omnia beneficia Cleri saecularis (1). Regularia enim Regularibus, et saecularia secularibus committenda sunt (2): nisi dispensatio apostolica regularem professum ad obtinenda saecularia idoneum quandoque faciat (3). Religiosi tamen Societatis Iesu elapso probationis biennio post emissa etiam tria vota regularia, licet eosdem vere religiosos esse definiverit Gregorius XIII (4): saecularium clericorum beneficia adhuc retinere ex probatis Ordinis constitutionibus possunt, quae antequam in societatem cooptarentur, obtinebant. Quoniam praelaudatus Pontifex expresse indulsit emittentibus tria vota simplicia facultatem retinendi ius, dominiumque bonorum suorum, et consequenter beneficia, eaque in pios usus distribuendi: ut Superior generalis eosdem professos (qui semper esse in probatione dicuntur, quoadusque sese quarto voto obstrinxerint) a Societate dimittere ob caussam etiam innoxiam sine ipsorum culpa possit liberius, utque dimissi exinde sese bonis nudatos non lugeant (5). Eoque minus beneficia cuiusque Religionem ingressi vacant intra probationis annum (6), ei ne libertas redeundi ad saeculum imminuatur.

X. Sola militiae saecularis assumptio absque homicidio, vel saevis, beneficiorum, et pensionum amissionem quoque parit, nulla etiam contracta irregularitate (7). Quoniam amissio pensionis, vel beneficii propter militiam saecularem cum ecclesiastica incompatibilem obvenit non ratione irregularitatis, sed propter desertionem clericalis militiae: quia non possumus Deo simul, et saeculo militare (8). Propterea huic regulae vacationis locus non erit, si miles clericus fiat pro defensione Sedis Apostolicae, vel pro defendenda patria obsessa, vel adversus infideles (9). Ad saecularem

(1) Bonif. VIII. in *cap. beneficium 4. de Regular. in VI.* Quod laudat, et firmat Benedictus XIV. in *const. ex quo dilectus* 25. *de libero ingressu cleric. saecul. in Ord. regul. to.* 2. Bullar.

(2) Idem in *cap. cum de beneficio 5. de praeb. in VI.*, Clement. 1. *de elect.* Conc. Hispal. II. in *can. in nona* 22. *C.* 16. *qu.* 7. Videsis dicta superius *cap.* 9. *n.* 32., *et seq.*

(3) Rebuff. in *prax. benefic.* tit. *de dispensat. cum Regular.*

(4) Greg. XIII. in *const. quanto fructuosius*, edita Kal. Febr. 1582., et *const. ascendente Domino*, 8. Kal. Iunii 1654.

(5) Rota in nullius, seu Caputaquensi pensionis 18. Aprilis 1616. penes Vivian. *de iurepatr. par.* 2. *lib.* 5. *cap.* 5. *post. n.* 164.

(6) Ex *cit. cap. beneficium de Regular. in VI.*

(7) Card. de Luca in *adnot. ad S. Conc. Trid. disc.* 12. *n.* 6.

(8) Ex Conc. Meldensi in *can. quicumque ex Clero* 6. *C.* 23. *qu.* 8. Conc. Chalcedonense in *can. eos qui C.* 20. *qu.* 3. sanxit *eos, qui semel in Clero taxati fuerint, sive in monasterio deputati, neque ad* militiam, *neque ad honores saeculares venire.*

(9) *Card. de Luca* loc. cit., *et* de pensionib. disc. 46. « Noli existimare (*ad
» Bonifacium scribens S. Augustinus ait in* can. noli C. 23. qu. 1.) neminem
» Deo placere posse, *qui in* armis bellicis militat. In his erat S. David, cui
» Dominus tam magnum perhibuit testimonium. In his etiam plurimi illius tem-
» poris iusti. In his erat et ille Centurio. *Nam* si christiana disciplina (*eiusdem
» S. Doctoris verba sunt in* can. *praecedenti*) omnia bella culparet, hoc potius
» militibus consilium salutis petentibus a S. Praecursore Io. Baptista in Evan-
» gelio datum esset, ut abiicerent arma, seque militiae omnino subtraherent.

vero militiam transiliens, nonnisi postquam cingulo militari praecinctus rite sit, ac iuramentum fidelitatis praestiterit, atque in cathalogo militum conscriptus erit condicto stipendio (1), vel postquam saeva exercere is coeperit, ecclesiastica amittit beneficia (2).

XI. Et quoniam Barones, et feudatarii per investituram feudi recti, et nobilis, quod *quaternatum* nostri appellant, veri efficiuntur milites Regis investientis, eique in militia personaliter inservire obstringuntur: ipsi exinde si clerici fuerint beneficiarii, statim ac feudum saeculare acceptaverint, ecclesiastica eorum beneficia ipso iure vacabunt (3). Id quod hoc etiam in Regno viget, quamvis cuncti Barones militiae personaliter non inserviant: sed pro suo ipsorum equite armato *adhoam* regio fisco solvunt quotannis, conventam scilicet pecuniae quantitatem alendo equiti parem, operamque extraordinariam quoque possint per alios tempore belli praebere. Quemadmodum versa vice si feudi possessor ecclesiasticis initietur Ordinibus, feudum illico amittit: nisi consuetudo loci, regiaque simul, et pontificia dispensatio alicui speciatim indulserit feudi retentionem in statu clericali (4).

XII. Officia tamen regii ministerii, et magistratus, puta iudicis, vel consiliarii, vel gubernatoris usque adeo in clericis tolerantur, ut sua ipsi beneficia non amittant talia obeuntes ministeria: dummodo se abstineant a poenis sanguinis infligendis, et mutilationibus membrorum, aliisque saevis repugnantibus ecclesiasticae lenitudini. Nam Alexander III. probavit, quod Archiepiscopus Panormitanus, aliique Episcopi ex commissione Siciliae Regis posset Saracenos puerorum, mulierumque raptores pecuniaria poena mulctare, et flagellis etiam afficere citra sanguinis vindictam, reservaturi poenam capitis, membrorumque mutilationem regiae potestati (5). Si ergo poenam sanguinis inflixerit clericus, vel suam quomodolibet operam in iudicio capitali praestiterit, ipso iure beneficiis privatur (6). Idemque Archiepiscopo Cantuariensi rescripsit, ut *honore priventur, et loco*, qui aut per se truncationes membrorum faciat, aut iudicent inferendas. Officium vero vicecomitis, aut praepositi saecularis inhibuit Sacerdotibus sub interminatione anathematis (7).

» Interrogantibus autem eum, et militibus dicentibus: *quid faciemus et nos?* » ait illis Lucae 3. *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, et contenti estote stipendiis vestris* Quibus proprium stipendium sufficere debere praecepit, militare utique non prohibuit. »

(1) Ulpianus in *l. ex eo 42. D. de testam. milit. ex tempore*, ait, *quis iure militari incipit posse testari, ex quo in numeros relatus est: ante non. Proinde qui nondum in numeris sunt, licet etiam lecti tyrones sint, et publicis expensis iter faciunt, nondum milites sunt: debent enim in numeros referri.*

(2) Tondutus *quaest. benefic. cap.* 174. *n.* 5. Glos. in *l. milites D. quibus ex caus. milites in integr. restit.*

(3) Rota *dec.* 158. *par.* 1. *rec. n.* 16., ex Glos. in *cap.* 1. §. *qui clericus sit. si de feudo defuncti.*

(4) Id quod fusius explicabitur in *tract. de feudis.*

(5) Alex. III. in *cap. in Archiepiscopatu* 4. *de raptor.*

(6) Rota *dec.* 279. *par.* 16. *rec. n.* 4., *et* 5.

(7) Alex. III. in *cap. clericis* 5. *ne clerici, vel monachi negot. saecul. se immisceant.*

XIII. Clerici minorum ordinum Ecclesiae non servientes, clericalem habitum non gestantes, cetera Concilii Tridentini adiuncta necessaria non servantes, deque tabella, seu matricula clericorum a dioecesano Episcopo deleti ad formam novissimae legis Concordatorum (1), an similiter ob deficientem clericatum, amittant ipso facto beneficia ecclesiastica una cum omnibus privilegiis clericalibus, an potius privandi eis per sententiam sint? non immerito dubitatur. Quod ob publicam, et continuatam vestium laicalium delationem ipso etiam iure beneficia fiant vacantia, sanxit Xystus V. (2). At posterior Innocentii XIII. constitutio edita die 13. Maii 1723. super ecclesiastica disciplina Regnorum Hispaniae (3), quam Benedictus XIII. confirmavit, atque ad cetera Orbis catholici Regna extendit (4), eos monitionibus praemissis, servatisque de iure servandis fore beneficiis privandos maluit: *ubi reperiantur* Benedictus XIII. ait) *clerici capellanias, vel beneficia cuiuscumque etiam tenuis redditus obtinentes, quorum improba vita aliis offensionem praebens destruat potius, quam aedificet: vel concubinarii, aut foeneratores, vel ebrietati, ludisve alearum dediti, vel satores rixarum, vel negotiatores, vel arma gestantes, vel incertis sedibus vagantes, vel* clericalem *habitum, tonsuramque non deferentes, vel ecclesiastica immunitate in fraudem tributorum, et vectigalium a laicis non exemptis solvendorum temere abutentes, vel qui demum similia, aut maiora crimina patrantes numero magis, quam merito ad Ecclesiam pertinere visi fuerint: Episcopi,* praemissis *tamen necessariis* monitionibus, *servatisque aliis de iure servandis, contra ipsos ad poenas a Romanis Pontificibus praedecessoribus, et a sacris Conciliis impositas, et etiam ad* privationem beneficiorum, *capellaniarum, et ecclesiasticorum* officiorum *in omnibus illis casibus, in quibus praedicta* privatio *a sacris canonibus imposita est, humanis quibuscumque rationibus posthabitis, procedant: memores seipsos neglectas subditorum emendationis condignas Deo vindici poenas persoluturos.* Quare clericus in minoribus a clericatu deiectus per sententiam, quae transitum fecerit in rem iudicatam, eo ipso beneficiis omnibus expoliatur, quemadmodum exauctoratus miles a militia expellitur omni stipendio simul, et honore nudatus (5). Quum vero lex nostra Concordatorum edixerit eos, quorum nomina e publica tabella clericorum deleantur, continuo amittere cuncta *privilegia* clericalia, nimirum canonia, fori, et immunitatum, nullasque praevias ea in re monitiones imperaverit: videtur sub vocabulo *privilegii* noluisse *beneficia* complecti, nec beneficiarios clericos e tabella deletos, beneficiis etiam nulla praemissa monitione spoliare, sed privationem beneficiorum adhuc reliquisse decernendam in iudicio, auditis partibus, et servatis iudiciorum ritibus.

XIV. Secundo: Neglecta ordinum susceptio vacationem ipso etiam iure non semel infert. Repugnat enim beneficia cum cura animarum, dignita-

(1) Concordata *cap.* 4. *art.* 8.

(2) Xystus V. in *const. cum sacrosancta,* apud St. Quaranta in *sum. Bullar.* verb. *habitus clericalis.*

(3) Innoc. XIII. in *const. apostolici ministerii*, 13. Maii 1723.

(4) Bened. XIII. in *const. in supremo militantis*, 1. Octobris. 1724.

(5) Gl. in *l.* 2. verb. *exauctorasse D. qui not. infamia*, de Nigris *lib.* 2. *de vacationibus benefic*, *cap.* 1. *num.* 27.

tes, ac canonicatus, et cetera sacris Ordinibus adnexa eos possidere, qui ad presbyteratum, vel sacros Ordines intra annum promoveri non curant, nec alias adsumunt qualitates ad ea retinenda necessarias (1).

XV. Tertio: Incompatibilitas, et pluralitas quando vacationem ipso iure producat, iam explicatum est in praecedenti cap. IV.

XVI. Illegitimis clericis, quos clerici progenuerint, speciatim sacri canones vetant, et ministrare sacris, et ecclesiasticum habere beneficium illis in Ecclesiis, in quibus patres eorum ministraverint, vel quodcumque etiam dissimile beneficium obtinuerint aliquando, ut paternae incontinentiae memoria a locis Deo consecratis, quos maxime puritas, sanctitasque decet, longissime arceatur (2). Iisque nil suffragabitur apostolica dispensatio ad Ordines, et beneficia generatim indulta.

XVII. In quarto vacationum genere sunt, quae accidunt ex defectivis, vel impetrationibus beneficiorum, vel non impletis earum conditionibus, quas pontificiae aut litterae, aut constitutiones, aut Regulae Cancellariae adiecerint, et impetraverint cum clausula irritante quidquid aliter gestum erit. Videlicet in provisionibus paroecialium Ecclesiarum, non servata forma concursus a Tridentina Synodo, tum a Pontificibus S. Pio V, Clemente XI, et Benedicto XIV. praescripta (3). In resignationibus beneficiorum, quoties intra viginti dies decesserint resignantes (4): atque in resignationibus ad formam bullae Gregorii XIII. non publicatis (5). In impetrationibus a Sede Apostolica subreptitiis, ob falsam valoris expressionem, aliamque falsitatem expositam, vel tacitam veritatem (6). Ob adprehensam beneficii possessionem sine litteris apostolicis cum sola signatura gratiae (7). Id quod pluribus Pontificum sanctionibus cautum est (8). Et generatim quoties non impleantur conditiones in litteris apostolicis adiectae cum clausula irritante, seu poenam vacationis eo ipso comminante.

XVIII. Ad quintum genus vacationum ipso iure pertinet (9). 1. haeresis (10), quae non modo haereticos ipsos, sed filios etiam eorum innoxios

(1) Ex *cit. cap. cum in cunctis* 7. §. *inferiora de elect.*, *cap. licet* 14., et *cap. commissa* 35. *eod tit. in VI.*, Clement. *un. de offic. Vicarii.*

(2) Innoc. I. in *can. proposuisti* 2. *dist.* 82., Alex. III. in *cap. praesentium* 3., *et seq. de fil. presbyter.*, Trid. in *cap. ut paternae* 15, *sess.* 25. *de ref.*

(3) Ex supradictis *cap.* 10. *n.* 19., *et seq.*

(4) Ex ante dictis *cap.* 20. *n.* 19.

(5) Videsis dicta in eodem *cap.* 19. *n.* 24., *et seq.*

(6) Qua de re dixi fusius *cap.* 12.

(7) Ex antedictis *cap.* 10. *n.* 6.

(8) Bonif. VIII. in *cap. eum, qui* 28. *de praeb. in VI.*, privat eo ipso beneficiis violentos eorumdem occupatores, atque intrusos. Iulius III. *const.* 33. Paulus III. *const.* 49. Innoc. X. *const.* 50., die 3. Febr. 1652., sanxerunt ex solo supplicationis transumpto capi non posse beneficii possessionem sub poena vacationis ipso iure, nisi expresse indulserit Papa, quod simplex signatura sufficiat. Rota *dec.* 268., *et* 287. *par.* 6. *rec.*

(9) Ex supradictis *cap.* 13. *n.* 9., *et seq.* post Alex. III. in *cap. si constiterit* 10. *de accusat.*

(10) Luc. III. in *cap. ad abolendam* 9. *de haereticis: cap. ut commissi* 12. *eod. tit. in VI.* Rigant. *in Reg. I. Canc. num.* 66., *et seq.* tenet beneficia eorum, qui in haeresim prolapsi sint, atque in Curia Romana damnati, quamvis

usque ad secundam generationem beneficiis eò ipso expoliat (1). Quin etiam clericos quoslibet beneficia precibus haereticorum scienter impetrantes (2). 2: schisma, et apostasia (3).

XIX. 3: Simonia quum realis, et conventionalis (4), tum confidentialis (5). Pro aliis quoque si dignitates ecclesiasticas, et officia cum iurisdictione, mediante pecunia ab Apostolica Sede Praelati, et Romanae Curiae officiales impetraverint, omnia ipsorum beneficia eo ipso vacabunt (6): aut si alios se simulaverint, atque examini supposuerint (7). 4: Falsitas litterarum apostolicarum (8). Qui tamen eiusmodi litteris utuntur, non eo quidem ipso, sed per sententiam beneficiis privandi sunt (9).

XX. 5: Percussio, et realis offensio Cardinalium (10), aut Episcoporum (11). 6: Assassinium (12), seu caedes hominis alicui mandata, vel alieno mandato gesta. 7: Homicidium in personas beneficiariorum, a patronis eiusdem Ecclesiae beneficialis patratum (13). 8: Caedes innoxii pro noxio ad vindictam transversariam (14). 9: Abortus inanimis etiam foetus (15). 10: Duellum sive solemne, sive privatum, et provocantes, et provocatos ipso iure expoliat beneficiis, morte quamvis non sequuta (16). 11. Iniusta bonorum Ecclesiae, et beneficii usurpatio (17). 12: Coactio clericorum ad sua dimittenda beneficia (18).

reservata aliunde, vacare non in Curia, quoties extra eam alibi admissum haeresis crimen sit: quum sententia damnationis praeteritam ipso iure vacationem declaret, non infert per sese. Videsis dicta superius *cap. V. in* 58.

(1) Alex. IV. in *cap. quicumque* 2. §. *haeretici de haeret. in VI.* Extr. *un.* §. *filii de poenis*, Nicol. III. in *const. noverit universitas.* Videsis quae scripsi *lib.* VI. *Inst. can. tit.* 14. *num.* 24.

(2) *Cap. quicumque* 2. §. *adhaec de haeret. in VI.*

(3) *Cap.* 1. *de schismat. in VI.* Paul. IV. *const.* 19. Videsis quae dixi *lib.* IV. *Inst. can. loc. cit. num.* 3., *et* 4.

(4) Extr. *cum detestabile* 2. *de simonia* inter eorum. Qui iniustam redimit vexationem post ius quaesitum, illudque certum, et firmum, simoniacus non est ex Benedicti XIV. sententia *de Syn. dioec. lib.* 7. *cap.* 69. *num.* 8.

(5) Videsis quae tradidi *cit. lib.* IV. *Inst. tit.* 16. *num.* 32., *et seqq. et n.* 50.

(6) Ex S. Pii V. *const.* 104.

(7) Ex Pauli IV. *const. inter ceteras*, quam exposui eodem *lib.* IV. Inst. *tit.* 16. *num.* 36.

(8) *Cap. ad falsarium* 7. *de crim. falsi.*

(9) Ex eodem *cap.* 7.

(10) Bonif. VIII. in *cap. felicis* 5. *de poenis in VI.*

(11) Clement. *si quis suadente* 1. *eod. tit.*

(12) Conc. Lugd. in *cap.* 1. *de homicidio in VI.* Videsis quae dixi *lib.* III. Inst. Can. *tit.* 6. *num.* 20.

(13) Conc. Later. IV. sub. Innoc. III. in *cap. in quibusdam* 12. *de poenis.*

(14) Paul. II. *const.* 4.

(15) Ex *const.* 8. Xysti V. Videsis quae dixi *lib.* IV. Inst. Can. *tit.* 6. §. 2. *n.* 51.

(16) Ex novis Pontificum sanctionibus, praesertim Iulii II. *const.* 19., Leonis X. *const.* 31. Pii IV. *const.* 21. Greg. XIII., et Clem. VIII. Antiquo iure nonnisi per sententiam iudicis duellantes beneficiis privabantur, ubi mors, vel mutilatio membrorum contigisset, ex *cap.* 1. *de cler. pugnant. in duello.*

(17) Ex Trid. in *cap. si quem clericorum* 11. *sess.* 22. *de refor.*

(18) Clement. *multorum* 2. §. *quod si inferiores de poenis.*

XXI. 13: Nefandum crimen (1). 14: Tertia in Deum, et Beatissimam Virginem blasphemia (2).

XXII. Hucusque de vacationibus a *lege* inflictis. Nunc superest alias *ab homine* infligendas inquirere. Multa enim sunt crimina, in quibus Ecclesiae leges nominatim comminantur privationem beneficiorum, quae nisi per sententiam exprimatur, nullum dabit locum vacationi. In primis ob non residentiam (3); Episcopi, Praelati, Parochi, aliique animarum curam habentes ubi non resederint, praeviis tribus monitionibus, nedum subtractione fructuum, et censuris ecclesiasticis, sed privatione etiam Ecclesiarum suarum coercentur (4). 2: Ob ministerium Chori, vel Ecclesiae neglectum, et servitium non praestitum (5), praesertim ob lectiones sacras a Canonico theologo non expletas (6). 3: Ob Ordines non susceptos canonicatibus Cathedralium, et Collegiatarum adnexos, vel a fundatoribus imperatos (7).

XXIII. 4: Propter homicidium ab ipso beneficiario, vel eius ope, aut consilio patratum (8) 5: sacrilegium (9). 6: Ecclesiae violationem (10). 7: sortilegim (11).

XXIV. 8: Ob adulteratas supremi Principis in Italia monetas (12). 9: ob artem alchimiae exercitam, argentumque alchimisticum, seu fictum pro vero venditum (13). 10: ob quamlibet falsitatem cum dolo, et alterius damno admissam (14). 11: ob dolosam nominis mutationem sine caussa (15). 12: qui praeterea falsis litteris etiam apostolicis utitur, officio et beneficio privari debet (16). Ob collusionem in caussa beneficii (17).

XXV. 13: Ob adulterium (18). 14: raptum (19). 15: incoestum (20), vio-

(1) Ex S. Pii V. *const.* 72.

(2) Leo X. in Conc. Later. Iul. III., et S. Pius V. *const.* 5.

(3) Ex *cap.* 1., *et seq. de cleric. non resident.* Infirmitatis caussa non residentes loco suo privari non debere, S. Greg. M. rescripsit in *can. praesentium* 3., et Nicolaus I. in *can. pontifices* 4. *C.* 7. *qu.* 1.

(4) Trid. in *cap.* 1. *sess.* 6. *cap.* 1. *sess.* 23., *et Cap.* 22. *sess.* 24. *de ref.*

(5) Alex. III. in *cap. conquerente* 6. *de cler. non resident.*

(6) Trid. in *cap.* 1. *sess.* 5. *de reform.* De qua dixi *lib. I.* Inst. Can. *tit.* 29. *num.* 19.

(7) Alex. III. in *cap. quaeris a nobis* 6. *de aetate, et qual.*, ibique Fagnanus. Videsis dicta superius *cap.* IX. *num.* 19.

(8) Innoc. III. in *cap. ex litteris* 10. *de excess. Praelat.*

(9) Ex const. Martini in *can. si quis presbyter* 22. *dist.* 50.

(10) Eugen. III. in *cap. super eo* 2. *de raptoribus.*

(11) Conc. Tolet. IV. in *can. si quis Episcopus* 5. *C.* 26. *qu.* 5. Videsis quae dixi *lib.* IV. Inst. Can. *tit.* 15. *num.* 43.

(12) Coelest. III. *cap. cum non ab homine* 10. *de iudiciis*, et Urban. VIII. in *const.* 75.

(13) Extravag. *un. de crimine falsi* inter com.

(14) Synod. Agath. in *can. si Episcopus* 7. *dist.* 50.

(15) Ex *can.* 62. vulgo Apostolor.

(16) Innoc. III. in *cap. ad falsariorum* 7. *de crimine falsi.*

(17) Alex. III. in *cap. audivimus* 3. *de collus. detegenda.*

(18) Syn. Aurelian. III. in *can. si quis clericus* 10. *dist.* 81.

(19) Conc. Cabilon. in *can. de puellis* 4. *C.* 26. *qu.* 1.

(20) Coelestin. *can. non debet* 10. *C.* 30. *qu.* 1. *ibique* Glos.

lationemque monialium sacrilegam (1) 16: Ob concubinatum post trinam monitionem, et correctionem (2).

XXVI. 17: Ob turpes, et pravi exempli mores, si post monitiones adhuc, et correctiones in sua clerici nequitia perseveraverint obdurati, beneficiis privandi sunt per Episcopum, remota quacumque appellatione (3). 18: Ob ebrietatem post trinam monitionem (4). 18. Qui muliebres, comicas, satyricas, vel tragicas personas, et larvas induerunt (5). Quique *in superfluitate, scissura, aut colore vestium, ac tonsura adspectum intuentium offendunt, si moniti ab Episcopis, emendare noluerint, ecclesiasticis careant beneficiis*, ex decreto Concilii Lateranensi sub Innoc. II. (6).

XXVII. 19: Ob furtum, et latrocinium (7). 20: Rapinam (8). 21. Usuram, post contemptas monitiones (9).

XXVIII. 22: Ob violatam censuram excommunicationis, vel interdicti (10). Cuilibet etiam excommunicato proventus ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiae communio denegatur (11). 23: Ob denegatam Episcopo reverentiam, et invasionem iurium episcopalium (12).

XXIX. 24: Ob advocati, vel procuratoris munus a clerico contra Ecclesiam suam, a qua beneficium, vel praebendam obtinet, pro extraneis susceptum, et exercitum: is tamquam ingratus potest beneficio spoliari (13).

XXX. Denique ob quemlibet excessum depositione, vel degradatione dignum. Profecto Ecclesiam si iuste quis adeptus fuerit, eam nonnisi ex gravi culpa in episcopali foro canonica severitate amittit (14). Quoties autem fuerit gravis excessus beneficiariorum, etsi non degradentur ab Ordine, ab administratione tamen Ecclesiae, seu possessione beneficiorum amoveantur omnino: id quod est secundum sententiam evangelicam villicum amovere, qui non potest villicationis suae dignam reddere ratio-

(1) Trullana Syn. in *can. si quis Episcopus* 6. *C.* 27. *qu.* 1.
(2) Alex. III. *cap. sicut* 4., *et cap. si autem* 6. *de cohabit. cler. et mul., cap. ut cleric. de vit., et hon. cler.* Trid. in *cap. quam turpe* 14. *sess.* 25. *de ref.*
(3) Trid. in *cap. quia* 6. *sess.* 21. *de ref.*
(4) Innoc. III. in *cap. a crapula* 14. *de vit., et hon. cleric.*, *et* Alex. III. *cap. si constiterit* 12. *de accusat.*
(5) Trullana Synod. *can.* 62.
(6) Innoc. II. in Conc. Later. *can. praecipimus* 5., *et ult. C.* 21. *qu.* 4.
(7) Ex *can.* 25. vulgo Apostolor., *can. presbyter* 12. *dist.* 81., Coelestin. III. in *cap. cum non ab homine* 10. *de iudic.*, *et* Innoc. III. *cap. tuae* 6. *de poenis.*
(8) Eug. III. in *cap. super eo* 2. *de raptor.*
(9) Alex. III. in *cap. praeterea* 7. *de usuris.* Videsis quae dixi *lib.* IV. Inst. Can. *tit.* 17. *num.* 26., *et seq.*
(10) Innoc. III. in *cap. fraternitati* 6., *et cap. postulastis* 7. *de cler. excomm. depos., vel interd. ministr.* Videsis *lib.* IV. Inst. *tit.* 18. *n.* 22, 90., *et* 106.
(11) Innoc. III. in *cap. pastoralis* 53. *de appellat.* Praesertim insordescentibus Conc. Carthag. in *can. rursus* 36., et Gelasius in *can. quicumque* 37. *C.* 11. *qu.* 3. Coelest. in *cap. cum bonae* 8. *de aet., et qual.*, Alex. IV. in *cap. cum contumacia* 7. *de haeret. in VI.*
(12) Honor. III. in *cap. gravem* 15. *de excessibus Praelatorum.*
(13) Greg. IX. in *cap. cum Sacerdotis* 3., *et fin. de postulando.*
(14) Syn. Colon. in *can. inventum est* 38. *C.* 16. *qu.* 7. Videsis *lib.* IV. Inst. *tit.* 18. *n.* 97., *et* 104.

nem, ait Innocentius III. in Concilio Lateranensi (1). Idemque Pontifex praeterea rescripsit clericos in latrociniis, aliisve magis generatim sceleribus deprehensos, a suis Ordinibus degradatos detrudi in arctis monasteriis debere ad agendam poenitentiam.

XXXI. Pro aliis vero minoribus criminibus, et delictis regulariter privationem beneficii non potest iudex infligere contra quempiam criminaliter convictum, nisi fuerit expresse in iure constituta: vel nisi crimen Ordinis suscepti exercitium, aut retentionem beneficii post peractam quoque poenitentiam impediat (2).

XXXII. Et si quem ipse reum aliquo de crimine pronunciaverit, ac damnaverit per sententiam: privasse illum non praesumitur officio, et beneficio, nisi id expresserit in sententia (3). Ideoque damnatus ad perpetuos carceres, vel triremes, beneficium eo ipso non amittit (4). Et consequenter sola infamia vel facti, vel iuris, quae promanat ex sententia, et re iudicata in criminibus gravioribus, damnatum clericum suis beneficiis non expoliat: quidquid contra senserit Fagnanus (5). Dummodo ex illis crimen non fuerit, in quibus lex inflixerit ipso iure vacationem, iam supra expositis.

XXXIII. Quum vero ex facto hominis, et voluntate iudicis pendeat privatio *ab homine:* possunt quidem Episcopi, ceterique locorum Ordinarii ab ea abstinere: quin immo de beneficiis misericorditer agere studeant cum clericis criminosis, ne substentatione privati, ad saeculi negotia reverti cogantur (6). Nam potest Episcopus de adulteriis, et aliis criminibus, quae sunt minora, cum clericis post peractam poenitentiam dispensare (7).

XXXIV. Humana lex perpetuitatis cunctis beneficiorum collationibus, et institutionibus adnexae postulat, ut aequi, et boni Ecclesiae Pastores clericos in crimina prolapsos ad resipiscentiam, frugemque meliorem redacturi consueverint censuris medicinalibus, poenisque potius revocabilibus, quam firmis, et immotis ad vindictam plectere. Hinc est, cur beneficiorum privationes vel ipso facto, vel futura sententia secundum canones infligendae, nonnisi ex caussis in Iure nominatim expressis locum habeant in foro ecclesiastico. Enimvero cuiusque in sua vocatione stabilitatem commendavit Apostolus (8). Priscis inde saeculis quum canones imperassent clericos tunc mancipari ad perpetuo inserviendum certae

(1) Innoc. III. in Conc. Later. IV. *cap. qualiter* 24. *de accusat.*
(2) Idem in *cap. inquisitionis* 21. *eod. tit.* Gloss. in *cap. fin. de iurepatr.*, et DD. passim.
(3) Garzia *de benefic. par.* 11. *cap.* 10. *num.* 2.; Rebuff. in *prax. benef. par.* 2. *cap. de modis amittendi beneficia:* Diaz. in *prax. crim. canon. cap.* 133. *num.* 2.
(4) S. Congr. Conc. in Asculana distributionum 3. Iunii, et 23. Iulii 1707., Ricc. in *prax. Cur. Arch. Neap. dec.* 94., *et* 95.
(5) Fagnan. in *d. cap. qualiter, et quando de accusat. num.* 90., *et seq.*
(6) Urban. III. ad Legion. Episc. in *cap. ex litteris* 2. *de cler. non ordin. ministr.*
(7) Alex. III. ad Salernit. Archiep. in *cap. etsi clerici* 4. *de iudiciis.*
(8) I. ad Corinth. *cap.* 7. *vers.* 20.

Ecclesiae cum adnexo itidem perpetuo iure accipiendi ab ea congruam substentationem, quum ad Ordines iidem ipsi promoverentur: id in caussa fuit, ut singulis eorum sacra officia, seu ministeria ecclesiastica in titulum quoque perpetuum Ordines Episcopi conferrent, antequam a sacris ordinationibus collationes praebendarum seiungerentur (1). Quumque arbitrium Episcopis tunc liberrimum esset clericos, et presbyteros ab Cathedralibus, et urbanis ad rurales, et suburbanas, et oppidaneas etiam Ecclesias mittendi, et ablegandi ad nutum episcopalem mobiles, et revocabiles: tamen quarto ab inde saeculo canones quum orientales, tum occidentales constituendum censuerunt, ut in singulis Ecclesiis, etiam oppidaneis instituerentur, qui ad vitam perpetuo servirent ibidem cardinati, et irrevocabiles (2). Quod canones vulgo apostolici, tum Nicaeni sanxissent, ne quis clericorum ab Ecclesia sua desciscerct umquam, invito Episcopo, iam superius dixi (3). Quinto saeculo Gelasius Papa non revocandas iussit usufructuarias praediorum Ecclesiae concessiones, quas clerici a decessoribus Episcopis obtinuissent (4). Concilium Aurelianense III. *an.* 538. vetuit, ne quod clerici ex Episcoporum decedentium munificentia possiderent, agros nimirum, et praedia Ecclesiarum ad usumfructum quoad viverent, eis adimerent successores: ut *beneficiis* eiusmodi gaudentes *officia Ecclesiae, obedientiam, et affectum Sacerdotibus praebeant;* sed contumacibus auferri posse decrevit, quae benemeritis Episcopi concessissent (5). Idipsum in Concilio Cabilonensi II. firmatum saeculo IX. iam dixi alias (6). Mercenarios quum negligere curam ovium non suarum, furari, et mactare, Christus Dominus praemonuerit: iure meritissimo Innocentius II. in Synodo Romana an. 1130. statuit, *ne conductitiis presbyteris Ecclesiae committantur: et unaquaeque Ecclesia proprium habeat Sacerdotem* (7). Recentioris aevi leges ecclesiasticae, perpetuam cuique beneficio naturam constabilientes, satis superque patent ex antedictis. Eam vero non destruunt privationes accidentariae ipso iure inflictae vel iudicis arbitrio infligendae ex caussis iam explicitis; ut enim rebelles Principi suo feudatarii, vel militiam deserentes iure spoliantur feudis perpetua investitura acceptis: ita desciscentes a clericali vita, et honestate clerici beneficia, quantumvis perpetua merito amittunt.

(1) Ex antedictis *cap.* 1. *num.* 15.
(2) Ex dictis eodem *cap.* 1. *num.* 28.
(3) *Cap.* II. *num.* 5.
(4) Gelas. (an. 492) in *can. illud statuendum* 8. *C.* 16. *qu.* 6.
(5) Conc. Aurel. III. *can.* 17., apud N. Alexandrum in *hist. saec. VI. cap.* 5., *art.* 15.
(6) *Cit. cap.* 2. *num.* 5. *lit. D.*
(7) Innoc. III. in *can. praecipimus* 5., *et ult. C.* 21. *qu.* 2.

CAP. XXIII.

De spolio decedentium beneficiariorum et fructibus beneficiorum vacantium (*).

I. Iniustam rei alienae occupationem, et exuvias defunctorum significat spolii vox.

II. Heic accipitur pro ecclesiastico peculio decedentium clericorum ad Ecclesiam, vel Cameram Apostolicam pertinente.

III. Quarti saeculi canones nihil ex rebus Ecclesiae proprium clericis indulserunt, nisi usum alimentorum.

IV. Iis vetuit Synodus Calcedonensis peculium defuncti Episcopi subripere.

V. Quinto saeculo Gelasius curam vacantis Ecclesiae episcopalis Archidiacono, et defensori simul demandavit.

VI. Tum Synodus Ilerdensis curam spolii episcopalis Oeconomo, et duobus clericis, Valentina Metropolitae addixerunt.

VII. De rebus profanis aliunde obvenientibus liberam disponendi facultatem Episcopis, et clericis reliquerunt prisci canones, legesque Iustiniani, et Theodorici.

VIII. S. Gregorius M. ut inventarium spolii episcopalis facerent administratores ecclesiastici, et Synodus Toletana, ut partem profanam heredes Episcoporum profani sumerent, decreverunt.

IX. In sexta Synodo cautum, ut res defuncti Episcopi, Ecclesiaeque Clerus custodiret, eoque deficiente, Metropolitanus.

X. *Octava Synodus reos sacrilegii declaravit laicos rerum Ecclesiae usurpatores.*

XI. Urbanus II. in eos anathema inflixit, curamque spolii episcopalis Archidiacono, vel Archipresbytero, Clericorum, et Sacerdotum iisdem, aut Episcopo dedit.

XII. Innocentius II. in Concilio Lateranensi Oeconomo, et clericis administrationem spolii episcopalis confirmavit.

XIII. Rogerius I. Utriusque Siciliae Rex eam baiulis regiis ademit, et ecclesiasticis viris restituit ad normam canonis Lateranensis.

XIV. Imp. Emmanuel Comnenus eumdem canonem Lateranensem, legesque pro ecclesiastica spoliorum administratione firmavit.

XV. Alexander III. de spoliis ecclesiasticis testari vetuit clericis, ea Ecclesiis vindicavit, exclusis Episcopo, et successoribus: consuetudines pro egenis, et piis operibus probavit.

(*) Ad *tit. XXV. lib.* Decretal. *de peculio clericorum.*

XVI. Privilegio, et consuetudini ea in re deferendum censuerunt Innocentius III., et Bonifacius VIII.

XVII. Fridericus II. Imp. regios administratores à spoliis clericorum cohibuit.

XVIII. Ius regaliae in Ecclesiis vacantibus ex privilegio apostolico, vel pacto fundationis, vel consuetudine ortum habuit.

XIX. Illud autem in hoc Regno nullum obtinuit locum, obsistentibus investiturae pactis.

XX. Gregorius X. in Concilio Lugddunensi regaliam, et custodiam laicam in vacantibus Ecclesiis anathemate proscripsit, ubi nulla fundationis lex, aut consuetudo vigeret.

XXI. Bello sacro impulsus Innocentius IV, reservavit Sedi Apostolicae spolia clericorum.

XXII. Mox Gregorius X. Nuntium, et collectorem spoliorum hoc in Regno habuit, consentiente Carolo I. Andegavensi.

XXIII. Bonifacius VIII. iniustos spoliorum occupatores censura suspensionis coercuit, qui nullo privilegio, vel consuetudine, aliove iure potirentur.

XXIV. Clemens V. in Concilio Viennensi Praesules, et Abbates ab iisdem usurpationibus compescuit.

XXV. Idemque hoc in Regno pontificios collectores decimarum, et patrimonii Ecclesiae Romanae cum Roberti Regis placito deputavit.

XXVI. Ioannes XXII. statuit, ne decimae rationem excederent, qui privilegio, vel consuetudine, vel statuto fructus ecclesiasticos alicuius anni obtinuissent.

XXVII. Sed fructus vacantes, Ecclesiis regiae collationis tantum exceptis, ut exigerent Ioannis XXII. collectores pontificii, Rex Robertus consensit.

XXVIII. Idemque suum impertitus brachium est pontificiis Benedicti XII. collectoribus spoliorum, fructuumque vacantium.

XXIX. Clemens VI. inde suos etiam Nuntios, et collectores heic habuit.

XXX. Tum Innocentius VI, qui contrariis privilegiis consuetudinibus, et statutis derogavit.

XXXI. In Concilio Pisano sub Alexandro V. actum frustra de submovendis spoliorum reservationibus.

XXXII. In Concilio Constantiensi Martinus V. fructus vacantes dispositioni Iuris communis reliquit, nil de spoliis edixit.

XXXIII. In conclave Martini mortem sequuto compactum de reservationibus spoliorum abolendis Eugenius IV. iuravit, mox Alphonso I. Aragonio census, et spolia ab eo exacta condonavit.

XXXIV. Sub Carolo V. regium placitum Prorex Nuncio, et col-

lectori pontificio concessit, sibi reservans in singulis casibus quoad spolia exigenda maiorem deliberationem.

XXXV. Sub Clemente VII, regium placitum pontificiis collectoribus datum excipit Ecclesias, et beneficia iurispatronatus regii, et baronum, et alia reservata.

XXXVI. Idem Pontifex ius nominandi ad XXIV. Ecclesias Cathedrales, et decimas Carolo V. largitus regium placitum pro colligendis in hoc Regno spoliis sine ulla exceptione obtinuit.

XXXVII. Resumpta deinde clausula in sequentibus Nuntiorum placitis, excipiens beneficia iurispatronatus regii, et baronum.

XXXVIII. Paullus III, spolia clericorum, et Praesulum ubilibet decedentium sine speciali indulto testandi Camerae Apostolicae reservavit constitutione perpetua.

XXXIX. Iulius III. fructus exactos, et commixtos ad heredes, et legatarios clericorum indulto testandi fruentium: inexactos, et incommixtos, quamvis maturos ad Cameram Apostolicam pertinere declaravit.

XL. Idemque a iure spolii exemit hoc in Regno beneficia annuos ducatos centum, et hereditates beneficiariorum ducatos mille non excedentes.

XLI. Romanos tum cives, incolas, et curiales a spolio exemit, caussasque spoliorum thesaurario apostolico iudicandas mandavit.

XLII. Paullus IV. beneficia infra ducatos auri 50, et hereditates infra ducatos 200, a spolio item exemptas voluit.

XLIII. Pius IV, privilegium civium, et incolarum Urbis firmavit, testandi vero indultum Episcopis Sedis Apostolicae scriptoribus ad ducatos sex mille reduxit.

XLIV. Bona illicitae negotiationis subiecit spolio.

XLV. Potestatem coactivam collectori suo generali mandavit pro colligendis beneficiariorum spoliis cuiuslibet valoris.

XLVI. Irritas pronunciavit dispositiones testamentarias, et caussa mortis de spoliis ecclesiasticis sine apostolico indulto factas.

XLVII. Fructus a die vacationis, praeterquam per cessum, usque ad successoris possessionem Camerae Apostolicae reservavit, et perceptos ex beneficiis confidentia simoniaca obtentis.

XLVIII. S. Pius V. res sacras ad Ecclesiae ornatum, et mobilia grossa, et beneficia 30. duc. auri non excedentia exemit a Camerae iuribus.

XLIX. Nuntiis eorumdem Pontificum concessum regium placitum exequendi munia sua contra personas tantum ecclesiasticas, et exigendi fructus Ecclesiarum regiae nominationis, vel praesentationis, eosque novis beneficiariis tradendi.

L. Gregorius XIII. spolia Regularium extra claustra degentium

etiam Episcoporum sine valoris discrimine Camerae suae reservavit.

LI. Regia Camera Summaria anno 1585, quo Xistus V. electus Papa est, fructus episcopatuum collectos ad dies usque obitus ad Cameram apostolicam iure spolii, reliquos deinceps usque ad possessionem successoris Episcopi in Ecclesiis regiae nominationis ad successorem ipsum pertinere censuit.

LII. Regiae collationis Ecclesias a camerali iure spolii exemptas fore maluit Potestas Regia.

LIII. Sub Xisto V. transactiones spoliorum dudum optatas Ioannes Angelus Aegyptius praeparavit.

LIV. Confectis Romae transactionibus Capitula fere omnia cathedralium Ecclesiarum huius Regni certae pecuniae summam pro spolio composito super omnibus cuiusque dioecesis canonicatibus, et beneficiis spoponderunt, indultumque vicissim obtinuere amplissimum testandi, praeterquam de rebus illicitae negotiationis.

LV. Quatuor tantum dioeceses a transactionibus huiusmodi se abstinuerunt.

LVI. Onerosi contractus naturam istae transactiones habent.

LVII. Quae fructus pendentes atque a die vacationis obventuros non amplectuntur, ut Xystus V. idem declaravit.

LVIII. Episcopi, Praelatique inferiores, et pontificii, et regii nullam de spolio transactionem inierunt, hinc utrorumque spolia vindicabat sibi Camera apostolica, una cum rata fructuum etiam naturalium usque ad diem vacationis.

LIX. Exceptis tamen Ecclesiis, et beneficiis regiae collationis.

LX. Innocentius XII. spolia decedentium Praelatorum Ecclesiis restituit, Praelatisque ipsis vix arbitrium disponendi usus in utilitatem Cathedralium, vel Parochialium suarum indulsit.

LXI. Quod ad bona extra Regnum extantia, et Praelatis extra suam dioecesim obeuntibus locum non esse Innocentianae constitutioni disputabant Doctores.

LXII. Benedictus XIII. declaravit eam servandam esse morientibus etiam extra residentiam suam Praelatis, et proscripsit eorum dispositiones inter vivos gestas favore cuiuslibet, reservato sibi ad vitam usu, vel fructu.

LXIII. Benedictus XIV, custodiam spolii aegrotantium Praelatorum Vicariis eorumdem generalibus mandavit, post mortem, Vicariis Capitularibus, et Canonicis deputatis inventaria, aestimationesque rerum omnium curaturis, simul et venditionem post novi Praesulis adventum, cui praelationem in spolii rebus emendis indulsit.

LXIV. Quod res extantes illicitae negotiationis nullam cuilibet suffragari exemptionem a spolio sanxit.

LXV. Episcopi, Praelatique omnes regnicolae nonnisi favore Ecclesiarum disponunt de spoliis suis, nisi habeant speciale indultum testandi favore cuiuslibet.

LXVI. Beneficiarii omnes inferiores in dioecesibus compositis annuam spolii ratam solventes spolia sua ad profanos heredes testati, intestatique transmittunt.

LXVII. Exempti aliunde a spolio reali debent in eisdem dioecesibus consuetam spolii compositi taxam contribuere.

LXVIII. Nulla fructuum tenuitas a contributione spolii compositi eosdem beneficiarios exemit.

LXIX. In quatuor dioecesibus Aquini, et Sorae, Sulmonis, et Valvae non compositis spolia post obitum clericorum colligit Camera, iis exceptis, qui suam ad vitam cum ea transactionem onerosam iniverint, vel 3o. duc. auri annuos non exegerint.

LXX. Bona Regularium extra claustra degentium, negotiationis illicitae, et confidentiae simoniacae, et beneficiorum incompatibilium non amplectitur spolii transactio.

LXXI. Spoliis ecclesiasticis consanguinei heredes clericorum in dioecesibus compositis duo iam saecula potiti hucusque sunt.

LXXII. In spolio non sunt fructus pendentes, et inexacti, et vacationis tempore obvenientes, qui ad Ecclesiam, vel Cameram spectant iure alio potiore.

LXXIII. Pendentes, tamquam pars fundi ad heredes usuarii, vel fructuarii numquam pertinent.

LXXIV. Fructus a solo separatos faciunt suos fructuarius, et bonae fidei possessor, hic per fortuitam quoque separationem, ille nonnisi per suam, vel alienam operam.

LXXV. Beneficiarios alii fructuario, alii possessori bonae fidei comparabant.

LXXVI. Ex Iulii III., et Xysti V. constitutionibus nonnisi collectos, et commixtos non faciunt suos beneficiarii omnes, quamvis Innocentius XII, et Benedictus XIII. Episcopis, Praelatisque tantum indulserint dispositionem de maturis etiam inexactis, et incommixtis in Ecclesiarum favorem.

LXXVII. Commixtio nedum vera, sed aequipollens etiam sufficit, ut fructus collectos, et commixtos, licet extantes lucrentur beneficiarii.

LXXVIII. Collectos, sed non commixtos ipsi non adquirunt.

LXXIX. Eos enim cum aliis pendentibus, et vacationis tempore maturandis Camera apostolica sibi vindicat in Ecclesiis Cathedralibus, aeque ac beneficiis inferioribus.

LXXX. Non integros autem Nuntiatura eosdem fructus, et spolia, sed tertiam fere partem pro Camera percipit, duas reliquas tran-

sigentibus eum ea vel successoribus, vel heredibus defunctorum remittens.

LXXXI. Excipiuntur Ecclesiae, ac beneficia patronatus regii, et feudalis, quorum fructus pendentes, et vacantes successoribus reservantur: quidquid aliter sit de spoliis Praesulum regiorum, et feudalium.

LXXXII. Idipsum servat Nuntiatura ipsa in vacationibus per cessum, seu per resignationem, ac translationem, nisi resignans inexactos sibi maturatos expresse reservaverit.

LXXXIII. Quota fructuum pendentium naturalium usque ad possessionem successoris Camerae imputatur a die, quo terra concipere eos incipit, civilium a condicto die solutionis.

LXXXIV. Fructus aestimantur, deductis impensis, et oneribus.

LXXXV. Aes alienum ob Ecclesiae utilitatem, suamque substentationem a beneficiariis contractum iisdem fructibus solvendum est.

LXXXVI. Quoties versum illud in eiusmodi caussas probetur.

LXXXVII. Quidquid ex alieno aere praeter utilitatem Ecclesiae suos in usus expenderit Episcopus, quoad vivit, satisfactionem ex fructibus episcopalibus creditores iure obtinent: post mortem secus.

I. Apud recentiores iureconsultos *spolium* accipitur pro iniuriosa cuiusque deiectione, sive violenta, sive clandestina a possessione rei (1). Antiquiores latini exuvias, quae occisis hominibus, vel victis in bello hostibus detrahuntur, hoc appellarunt nomine, easque Cicero *cruenta spolia* eleganter dixit (2). Natura tamen significatio adamussim congruit spoliis decedentium clericorum, et monachorum incruentis, scilicet cunctis nedum exuviis vestimentorum, sed pecuniariis etiam eorumdem rebus intuitu Ecclesiae quaesitis, ipsorumque obitu vacantibus, quas vel Ecclesia, seu monasterium, vel Praelati, successoresque beneficiarii, vel Camera apostolica pro variis temporum, et locorum conditionibus humano iure consueverunt sibi vindicare sine violentia, sine cruore, sine iniuria. Ad hanc ecclesiastici spolii notionem fortasse respexit Propheta inquiens: *Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa, Rex virtutum dilecti, et speciei domus dividere spolia* (3). His enim verbis praedixit futuram in Ecclesia Christi, quae domus Domini est, divisionem spoliorum, rerum scilicet temporalium, quas ea esset adeptura post Evangelii praedicationem.

(1) Eo sensu Ioannes Papa Zachariae Archiep. rescripsit, *redintegranda esse omnia* expoliatis, *vel eiectis*, *can. redintegranda* 3. *C.* 3. *qu.* 1. Huc spectat rubrica Decretalium *de restitutione spoliatorum.*

(2) Cic. *orat.* pro Sexto Roscio. Idemque in *orat.* pro lege Manilia descripsit templum nostrorum *exuviis* nauticis, et classium *spoliis* ornatum.

(3) *Psalm.* 67. *vers.* 12., *et* 13. Bellarminus hunc versiculum ex communi Patrum sententia ita exponit contra Io. Calvinum haeresiarcham *in antidoto Conc. Trid.*, qui Prophetae sensum detorquens hanc aliam effutiit versionem: *Reges exercituum fugerunt, et habitatrices domus diviserunt spolia.*

Quandoquidem clerici, et monachi lethaliter decumbentes quum consuevissent secundum canones, et regularia statuta sese panniculariis suis, rebusque peculiaribus exuere ultro, ac spoliare, nulla ut fraus Ecclesiae, vel monasterio strueretur: factum inde est, ut res eiusmodi *spolia* dicerentur.

II. Itaque spolium ecclesiasticum est succedendi ius, quod habet Ecclesia, vel nomine Ecclesiae Camera apostolica ad bona omnia per defunctum quemlibet clericorum beneficiarium qua inferiorem, qua superiorem intuitu Ecclesiae, et beneficii quaesita. Nimirum vel iure *proprietatis*, quam ipsa sibi retinet Ecclesia in rebus ad usum clericorum, ut inde alantur concessis (1); vel instar *peculii* profectitii filiorum familias, aut servorum, quod iis morientibus ad patrem, aut dominum redit (2); vel hereditario iure, quod ecclesiasticae leges constituerunt (3).

III. Ante quartum Aerae Christianae saeculum canonem, legemque frustra quaeres de clericorum spolio disponentem; quum exploratam habeas tribus martyrum saeculis non licuisse christianorum Ecclesiis, vel collegiis clericorum iure successionis quidquam adquirere, neque clericis proprium nil habentibus opima relinquere. At postea quam Constantinus M. indulsit Ecclesiis hereditates, et legata capere ex testamento, et praedia possidere (4): quaesita deinde Ecclesiis latifundia, fructusque inde uberrimi a clericis ea administrantibus percepti varias leges de peculio clericorum postularunt. Antiochena Synodus an. 341. quum Episcopis, tum presbyteris, qui praedia, et bona Ecclesiae administrarent, portionem ad proprium cuiusque victum necessariam indulsit, nudumque rerum usum, ubi vetuit eis res Ecclesiae, agrorumque fructus vertere in suos ipsorum usus domesticos, et commods personalis (5). Nil proinde proprium clericis habere tunc licebat: sed usum tantummodo alimentorum quoad viverent, sine ulla testandi facultate (6). Quandoquidem clerici ad commu-

(1) Ex Conc. Tolet. II. in *cap. fin. de peculio cleric.*

(2) Iustinianus in *l. cum oportet* 6. *C. de bonis, quae liberis in potest. constitutis adquiruntur, et eorum administratione*, et §. 3. *Inst. Civ. per quas personas cuique adquiritur.*

(3) Greg. III. in const. *officii nostri*, quam dedit die 21. Ian. 1577, insertam a Petro de Matthaeis in *cap.* 8. Septimi decretalium *de spoliis clericorum.*

(4) Const. Imp. in *l.* 1. *C. de sacros. Eccles.* superius recitata *cap.* 1. *n.* 10.

(5) Syn. Antioch. in *can. Episcopus* 23. *C.* 12. *qu.* 1. « Episcopus ecclesia» sticarum rerum (*ait*) habeat potestatem ad dispensandum.... participet autem » et ipse quibus indiget.... quod si convertat res Ecclesiae suos *usus domesti-» cos*, et eius *commodo*, vel agrorum fructus non cum presbyterorum conscien» tia, diaconorumque pertractet: Synodo provinciae poenas iste persolvat: » *Seu ut alia huius canonis versio habet:* « reatum hunc apud Metropolitanum Pro» vinciae praestare debebit ». *Additque presbyteros etiam Provinciae a Synodo, vel a Metropolitano corrigendos fore*, « qui ea, quae pertinent ad Ecclesiam, » vel ex agris, vel ex aliqua qualibet ecclesiastica facultate sibimet usurpent. »

(6) S. Aug. in *can. nolo* 10. *C.* 12. *qu.* 1. *Enthecam nobis*, ait, *habere non licet.* « Quisquis inventus fuerit habens *proprium*, non illi permitto, ut inde fa» ciat *testamentum*: sed delebo eum de tabula clericorum. *Idemque* serm. 49. » cap. 2. Ecce quomodo vivimus, *inquit*, nulli licet in societate nostra habere » aliquid proprium. Nulli licet. Si qui habent, faciunt, quod non licet... Te» stamentum fecit presbyter, socius noster nobiscum manens, de Ecclesia vi-

nem vitam demigrantes antea suis sese bonis omnibus abdicabant, ut spontaneam inirent paupertatem: legitimis nimirum filiis, et consanguineis distribuebant, portionem addicendo Ecclesiae, a qua essent alimenta recepturi: vel deficientibus filiis, cuncta bona in Ecclesiam conferebant (1), aut pauperibus largiebantur (2).

IV. Quoad ergo viguit communis vita clericorum, paupertas ipsis nullum fere locum dabat colligendi ex obventionibus ecclesiasticis peculium, quod idcirco videntur canones coaevi silentio praeterivisse. At Episcopi communium Ecclesiae rerum administrationem potissimum obtinebant. Hinc Synodus Chalcedonensis oecumenica an. 451. sanxit *clericis non licere post mortem Episcopi sui rapere res pertinentes ad eum, sicut iam*

» vens, communem vitam profitens. Testamentum fecit, heredem instituit. Oh » dolor illius societatis! Sed Ecclesiam scripsit heredem. Nolo munere ista. . . » magnus mihi dolor: propter hunc dolorem statui hereditatem ipsam in Ecclesia non suscipere. . . Ambos exheredavit filios. . . litem inter illos cito finimus: audio illos, ut pater. . . Videbo quid sit iuris cum paucis fratribus fidelibus honoratis de numero vestro, idest de plebe ista. »

(1) De Faustino Diacono loquens S. Augustinus *serm.* 50. ait: « Cum consilio meo divisit ipsam rem, et dimidiam donavit fratribus suis, et dimidiam » Ecclesiae pauperi in eodem loco constitutae. . . Sed sunt (*addit ibidem*) qui » de sua qualicumque paupertate, quod statuerat, nondum fecerunt. Hi sunt Valens diaconus, et nepos meus subdiaconus Patricius nomine. Expectabatur in » illo etiam legitimae aetatis accessus, ut quod faceret, firmissime faceret. Nepos meus ex quo conversus est, et mecum habitare coepit, impediebatur, et » ipse aliquid de agellis suis agere in vita, usufructuaria matre sua, quae » hoc anno defuncta est. . . Inter nepotem meum, et sororem eius sunt quaedam caussae in Christi adiutorio cito finiendae, ut et ipse faciat quod Dei » servum decet, et quod ista professio, et ista exigit lectio ». Cumque Ianuarius presbyter filium, et filiam superstites habens in monasteriis professos impuberes, totam hereditatem suam reliquisset, S. Augustinus expectari pubertatem filiorum iussit, eisque interea integras servari portiones. « Quamvis videremus, *ait*, fulgorem professionis, tamen lubricum timebamus aetatis, factum » est, ut ipsum argentum quasi puellae servaretur, ut cum ad legitimos annos » veniret, faceret inde quod virginem Christi deceret, quando optime iam facere posset. Commendavi Ecclesiae, ut non accipiat ipsas portiunculas, quae » pertinent ad exheredatos, nisi cum ad legitimam aetatem pervenerint. Hoc » eis reservat Ecclesia. »

(2) Divus Paulinus in vita B. Ambrosii *n.* 19 nullum testamenti Ambrosiani verbum faciens, sat ostendit S. Archiepiscopum nil fuisse testatum, quippe qui tempore, quo Episcopus ordinatus est, aurum omne, atque argentum, quod habere poterat, pauperibus, vel Ecclesiae contulit. Praedia etiam, quae habebat, reservato usufructu germanae suae donavit Ecclesiae, nihil sibi, quod suum hic diceret, derelinquens. *Possidius in vita S. Aug.* cap. 31. *haec scribit.* « Testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Christi non habuit. Ecclesiae bibliothecam, et omnes codices diligenter posteris custodiendos semper iubebat. Si quid vero Ecclesia vel sumptibus, vel in ornamentis habuit, » fideli presbytero, qui sub eodem domus Ecclesiae curam gerebat, dimisit. Nec » suos consanguineos vel in proposito, vel extra constitutos in sua vita, et morte » vulgi more tractavit. Quibus dum adhuc esset superstes, id si opus fuit, quod » et ceteris erogavit; non ut divitias haberent, sed ut, aut non, aut minus egeret. »

praecedentibus regulis constitutum habetur. Si vero hoc fecerint, periclitari se noverint in proprio gradu (1).

V. Gelasius I. Pontifex, qui prope finem quinti saeculi sedit, curam, et administrationem patrimonii Ecclesiae Vulteranae post depositionem Episcopi Eucharisti demandavit Archidiacono Iustino, et Fausto defensori (2). Iam invaluerat enim ex decreto Concilii Milevitani II. mos postulandi ab Imperatoribus Defensores scholasticos, qui caussas, et iura Ecclesiarum in foro agerent, ac tuerentur (3).

VI. In Synodo Ilerdensi an. 524. Hispani Patres decreverunt, ut curam spoliorum cuiusque decedentis Episcopi susciperet Oeconomus Ecclesiae una cum duobus probatae fidei clericis (4). In Valentino autem Concilio eam auctoritati Metropolitae subiecerunt (5).

VII. Ecclesiastica, non profana clericorum bona prisci canones hucusque memorati spectant. Quae enim ad clericos obveniebant ex parentum, affiniumque suorum hereditatibus, et patrimoniis, vel aliunde sine intuitu Ecclesiae; de illis suum ipsi ad libitum secundum leges disponere quum inter vivos, tum caussa mortis consueverunt (6). Id quod sexto decurrente saeculo Iustiniani leges firmarunt, quibus constitutum est, Episcopis, et presbyteris, ceteris item clericis licere bona sua ante, vel post clericatum iure cognationis quaesita, velut castrense peculium, ex testamento, ad quos ipsi voluerint, transmittere: aliunde vero quaesita dominio Ecclesiae reservari (7). Cuiusmodi leges ut servarentur, pluries rescripsit

(1) Syn. Chalced. in *can. non liceat* 43. *C.* 12. *qu.* 2.

(2) Gelas. in *can. Vulteranae* 25. *C.* 12. *qu.* 2. « Vulteranae Ecclesiae actus, » *ait*, vel patrimonium, quod hactenus comperimus destitutum post damnatio» nem Eucharisti, quo fuerat depravante dispersum, curiae vestrae decrevi» mus esse delegandum: ut diligentia (qua vos pro utilitatibus Ecclesiae exi» stimamus esse vigilantes) praedia culturae restituatis antiquae, et revocetis, » si qua sunt vendita, aut donata mancipia ».

(3) Concilium Milevitan. II. ann. 416 expetendum *a gloriosissimis Impp.* (ait) *Defensores scholastici, qui in actu sint, vel in officio defensionum caussarum ecclesiasticarum ingredi iudicum secretaria.* Eos memorat S. Greg. M. in *cap. qualiter* 7. de pactis. Ex *l.* 7. Pipini Italiae Regis in II. Longobard. *Talis sit ipse advocatus: liber homo, bonae opinionis,* laicus, *aut* clericus, *qui sacramentum pro caussa Ecclesiae, quam peregerit, deducere possit iuxta qualitatem substantiae, sicut lex eorum habet.* Lud. Murator. *dissert.* 63. hanc recitans legem ita legit: *laicus autem, non clericus.*

(4) Syn. Ilerdensis in *can. haec huius* 38. *C.* 12. *qu.* 2.

(5) Concil. Valentin. an. 524. *can.* 2.

(6) *S. Ambrosius* in orat. *de obitu Satyri fratris sui*, « ego te frater, *ait*, » heredem feceram, tu me heredem reliquisti. Ego te superstitem optabam, tu » me superstitem dimisisti. Ut pauperibus tantum distribueremus, quantum no» bis iustum videretur, rogasti. Postulando quod iustum est, non exiguum, sed » totum relinquent. Haec est enim summa iustitiae, vendere quae habeas, et » conferre pauperibus: qui enim dispersit, dedit pauperibus iustitia eius manet » in aeternum. Ergo dispensatores nos heredes reliquit. Nam haereditas succes» sori quaeritur, dispensatio pauperibus erogatur. »

(7) *Iustin*, in l. omnem 42. C. de Episc. et cler. licentiam habeat Episcopus » quaecumque ante episcopatum probatus fuerit habuisse, et quaecumque post » episcopatum iure cognationis usque ad quartum ad eum pervenerunt, ad quos » voluerit, ultima voluntate transmittere. Ceteris rebus alio modo adquisitis ab

B. Gregorius M. (1). Intestatis vero morientibus Episcopis, et clericis, et monachis sine legitimo herede, ad profanam eorum hereditatem succedere Ecclesiam leges quoque indulserunt, quas Theodoricus Italiae Rex edicto suo innovavit (2).

VIII. Ut vero fraudes inde profligarentur, B. Gregorius M. rescripsit, morientibus Episcopis, vel sua sede deiectis inventarium publicum rerum ad Ecclesiam pertinentium fieri gratis debere a hierarchicis Ecclesiae administratoribus coram clericis eiusdem (3). Mox in Synodo Toletana IX.

» eo dominio Ecclesiae reservatis, nisi in utilitatem Ecclesiae, vel opera pietatis consumptae sint. Eadem distinctione habita in administratoribus cuiuscumque loci religiosi. Presbyteros autem (*ait idem Imperator* Nov. 123. cap. 19.) » et diaconos, et subdiaconos, cantores, et lectores, quos omnes clericos appellamus, res quolibet modo ad eorum dominium venientes habere sub sua » potestate praecipimus ad similitudinem castrensium peculiorum, et donare secundum leges, et in his testari, licet sub parentum sint potestate: sic tamen ut horum filii, aut his non exantibus, parentes eorum legitimam partem ferant.

(1) Cum Episcopus Agrigentinus obiisset filio superstite, B. Gregorius M. *lib.* 3. *ep.* 36. ad Maximianum Syracusanum Episcopum rescripsit, ut bona legitimae successionis parentum filio restituerentur. « Si quid apud praedictam Ecclesiam, *ait*, de rebus matris ipsius inveniri potuerit, et secundum leges » suam faciat portionem, restitui. Proinde et de rebus paternis, quas ante episcopatum dignoscitur habuisse, si eas in ius Ecclesiae suae quolibet modo non » transtulit, ei quantum portioni eius legaliter scit competere, ut satisfieri possit, immineat. Nam quod praeceptum dixerat decessor noster, ut lapso eo » omnes res eius Ecclesiae remanerent, hoc ideo eum credimus praecepisse, ne » per eas amplius deperisset. Nunc vero aequum esse pensamus, ut filium patris culpa non ingravet. » Idemque Papa mandavit Cypriano diacono, Nuntio suo in Sicilia, ut bona Ecclesiae deminuta, vel consumpta per Episcopum Theodorum, qui testamentum fecerat, de bonis profanis eius reparari curaret: *lib.* 4. *ep.* 22. Praeterea S. Gregorius Anthemium subdiaconum in Campania Nuntium monuit, ut res Ecclesiae a rebus profanis in hereditate Atellani Episcopi remansas separaret, qui *condito testamento in octo unciis totius substantiae suae nurum suam heredem instituit, et Ecclesiam suam in residuis quatuor: lib.* 7. *ep.* 53. Pariter mortuo Ioanne Episcopo Ravennate cum testamento, ad successorem Episcopum Marinianum scripsit Gregorius *lib.* 5. *ep.* 1., *ut ea, quas de Ecclesia sua, vel de adquisitis in episcopatu rebus contra legum fieri statuta disposuit, fraternitas vestra nec auctoritatem praebeat, nec aliqua in his ratione consentiat. Si quid autem de propriis rebus, quas ante episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesiae suae non contulit, fieri voluit, vel decrevit, firmum per omnia robur obtinere necesse est.* Consonat *ep.* 14. *lib.* 9., *et ep.* 42. *lib.* 10., in qua loquitur de Adeonato Mediolani Episcopo.

(2) Theodoricus apud Cassiodorum *cap.* 26. *Clericos*, ait, *religiosasque personas intestatas deficientes, quoties defuerit qui iure succedebat, locum Ecclesiae suae secundum leges facere debere praecipimus.*

(3) Idem Gregorius M. ad Marinianum in *can. charitatem* 44. *C.* 12. *qu.* 2. haec rescripsit. *Si quispiam Episcoporum de hac luce migraverit, vel (quod absit) pro suis fuerit remotus excessibus, convenientibus Oeconomis* (seu hierarchicis, ut legendum esse monent Romani Correctores ex mss. emendatioribus) *cunctisque clericis prioribus, atque in sui praesentia inventarium Ecclesiae rerum facientibus, omnia quae reperta fuerint, subtiliter describantur: nec (sicut antea fieri dicebatur) species quaedam, aut aliud quodlibet de re-*

cautum est anno 651, ut profani decedentium Episcoporum **heredes** partem rerum profanam ex eorumdem spoliis, nonnisi conscio, **et permittente** Metropolitano, sibi sumerent (1).

IX. Sexta vero Synodus oecumenica Constantinopolitana **III. an. 680.** constituit: *non licere alicui Metropolitano, mortuo Episcopo, qui sub eo est, aut res eius, aut Ecclesiae suae auferre: sed sint*, ait, *sub custodia Cleri Ecclesiae defuncti Episcopi, usque dum alius ordinetur Episcopus. Si vero Clerici in Ecclesia non fuerint: tunc Metropolitanus illibata omnia Episcopo, qui ibi ordinabitur, reddat* (2).

X. Dein VIII. Synodo itidem oecumenicae, Constantinopolitanae IV. anno 869. sub Hadriano II. Papa, et imperante Basilio Macedone, **placuit** laicos, qui res, vel privilegia Ecclesiarum usurparent, violarentque, tamquam sacrilegos fore iudicandos (3).

XI. Sacrilegas autem rapinas, et expilationes hereditatum, spoliorumque episcopalium, quas in occidentalibus Ecclesiis quaquaversus laici facere dudum consueverant, Urbanus II. in Concilio apud Alverinam in Gallia coacto an. 1095, speciatim coercuit anathemate: simulque statuit, ut Episcoporum obeuntium res Archipresbyteri, seu Archidiaconi custodirent successoribus, vel pauperibus dispensarent, clericorum vero, et sacerdotum res Episcopi per sese, vel per suos deputatos pariter administrarent (4).

---

bus Ecclesiae, quasi pro faciendi inventarii labore tollatur. Verbum *hierarchicis* a Correctoribus emendatum indicat curam rerum Ecclesiarum vacantium ecclesiasticis personis non inferiorem, sed eminentem, et conspicuum in hierarchia gradum obtinentibus demandari consuevisse sexto ab indo saeculo. Et N. Alexander in *hist. saec. VI. cap.* 6. *art.* 3. *n.* 2. observat eo abhinc tempore Pontificem Romanum in Ecclesiis suburbicariis, et per totam Italiam Episcopis viciniorıbus curam viduatarum Ecclesiarum commendassa.

(1) Syn. Tolat. IX. *can.* 7. in collect. Labbaeana Conc.

(2) Conc. Const. III. in *can. non liceat* 48. *C.* 12. *qu.* 2.

(3) *Conc. Constantin. IV.* can. 18. « Placuit, ut res, vel privilegia, quae » Dei Ecclesiis ex longa consuetudine pertinent, et sive a divae rec. Imperatoribus, sive sub aliis Dei cultoribus in scriptis, vel sine scriptis donata, et » ab eis per triginta annos possessa sunt, nequaquam a potestate Praesulis earum quaecumque persona saecularis per potestatem subtrahat, aut per argumenta quaelibet auferat. Sed sint omnia in potestate, ac usu Praesulis quaecumque intra triginta annorum spatium ab Ecclesiis possessa fuisse noscuntur. » Quisquis ergo saecularium contra praesentem definitionem egerit, tamquam » sacrilegus iudicetur. »

(4) *Urban. II. in Conc. Alverniae* can. de laicis 46. C. 12. qu. 2. « De » laicis, *ait*, quaestio facta est, qui morientibus Episcopis, sive aliis clericis » res defunctorum invasas Ecclesiae, pauperibusque subripiunt: contra quos commune totius Concilii anathema prolatum est, ipso Papa huiusmodi sententiam » promulgante... Episcoporum vero deficientium res per Archipresbyterorum, » seu Archidiaconorum manus, aut secundum mortuorum iudicium pro ipsorum » salute in eleemosynas dispensetur, aut successori, qui futurus est, reserventur. Idipsum de presbyterorum, seu clericorum aliorum rebus per Episcopum, » vel supradictas personas, aut cui deficientes commiserint, fiat. » Stephan. Balutius in *addit.* ad Petrum de Marca *lib.* 8. *de concordia cap.* 18. « Pessimam » illam consuetudinem, ait, qua receptum ubique in Occidente erat, ut bona » morientium Episcoporum diriperentur a laicis coercitam esse ab Urbano II.,

XII. Saeculo XII. Innocentius II. in Conc. Lateranensi an. 1139. *illud, quod in S. Chalcedonensi Concilio constitutum est, irrefragabiliter conservari* praecipit: *ut videlicet decedentium bona Episcoporum a nullo omnino hominum diripiantur, sed ad opus Ecclesiae, et successoris sui in libera* Oeconomi, *et* clericorum *permaneant potestate. Cesset igitur de cetero illa detestabilis, et saeva rapacitas* (1). Isto quidem Concilio oecumenico damnata haeresis Arnaldistarum fuit, qui omnem Ecclesiae iurisdictionem evertendi studio declamabant nefas esse tam clericis, et monachis opes, ac bona temporalia possidere, quam Episcopis feuda, et iura regalia: laicosque simul extimulabant ad rapienda spolia Praesulum, et clericorum, et bona vacantia Ecclesiarum (2).

XIII. Sequenti mox anno 1140. Rugerius I. Rex Neapolitanus in comitiis Arianensibus Baronum, et Praesulum huius Regni custodiam, et curam spoliorum episcopalium, bonorumque vacantium Ecclesiarum tribus ecclesiasticis personis gerendam fore constituit, qui rationem inde redderent Praelatis successoribus, *Pervenit ad audientiam nostram*, ait, *quod* baiuli, *qui olim statuti fuerant super Ecclesiis Pastoribus carentibus ad* custodiendas, *et salvas faciendas* res Ecclesiarum, *quamdiu eisdem de Pastoribus provideantur, non ita fideliter, et studiose, sicut a* nostra Curia *erat iniunctum, ipsum servitium peragebant, sed male tractabant, et custodiebant res ipsarum Ecclesiarum. Verum quia omnes Ecclesias Regni nostri, et specialiter ipsas, quae Pastoribus carent, in manu, et* protectione *nostra habemus, nolentes, ut* res Ecclesiarum illarum *in aliquo minuantur, vel defraudentur: statuimus, et sancimus, ut deinceps si quis* Archiepiscopus, *vel* Episcopus *Regni nostri* decesserit, *res ipsius Ecclesiae in* custodia, *et* cura trium *de melioribus, et fidelioribus, et sapientioribus ipsius Ecclesiae personis ad custodiendas, et conservandas eas ad opus Ecclesiae, usque dum de Pastore in eadem Ecclesia provideatur, committantur. Eo tamen modo, ut de redditibus, et proventibus ipsius Ecclesiae ad* usum servientium *ibidem morantium* necessaria *rationabiliter, et sufficienter subministrentur: et ex iis ipsi Ecclesiae multum bene, et rationabiliter serviatur, residuum ab ipsis custodibus ad opus ipsius Ecclesiae salve, et integre custodiatur, donec ibi Pastor fuerit constitutus. Constituto autem in Ecclesia Pastore, quidquid de rebus, et introitibus ipsius Ecclesiae remanserit:* ipsi Pastori

» et ab Innocentio II., recte adnotat Illustrissimus Archiepiscopus. .. Post Urbanum, et ante Innocentii tempora Callixtus II. idem statuit anno 1119. in Conc. Tolosano. »

(1) Conc. Lateran. II. in *can. illud* 47. *C.* 12. *qu.* 2. Paucos post annos S. Bernardus apud Eugenium III. insimulatus, quod Cardinalis in Gallia legati morientis privatis affectibus indulgens testamentariam dispositionem de spolio ipsius probam iudicasset, Pontifici respondens ita scripsit: *Audivi ab iis, qui adfuerunt, quod ipse fecerit suum* testamentum, *quod fecit, et scribit, et de* rebus suis *quae voluit, quibus voluit, ipse divisit. Quod residuum fuit, duobus Abbatibus dividendum commisit, illi diviserunt. Non sum tam hebes, ut ignorem Ecclesiae esse quidquid ille* rerum suarum *non dederit.*

(2) Ex traditis ab Othone Frisingense *lib. de reb. gest. Friderici Imp. cap.* 20., et S. Bernardo *ep.* 196. ad Guidonem Cardinalem, quos collaudat N. Alexander in *hist. saec. XI., et XII. cap.* 4. *de haeresibus art.* 8.

corum assignent, et ei rationem *inde reddant* (1). Nonnulla operae pretium est in hac constitutione animadvertere. 1: quod Rugerius quoad partes Anacleti Antipapae lueretur contra Innocentium II. Pontificem legitimum, armis Lotharii Imperatoris Innocentio adhaerentis vexatus, manum extendit suam ad bona temporalia Ecclesiarum vacantium hoc in Regno, eaque ut baiuli, nimirum laici magistratus custodirent, et administrarent, impetraverat: mox compresso schismate post generale Concilium Lateranense quum agnovisset abusum laicae administrationis rebus ecclesiasticis perniciosum, baiulos amovit, curamque spolii ecclesiastici personis ecclesiasticis restituit hac lege, ut rationem nonnisi Praelatis successoribus redderent. 2: quod idem Rugerius Normannorum parentum successor, qui Ecclesias episcopales Utriusque Siciliae ex invasionibus Patriarcharum schismaticorum Constantinop. exemptas in libertatem Romano apostolico throno vindicaverant, sub protectione ipsius Regis generali, et mediata consistere, non ut laicos magistratus institutos in bonis earum vacantium custodiendis sustineret, sed ut ecclesiasticis Oeconomis curam eorum secundum canones in Lateranensi Concilio repetitos dimitteret.

XIV. Imperator Emmanuel Comnenus Novella constitutione, quam edidit anno 1151, iam dictum Lateranensem canonem firmius, et amplius corroboravit, profligavitque penitus potentium laicorum, et imperialis etiam Fisci procuratorum usurpationes improbas ecclesiastici spolii obeuntium Episcoporum: *Relatum est*, Imperator inquit, *in excessu e vita eorum, qui ubivis pontificatum gerunt in sanctissimis Dei Ecclesiis, partim quidem antequam funus efferatur, partim vero postquam elatum fuerit, eos, qui in ea regione* fisci procurationem *exercent, ipsorum mortis praetextu eorum* cellas *inhumane* invadere, *et immobilia, quae sunt sub Ecclesiis, quod eis obligarent, et omnes quidem facultates, quae in illis inventae fuerint, auferre: universam autem eiusmodi immobilium exactionem facere, et ea alioqui omnino conterere. Imperium ergo meum ne vel auditu quidem ferendum eorum esse* audaciam *existimans, ne quum damnum, et calamitas ex Antistitum morte ad eorum Ecclesias pervaserit, hi multo maiorem calamitatem invehant, et ea sint, quam iam habent, molestia longe molestiores: statuit per hanc praesentem constitutionem, ne ab iis, qui ducales* magistratus *gerunt, vel descriptiones, vel aliqua alia publici iuris exercent, tale quod in sanctissimas Ecclesias, vel earum immobilia, vel Antistitum* cellas *in eorum morte deinceps amplius innovetur; sed si testati quidem moriantur Antistites, eorum voluntate, et ordinatione omnia fiant, quod ad ea attinet, quae in eorum* cellis *inveniuntur. Quod si forte etiam intestati decesserint, omnia quoque fiant, ut sacris* canonibus, *et* legibus *videtur. Atqui in* viduarum Ecclesiarum immobilia *ne pedem quidem omnino immittat aliquis ex* ducibus, *vel aliquibus aliis*, ut dictum *est: sed nec quaelibet illinc pars quomodocumque adprehendatur, sed omnia a partibus eiusmodi Ecclesiarum in ipsis administrabuntur, quemadmodum de ea legitime, et canonice edictum est: donec scilicet qui post mortuos Antistites in Ecclesias renunciati sunt; in regione fuerint, et eorum administrationem adprehenderint* (2). Si testandi arbitrium esse cle-

(1) Ruger. I. in *const. pervenit* 15. *de administrat. rer. Eccles. post mortem Praelator.*

(2) Dionysius Gothofredus inter Novellas constitutiones imperatorias, quas vul-

ricis dixit Imperator Emmanuel illud ad profanum dumtaxat patrimonium referre secundum canones, et Iustiniani leges oportet.

XV. Alexander III. in Concilio Lateranensi III, an. 1180, priscis canonibus inhaerens, constituit spolia clericorum ad Ecclesias omnino pertinere, eosque de illis disponere non posse: *Quidam clerici*, ait, *cum ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona per eos adquisita in alios transferre praesumunt. Hoc igitur quia antiquis canonibus constat inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere volentes, sive* intestati *decesserint, sive aliis conferre voluerint, penes* Ecclesias *eadem bona praecipimus remanere* (1). Idemque consultus rescripsit Episcopo, et Capitulo Cassanensi in Calabria, *quod generaliter bona quaelibet per Ecclesiam adquisita, et debent iuxta Lateranense Concilium post adquirentis obitum remanere. Nomine autem* Ecclesiae *non* Episcopus, *vel* successor *clerici morientis, ubi est collegium clericorum*, *sed* communis congregatio *intelligitur*; *quae rerum illarum debet canonicam distributionem, et curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum* unus *est ordinandus, is ea bona (sicut et alia ipsius Ecclesiae) in Dei timore dispenset. Licet autem mobilia per Ecclesiam adquisita de iure in alios pro* morientis arbitrio *transferri non possint: consuetudinis tamen est non improbandae, ut de his pauperibus, et religiosis locis, et illis, qui viventi servierant, sive consanguinei sint, sive alii, aliqua iuxta servitii meritum conferantur. Ceterum quae ex* hereditate, *vel* artificio, *aut* doctrina, *proveniunt, distribuantur pro* arbitrio decedentis: *Quia vero nonnulli in* diversis Ecclesiis *beneficia possident*, dividantur, *quae habuerunt, per aestimationem congruam inter ipsas* (2).

XVI. Studuerunt nihilominus Episcopi bona clericorum ab intestato decedentium interea sibi vindicare vel *privilegio* Sedis Apostolicae, vel *consuetudine*. Perspicuum privilegii exemplum ab Innocentio III. traditum accepimus, qui rescripsit Altissidiorensi Episcopo indultum benignitate Sedis Apostolicae fuisse, quod ordinatio rerum, quas clerici ab intestato morientes relinquerent, in eius arbitrio, ac dispositione permaneret (3). Instar Episcoporum Abbates quoque regulares spolia priorum percipere sibi consueverunt. Utramque postea exceptionem privilegii, et consuetudinis probavit Bonifacii VIII. constitutio inferius recitanda (4).

XVII. Saeculo XIII. Fridericus II. Imperator, et Utriusque Siciliae Rex

gavit in appendice ad Corpus Iuris Civilis *tom.* II. Emmanuelis Comneni §. 7. *de non rapiendis ab exactoribus bonis, quae ad defunctos Episcopos pertinuerunt.*

(1) Alex. III. in Conc. Later. III. in *cap. cum in officiis* 7. *de testam.*

(2) Idem in *cap. relatum est* 13. *eod. tit.*

(3) Innoc. III. in *cap. cum tibi* 18. *de verb. signif.*

(4) Nicolaus IV. ad restaurandam Cluniacensium disciplinam quum dedisset bullam anno 1289., ea Cluniacensi Abbati confirmavit consuetam spolii perceptionem in obitu Priorum. « In prioratibus, *ait*, per mortem, aut amotionem Priorum vacantibus, Abbas Cluniacensis palafredum, cappam, et breviarium Prioris praemortui secundum *antiquam consuetudinem* habeat. Et deductis debitis ante omnia, si qua sint, et solutis, monachis etiam ibidem commorantibus, et Priori futuro, ac familiae domus pro se, et necessitatibus suis usque ad fructus novos, congrua substentatione dimissa, relictis etiam ad excolendas possessiones necessariis, et ad refectionem domorum, si necesse fuerit, de residuis mobilibus possit recipere quartam partem. »

abusum, qui iam irrepserat, emendavit regiorum administratorum in bonis decedentium Praelatorum, Ecclesiarumque vacantium, nedum constitutione augustali promulgata anno 1213. (1), sed etiam aurea bulla, quam dedit ad Honorium III. anno 1219. (2), *Illum quoque dimittimus*, Imperator ait, *et refutamus abusum, quem in occupandis bonis decedentium Praelatorum, aut etiam Ecclesiarum vacantium nostri consueverunt antecessores committere pro motu proprias voluntatis. Omnia nos spiritualia vobis, et aliis Ecclesiarum Praelatis relinquimus libere disponenda, ut quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei, Deo recta distributione reddantur* (3).

XVIII. Interea fuere, qui studebant Potestati Regiae bona Ecclesiarum viduarum temporalia praesertim feuda subigere, aequantes conditionem Episcoporum, et Abbatum decedentium, qui feuda a Regibus accepta possiderent, baronibus feudatariis: eaque ratione innixi ius *regaliae* (ignotum priscis legibus, et canonibus vocabulum) in Ecclesiis vacantibus statuere aggressi sunt. Ius istud propugnaturus Galliae Rex Philippus IV. pulcher mandavit Episcopis Senonensi, et Antissidiorensi suis ad Bonifacium VIII. legalis, ut hocce responsum hac de re darent: *Sicut feudus vassallo vacans interim cum suis redditibus a dominio licite occupatur, et propter defectum hominis, ut vulgari patriae nostrae verbo utamur, de iure, et generali consuetudine Regni nostri per dominium quousque superveniat persona, quae illi serviat, licite retinetur: sic nos, et nostri antecessores, vacante Ecclesia Carnotensi, et temporalem iurisdictionem, et bona temporalia accipimus, et nostros facimus omnes fructus, qui proveniunt ex iisdem* (4). Renatus Chopinus ius istud *regaliae* privilegio tantum Sedis Apostolicae adquiri censuit (5), aut pacto in limine fundationis expresso, aut longaeva consuetudine, quae legitimam privilegii apostolici facit coniecturam (6). Idipsum vero ius regium ad cunctas Galliarum Ecclesias extendendum

(1) Quae extat *lib. 2. feudor.* tit. *de statutis, et consuetud. contra libertatem Ecclesiae.*

(2) Apud Petrum de Marca *lib. 8. concord. Sacerd, et Imp. cap. 23. n. 1.*

(3) Matthaeus Paris. historicus Anglicanus *in vita Henrici III.* fert, Alexandrum IV. Papam conquestum, quod Conradus I. Rex Neapolitanus Friderici Imp. filius bona Ecclesiarum vacantium occupasset: Regem vero ei reposuisse, quod ipse nihil ea in re innovasset, exempla sectatus praedecessorum suorum, qui suis consueverant laicis magistratibus curam eorumdem bonorum commendare. Quum nullam vero Conradi constitutionem de spoliis ecclesiasticis habeant monumenta nostra: suspectum nimis, et improbabile videtur illud alienigenae testimonium. Ex historia plane liquet, quod Conradus Neapolim ditioni suae subegit Septembri mense an. 1252.; mortemque cito oppetiit Septembri etiam mense sequentis anni 1253: Alexander IV. autem ad pontificium solium provectus est mense Decembri eiusdem anni 1253. duos post menses ab obitu Conradi. Praeviae simul constitutiones Rugerii, et Friderici suspicionem fictae rei plus augent.

(4) Ex mandatis Philippi IV. ad Episcopos Senonensem, et Antissidiorensem, apud Petrum de Marca *lib. 8. de concord. cap. 22. n. 6.*

(5) Renatus Chopinus *lib. 1. de sacra politia tit. 8. n. 13., ego quidem enixe optassem*, ait, *regalia haec sacerdotalia attribui Sanctae Sedis* privilegio *posse, si quae fide digna chartula proderetur, sive Pontifici maximo collibuisset illud certo, perpetuoque velut edicto sancire.*

(6) Idem *loc. cit. n. 8.*, et P. de Marca *cit. lib. 8, cap. 24.*

fore, quum edixissent Reges alii, reclamantibus et contra nitentibus Gallicanis Episcopis, quaestio tandem composita hoc pacto est, ut Reges in iis tantum Ecclesiis, ubi ea fuisset consuetudo, eo iure uterentur; aliae omnes, antiqua, et communi exemptione, ac libertate fruerentur.

XIX. Ea peculiaris Gallorum consuetudo ad Regnum hoc Neapolitanum demigrare non valuit, nullo umquam privilegio apostolico nec expresso, nec tacito, nulloque praescriptionis canonicae auxilio munita, quin et saepe depulsa quum regiis constitutionibus, tum pactis investiturarum inter Pontifices Romanos, Regesque nostros conventis, et iuramento firmatis: quae laicas rerum Ecclesiae invasiones penitus compresserunt. Quam Clemens IV. ad Carolum I. Andegavensem dedit anno 1265. investiturae bullam, ea hoc inter alia pactum habet: *In Ecclesiis in dictis Regno, et terra vacantibus tu, vel tui in Regno heredes, nulla habita regalia, nullos fructus, redditus, et proventus, nullas etiam obventiones, ac nulla prorsus alia recipientes ab eisdem*, custodia *Ecclesiarum earumdem interim libera remaneat penes* personas ecclesiasticas *iuxta canonicas sanctiones* (1). Id quod repetitum legitur in posterioribus omnibus investituris Regum Andegavensium, Aragoniorum, et Austriacorum (2). Quo spectare etiam videntur articuli duo Concordiae inter Honorium IV, et Carolum II. Andegavensem initae anno 1285. Ut scilicet *iura concessa Ecclesiis, in quorum possessione sunt, serventur illaesa: de illis vero, in quorum possessione non sunt, non fiat eis iustitia in Curia Regis, sed fiat a Curia competente*. Utque *possessiones Ecclesiae non auferantur, nec turbentur per Curiam* (3).

XX. Concilium Lugdunense II. oecumenicum sub Gregorio X. an. 1274. regaliam, et custodiam laicam bonorum in Ecclesiis, et Abbatiis vacantibus anathemate protrivit iterum: et extrusit, praeterquam ubi eam lex *fundationis*, aut *consuetudo antiqua* invexerit. *Universos, et singulos*, ait, *qui* regaliam, custodiam, *sive* guardiam. *advocationis, seu defensionis titulum in Ecclesiis, monasteriis, seu quibuslibet aliis piis locis de novo usurpare conantes*, bona Ecclesiarum, *monasteriorum, aut locorum ipsorum* vacantium *occupare praesumunt, quantaecumque dignitatis honore praefulgeant, eo ipso* excommunicationis *sententiae decernimus subiacere... Qui autem ab ipsarum Ecclesiarum, ceterorumque locorum* fundatione, *vel ex* antiqua consuetudine *iura sibi* huiusmodi vindicant: *ab illorum abusu sic prudenter abstineant, et suos ministros in eis sollicite faciant abstinere, quod ea, quae non pertinent ad fructus, sive* redditus *provenientes* vacationis tempore, *non usurpent: nec bona cetera, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conservent* (4).

XXI. Magna subsidia decimarum super omnibus ecclesiasticis redditibus etiam pontificiis ab Innocentio IV. primum decreta in Concilio Lugdunensi I. an. 1245. (5), instante Balduino II. Imp. Constantinop. pro

(1) Ex B. Chioccarello *to.* 1. *arch. n.* 24.
(2) Apud eumdem *loc. cit.*
(3) Ista Honorii Papae, et Caroli Regis capitula exscripsimus *lib.* 1. *Inst. Canon. tit.* 10. *num.* 3. *lit. e.*
(4) Cong. Lugdun. II. in *cap. generali constitutione* 13. *de elect. in VI.*
(5) Innoc. IV. in Conc. Lugd. I. *const.* quae incipit *afflicti corde pro deplorandis terrae sanctae periculis.*

bello sacro contra Tartaros terram sanctam invadentes, auxilioque nutantis in ea imperii catholicorum in caussa fuere, ut idem Pontifex primus omnium anno 1246, reservaret Romanae Sedis Apostolicae spolia clericorum ab intestato decedentium (1).

XXII. Tum Gregorius X. in Concilio Lugdunensi II. ann. 1274. decimas omnium ecclesiasticorum reddituum pro subsidio eiusdem belli sacri ad sex alios annos quum imperasset: spolia inde ecclesiastica suae pariter Camerae Apostolicae destinavit. Hoc enim in Regno Carolus I. Andegavensis an. 1275, postulante clerico Finitio Gregorii X. Nuntio mandavit Carolo primogenito suo Salernitano Principi, ut res defunctorum clericorum sequestro datae instantibus eorumdem creditoribus, qui concordiam cum eo Nuntio Sedis Apostolicae iam inierant, eidem Nuntio traderentur (2).

XXIII. Bonifacius VIII, ad Petri cathedram promotus anno 1294, regnante Carolo II. Andegavensi, execrans frequentiores tunc rapinas, et dilapidationes tam spoliorum episcopalium, et sacerdotalium, quam fructuum Ecclesiarum vacantium, sanxit hos *in utilitatem Ecclesiarum expendi*, *vel futuris* debere *successoribus fideliter reservari*, suspensos ab officiis,et beneficiis ipso facto declaravit iniustos occupatores (3), *nisi de speciali* privilegio, *aut* consuetudine *iam praescripta legitime*, *seu alia caussa rationabili hoc vel* Episcopis, *vel* Abbatibus, *vel* quibuslibet aliis ecclesiaticis personis *competere dignoscantur* (4).

XXIV. Saeculo XIV. Clemens V. in Concilio Viennensi an. 1311. inter

(1) Matth. Paris. in *hist. rer. Angl. ad annum* 1246., ibique enarrat tres Angliae Archidiaconos immensas opes intestato reliquisse, quas sibi arripuerunt laici heredes, Papa vero studuit ad Cameram pontificiam vindicare.

(2) Id liquet ex monumentis archivii Regiae Siclae, seu monetalis officinae.

(3) *Bonif. VIII. in* cap. quia saepe 40. de elect. in VI. « Quia saepe contingit, *ait*, quod Cathedralibus, et Regularibus, ac Collegiatis Ecclesiis vacantibus. Capitula, Conventus, Collegia, et singulares earumdem personae bona a Praelatis ipsarum dimissa, vel vacationis tempore obvenientia (quae in utilitatem dictarum Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reservari) occupant, inter se dividunt, subripiunt, dilapidant, dissipant, et consumunt in earum grave dispendium, et iacturam... decernimus, ut hi, qui praemissa de cetero praesumpserint, eo ipso sint, et tamdiu maneant ab officio, et beneficiis quibuscumque suspensi, donec plene restituerint quidquid de bonis perceperint supradictis. Non obstantibus quibuslibet privilegiis, vel indulgentiis, aut contrariis consuetudinibus, constitutionibus, vel statutis iuramento, confirmatione Sedis Apostolicae, aut alia quacumque firmitate vallatis: quae omnia quoad hoc auctoritate apostolica revocamus, cassamus, et irritamus: ac nullius deinceps volumus esse firmitatis.

(4) *Idem in* cap. praesenti 9., et fin. de offic. Ordin. in VI. *vetuit*, « ne Episcopi, vel eorum Superiores, aut abbates, seu quivis alii regulares, vel saeculares Praelati, vacantibus dignitatibus, personatibus, prioratibus, vel Ecclesiis quibuscumque sibi subiectis, eorumdem *bona (morientibus* eorum rectoribus, vel ministris) in ipsis inventa, sine tempore *vacationis obvenientia*, quae in utilitatem earumdem expendi vel futuris debent *successoribus* fideliter reservari, occupare, aut in usus suos convertere quoquo modo praesumant: nisi de speciali *privilegio*, aut *consuetudine (ait)* iam praescripta legitime, seu alia caussa rationabili hoc eisdem competere dignoscatur.

alia permulta gravamina Praelatorum delatas à subditis utriusque Cleri usurpationes spoliorum, et fructuum vacantium compressurus merito decrevit, ut Episcopi, Abbates, aliique Praesules eas omnino desinerent, suis contenti iuribus (1).

XXV. De reservatis Camerae pontificiae spoliis clericorum, fructibusque vacantium Ecclesiarum constitutum nihil in eo Concilio fuit. Idem vero Clemens V., qui Romanam Sedem in Gallias iam transtulerat, duos huc Nuncios pontificios misit, Canonicum Gulielmum de Battero, et Iosephum de Bononia, eisque mandavit speciatim, ut hoc in Regno Neapolitano exigerent a cunctis Episcopis, Abbatibus, et quibuslibet ecclesiasticis census Ecclesiae Romanae quavis caussa debitos, et bona quarumvis personarum ad eam spectantia: simul collectores decimarum papalium ad rationes de illis reddendas, earumque debitores ad solutionem compellerent, implorato prius brachio saeculari (2). Nullum at verbum fecit de spoliis, et fructibus vacantibus. Robertus autem Rex Neapolitanus Caroli II. filius, quem Salomonem alterum appellabant (3), regium placitum pontificiis litteris in forma brevis concessit eodem anno **1311**, indulgens, ut Papae mandata iam dicti Nuntii exequerentur (4).

XXVI. Expilationes interea Ecclesiarum vacantium in dies gliscebant, obstrepentibus quaquaversus querelis, et contentionibus inter Praelatos, et subditos bona earum certatim subripientes, atque privilegia, consuetudinem, statuta iactantes ad colorandam usurpationem fructuum nedum vacationis tempore obvenientium, sed unius anni post vacationem novis beneficiariis exclusis. Eos proinde pontificia constitutione compescuit Ioannes XXII., iubens, ut non ultra decimam e fructibus Ecclesiarum amplius acciperent, qui ex privilegio, vel consuetudine, vel statuto integros unius anni fructus vindicabant (5).

(1) *Clement.* un. de excess. Praelator. Praeterea interdum, *ait*, iniuste Ab-
» bates, priores, ac alios beneficiatos beneficiis suis privant, ut sic *fructus* be-
» neficiorum illorum percipere valeant *primo anno* praetextu *privilegii*, quod
» asserunt se habere, quod usque ad certum tempus *fructus* beneficiorum va-
» cantium possint percipere *primi anni*. Quibus non contenti, equos, boves,
» thesaurum, et alia bona monasteriorum, et beneficiorum vacantium illicite
» occupant, quae essent futuris *successoribus* reservanda... Universis itaque
» Praelatis Ecclesiarum praesentis sanctionis edicto districte praecipiendo man-
» damus, quatenus ipsi a praedictis gravaminibus cessent.

(2) Quod varios census, annuosque redditus patrimonium B. Petri, Ecclesiaque Romana in huius Regni etiam Provinciis obtinuerit, liquet ex B. Gregorii M. epistolis, quas laudavi *lib.* 1. *Inst. Can. tit.* 22., et rebus inde gestis, et relatis in codices Regum Andegavensium.

(3) Sicuti Baldus tradit in *l.* 3. *C. de suis, et legitimis.*

(4) Ex rebus gestis Andegavensium in Codices Regiae Siclae relatis.

(5) *Ioannes XXII. in* cap. suscepti 2. de elect. *in extravag.* « Cum itaque
» in nonnullis, *ait*, Ecclesiis observetur.... quod *fructus primi*, vel *secundi*,
» aut alterius cuiuscumque sequentis *anni* beneficiorum vacantium in eisdem,
» *defuncto*, vel *fabricae*, aut *Ecclesiis*, vel *personis* habentibus *annalia* de
» *consuetudine, privilegio*, vel *statuto* applicentur in totum, statuimus de fra-
» trum nostrorum consilio, quod illi, qui *fructus* praedictos sibi hactenus *inte-*
» *gre* vindicabant ex *privilegio, consuetudine*, vel *statuto* nihil exin ultra sum-
» mam, pro qua unumquodque beneficiorum ipsorum consuevit in solutione *de-*

XXVII. Hoc autem in Regno ecclesiastica spolia, et fructus vacantes exigere pro Camera Apostolica non intermiserunt pontificii collectores, annuente Rege Roberto. Verum Carolus Dux Calabriae Roberti filius, et Vicarius generalis anno 1320. regiis litteris hortatus est Stephanum de Pino pontificium collectorem fructuum, ut se non ingereret in colligendis fructibus earum vacantium Ecclesiarum, quae ad collationem Regis patris sui pertinerent.

XXVIII. Dein Benedictus XII. Ioannis successor Avenione itidem sedens collectores heic suos creavit in primis Canonicum Neapolitanum Gerardum de Valle, cui idem Rex Robertus die 29. Decembris 1335. placitum suum concessit. Mox die 28. Novembris 1339, cunctis Regni officialibus mandavit, ut suum ipsorum auxilium, brachiumque impertirent Guilielmo a S. Paulo commissario apostolico pro colligendis tam fructibus Ecclesiarum vacantium, et spoliis ecclesiasticis Praesulum, et beneficiariorum, quam aliis Ecclesiae Romanae redditibus in perpetuum: Post anno 1341. brachium suorum quoque magistratuum indulsit Raymundo Camerato Amiensi Canonico, et Pontio Parreto Carnotensi ab eodem Pontifice huc ablegatis ad colligenda spolia Raymundi Cassanensis Episcopi, et Leonardi Episcopi Aquinatis, eorumque credita, fructus scilicet maturos, et non exactos.

XXIX. Clemens IV. 13. Kal. Iulii 1346. litteris suis Avenione datis, dum heic regnaret Ioanna I. Caroli Ducis Calabriae filia, mandavit Morerio de Moreriis Agennensi Canonico, ut bona quaelibet Raymundi Episcopi S. Pintii Thomeriarum tunc infirmi, postquam hac de vita migrasset, colligeret, servaretque fideliter arbitrio ipsius Papae disponenda, et reservata speciatim, *ne ea per quospiam alios occuparentur, aut asportarentur indebite, aut consummarentur inutiliter* (1). Fertur etiam in quodam rescripto Ioanne I. Doctor Decreti Ioannes de Pereriis Apostolicae Sedis in hoc Regno Nuntius mandatam habuisse potestatem puniendi Raynerium monachum.

XXX. Innocentius VI. anno 1352. pontificatus sui primo sibi, suaeque Sedi Apostolicae speciatim reservavit disponendi auctoritatem de bonis mobilibus, ac debitis, et creditis quorumlibet Episcoporum, Abbatumque monasteriorum omnium huius Regni Siciliae citra Pharum, quae ipsimet Episcopi, Abbatesque obitus tempore haberent, vel ad eos quomodocumque pertinerent, mandavitque Petro Archiepiscopo Beneventano, ut ea per se, vel per alios a quibusvis detenta exigeret, ac perciperet: etiamsi eadem bona, debita, et credita *ex privilegio*, *consuetudine*, vel *statuto* for-

» *cimae* taxari, percipiant... totali residuo praedicta obtinentibus beneficia remansuro. In illis vero Ecclesiis, et partibus, in quibus decimarum taxatio non » est facta, servetur quod fructus, et obventiones beneficii tunc vacantis, quod » *decimam* solvere consuevit, per medium dividantur, quorum medietatem habeat is, cui *annalium* perceptio est concessa: reliquam vero medietatem habeat is, cui beneficium est concessum pro substentatione sua, et aliis Ecclesiae oneribus supportandis ».

(1) Has litteras incipientes *perlato nuper* fert Redoanus in *appendice ad tract. de spoliis*, pag. 242.

san Ecclesiarum, et monasteriorum conventibus, aliisve quibuslibet deberentur (1).

XXXI. Ludovicus II. Dux Andegavensis Reginae Ioannae I. heres (2) fertur in charta anni 1509, ex tabulario S. Victoris Massiliae deprompta iussisse, ut Praelati solverent Camerae Apostolicae *omnia spolia defunctorum Praelatorum* secundum decreta Alexandri Papae V. in Concilio Pisis habito (3). In eo tamen Concilio an. 1409. Alexander V. dicitur notificasse omnibus per organum Archiepiscopi Pisani, *quod non intendit amodo, ut antea, reservare bona, seu spolia Episcoporum, et aliorum morientium Praelatorum* (4).

XXXII. Reservationes, quae nihilominus invaluerant, pontificias amovere Patres Constantienses decreverunt anno 1417. (5). Et Martinus V. in eodem Concilio electus Pontifex votis Patrum indulgens, *fructus*, ait, et *proventus Ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum vacationis tempore obvenientes iuris, et consuetudinis, vel privilegii dispositioni relinquimus, illosque nobis, vel Apostolicae Camerae prohibemus applicari* (6). De spoliis vero ecclesiasticis, seu bonis intuitu Ecclesiae quaesitis, et extantibus post obitum beneficiariorum, et Praesulum nil Pontifex edixit.

XXXIII. Postquam e vivis excessit Martinus an. 1431. Cardinales in eo conclave, ubi electus Eugenius IV. est, inter alia providendum censuerunt, ut Cardinalium morientium bona Apostolicae Camerae non applicarentur, sed testandi libertas iis, qui ex Ordinibus regularibus assumpti non essent, remaneret: aliorum omnium ecclesiastica spolia iuris canonici, et consuetudinis locorum dispositioni relinquerentur. Mox Eugenius IV. iuratos in conclave articulos omnes litteris suis confirmavit (7). Quum vero Alphonsus I. Aragonius ob adoptionem Ludovici III. Andegavensis a Regina Ioanna II. gestam, et a Martino V. confirmatam offensus videretur, collationibus pontificiis hoc in Regno tunc obstitit, ne spolia ecclesiastica decedentium Episcoporum, et Abbatum ea perciperet. Rebus deinde compositis, ab Apostolicae Sedis Legato Cardinale Ludovico Scarampo anno 1443: Pontifex Eugenius litteris ad Regem Alphonsum datis die 25. Septembris eiusdem anni, ei condonavit nedum praeteritos investiturae census annuos Apostolicae Sedi non solutos, sed omnes etiam pecuniarum quantitates, quas idem Rex ad illum usque diem exegerat ex bo-

(1) Innoc. VI. in litteris *incipit olim* 12. Kal. Maii 1352., apud Redoanum *loc. cit.* pag. 243.

(2) Eum in Regem Neapolitanum unxit, et coronavit an. 1382. Avenione Robertus Gebennensis Episcopus antipapa, dictus Clemens VII.

(3) Apud Carolum du-Fresne in *glossario* verbo *spolium*.

(4) Ex actis Conc. Pisani *sess.* 22. in collect. Labbaeana.

(5) Conc. Constant. an. 1417. *sess.* 39. *Per Papam*, ait, *facta reservatio, et exequutio spoliorum decedentium Praelatorum, aliorumque clericorum, gravia Ecclesiis, monasteriis, et aliis beneficiis ecclesiasticis* detrimenta intulit... *praesenti declaramus edicto, rationi fore consentaneum, et reipublicae commodum tales per Papam reservationes, ac per collectores exactiones, seu perceptiones de cetero nullimode fieri, seu attentari.*

(6) Martinus V. in eodem Conc. Constant. *sess.* 40.

(7) N. Alexander in *hist. saec. XV. cap.* 2. *art.* 4. *de Eugenio IV.*

nis, et iuribus Camerae Apostolicae, aut ex Ecclesiis, praelaturis, dignitatibus, beneficiis, et quibuslibet personis ecclesiasticis (1).

XXXIV. Sub Austriacis tandem instauratae reservationes apostolicae spoliorum, et fructuum vacantium invaluerunt consensione utriusque Potestatis. Quandoquidem Hadrianus VI. qui fuerat Caroli V. Imp. praeceptor, suum hoc in Regno Nuntium deputavit an. 1523. Hieronymum Cantelles Canonicum Neapolitanum, cum speciali mandato colligendi nedum annatas, census, et iura Camerae Apostolicae, sed spolia etiam ecclesiastica decedentium clericorum, et Praesulum. Prorex autem Carolus de Lanoy die 25. Maii 1523. regium placitum pontificiis litteris ipsius concessit, hac adiecta clausula, ut quod ad spolia ipsi Proregi reservata foret in singulis casibus maior deliberatio (2).

XXXV. Clemens VII. sequenti anno duobus suae Sedis Nuntiis, et Camerae collectoribus, scilicet Canonico Cantelles, et Hieronymo Oriliae Canonico Messanensi mandavit una cum spoliis ecclesiasticis fructus Ecclesiarum vacantium, et vacaturarum colligere, istarumque idcirco possessionem capere nomine Camerae Apostolicae. Regio tamen placito, quod eis indulsit, Prorex Andreas Carafa S. Severinae Comes die 28. Februarii 1524. excepta fuere beneficia, Ecclesiaeque tum regiae, tum iurispatronatus Baronum, et alia reservata (3). Ut autem quarta pars fructuum omnium Ecclesiarum in fabricam, aliasque necessitates per viros locupletes locorum custodienda impenderetur, indultum a Clemente VII. die 20. Ian. 1526, cum regio placito eiusdem Proregis, iam dictum superius est (4).

XXXVI. Romanus idem Pontifex regiam nominationem Episcoporum ad vigintiquatuor huius Regni Ecclesias Cathedrales Carolo V. eiusque Successoribus indulsit die 15. Iunii eiusdem anni 1527. Mox decimas super bonis ecclesiasticis die 31. Octobris eiusdem anni ei concessit, pluraque aureorum centena millia legionibus imperialibus pontificio aere persolvit. Imperator autem detrimenta Camerae pontificiae aliquantulum refecturus favit pontificiis reservationibus ecclesiasticorum spoliorum. Hinc Episcopo Aversano Scagliono Pontificis commissario Prorex Carolus de Lanoy die 22. Iulii 1527. regium placitum, nulla exceptione interiecta, largitus est pro exigendis omnibus in hoc Regno spoliis ecclesiasticorum.

XXXVII. Sed anno sequenti 1528. quum Fabium Arcellam clericum Camerae Clemens VII. Nuntium, et collectorem creasset cum expresso mandato exigendi nedum decimas, sed spolia etiam Ecclesiarum vacantium, et deinceps vacaturarum in toto hoc Regno: Princeps Arausicanus Prorex placito regio, quod ei dedit die 24. Decembris eiusdem anni, hanc adiecit clausulam: *dummodo non sint beneficia regia reservata, aut de iurepatronatus Regis, vel Baronum* (5). Eademque limitatione concessum regium placitum fuit anno 1537. litteris Pauli III, quae Suessano Episcopo suo heic Nuntio, et collectori idipsum mandaverant.

(1) Apud B. Chioccarelli *to.* 1. *arch. reg. iurisd. de investituris num.* 53.
(2) Chioccarell. *to.* 3. *tit.* 4. *n.* 1.
(3) Apud Chioccar. *ibid. n.* 2.
(4) *Cap.* 17. de fructibus *num.* 6.
(5) Apud B. Chioccarell. *ibidem n.* 6.

XXXVIII. Quum vere in dubium nonnulli revocarent, an bona, et spolia Praelatorum, aliorumque ecclesiasticorum qua saecularium, qua regularium extra claustra degentium, quae tempore mortis extarent, ad Cameram Apostolicam generatim pertinerent ex aliqua generali constitutione, propterea quod suos in multis, sed non universis Provinciis collectores Romani Pontifices deputarent: Paulus III. tandem III. Non. Ianuari 1542. constitutione perpetua declaravit, et iussit bona eiusmodi Praelatorum, clericorumque utriusque Cleri sine facultate de iis testandi decedentium ubilibet, quae iam consueverant *spolia* nuncupari, in quibusvis Regnis, ac dominiis tam citra, quam ultra maria ad Cameram Apostolicam, et non ad alios, in quibus etiam Cathedralibus, et Collegiatis, aliisque Ecclesiis, et monasteriis, ceterisque beneficiis ecclesiasticis cum cura, et sine cura, saecularibus, et regularibus spectare, et per Collectores apostolicos exigi debere (1).

XXXIX. Eamque confirmavit proximus eiusdem successor Iulius III. duabus itidem perpetuis constitutionibus anno 1550, et 1553: declarans insuper fructus beneficiorum exactos, et cum reliquis clericorum bonis profanis commixtos, et incorporatos ad liberam beneficiariorum dispositionem, ubi a Sede Apostolica ipsi obtinuerint indultum disponendi, spectare: fructus vero tam inexactos, quam non commixtos ad Cameram Apostolicam reservari debere in locis, ubi collectores adsint apostolici. Ad clericorum autem heredes profanos sive ab intestato, sive ex testamento vigore quarumcumque facultatum condito, aut legatarios nequaquam pertinere fructus maturatos in ipsorum clericorum vita, sed non exactos (2).

XL. Pro hoc tamen Regno Neapolis, in quo Paulina constitutio recepta est Iulius III. die 10. Augusti 1550. suis litteris in forma Brevis motu proprio indulsit, ne spolia Praelatorum, et clericorum Regni pro Camera Apostolica fierent, nisi eorum redditus, et proventus annuos ducatos centum attingerent, et nisi bona spolii post mortem cuiusque beneficiarii remansa ducatos mille excederent (3). Redoanus testatur praedictum Iulii III. motum proprium iam vidisse, eoque specialiter indultum, ut hoc in Regno spolia exigerentur ab heredibus Praelatorum, clericorumque defunctorum, et nulla isti molestia a collectoribus apostolicis afficerentur pro bonis praescriptum valorem non excedentibus.

XLI. Praeterea Iulius III. liberam indulsit facultatem quibusvis Praelatis, et ecclesiasticis personis Urbem Romam incolentibus, vel Curiam sequentibus, si in dicta Curia, vel districtu decesserint, disponendi, ac testandi de quibuslibet rebus intuitu etiam Ecclesiae quaesitis in favorem quarumlibet personarum: nec non trasmittendi res easdem ecclesiasticas ab intestato ad suos proximiores agnatos, et legitimos successores (4). Id

(1) Paul. III. in *const. Romani Pontificis providentia* 29. *to.* 1. Bullarii magni, *fol.* 658., quam Petrus de Matthaeis inseruit in septimo Decretalium *cap.* 1. *de spolio clericorum*. Eam in Galliis, alibique non receptam ferunt scriptores: hoc in Regno secus.

(2) Iulius III. in *const. cum sit nobis* an. 1550., et *const. dudum ex certis* an. 1553., apud *cit.* de Matthaeis *cap.* 3. septimi Decretal. *de fructuum beneficii restitutione*.

(3) Eas collaudant Chioccarellus *loc. cit.*, et Redoanus *de spoliis qu.* 1. *n.* 52.

(4) Iul. III. in *const. cupientes*, VI. Idus Martii 1550. apud Redoanum impressa *pag.* 254.

Paulo V. etiam placuit, qui clericos quoslibet cives, et curiales, sive incolas Romae a spolio exemit quoad bona in ea Urbe, eiusque districtu intra decem millia passuum consistentia ex redditibus etiam ecclesiasticis quaesita (1). Sed hanc eis constitutionem pro rebus ex illicita negotiatione congestis nil suffragari sanxit Benedictus XIV. (2). Praedictus insuper Iulius III. die 10. Iannarii 1553, motu proprio ad se avocavit caussas spoliorum coram aliis, quam Thesaurario pontificio, eiusve ministris pendentes, easque eidem Thesaurario commisit, generali spoliorum in tota Italia collectori (3).

XLII. Paulus IV. suis deinde litteris sub annulo Piscatoris datis die 8. Ianuarii 1555. deputavit Hieronymum Fuscarium Episcopum Torcellanum Camerae Apostolicae thesaurarium in collectorem generalem spoliorum in tota Italia cum facultate compellendi per censuras, componendi, et concordandi, quietandi, et absolvendi. Tum aliis litteris die 21. Octobris 1557. datis cognitionem caussarum super spoliis in tota Italia delegavit Christophore Cincio suo thesaurario generali, et spoliorum in tota Italia collectori. Idemque Pontifex die 16. Martii 1658, indulsit spolia in favorem Camerae Apostolicae locum hoc in Regno non obtinere in beneficiis annuos ducatos auri quinquaginta non reddentibus, neque in bonis clericorum. quae ducentos auri non exuperarent (4).

XLIII. Tum Pius IV. Nonis Februariis 1560. confirmavit, et innovavit, privilegia incolarum, et curialium Urbis super libera facultate disponendi. Deinde per bullam Idibus Martiis eiusdem anni facultatem testandi, quam de qualibet summa Episcopis officia scriptoris Sedis Apostolicae obtinentibus largitus fuerat Iulius III. reduxit ad summam ducatorum sexmillium, antea ipsis a Paullo III. concessam (5).

XLIV. Bona insuper a clericis quibuslibet per illicitam negotiationem quaesita spolio ecclesiastico subiecit Pius IV. (6). Idem vero quum exemisset ab sanctione sua Praelatos, et clericos quoslibet, qui speciale indultum testandi ab Apostolica Sede obtinuerint (7): hanc posteriorem eius constitutionem abrogans maluit cunctos etiam indultum testandi habentes de bonis interdicta negotiatione comparatis disponere numquam posse, easque ad Cameram Apostolicam iure spolii pertinere (8).

XLV. Insuper Pius IV. primis iam dictis litteris Franciscum Odescalcum creavit collectorem generalem spoliorum ad Cameram Apostolicam pertinentium in tota Italia super quibuslibet generatim rebus mobilibus, et immobilibus, ac semoventibus clericorum, qui beneficia obtinuissent sive simplicia, sive cum administratione, cum facultate compellendi censuris quoscumque debitores, auxiliumque brachii saecularis, si opus fuisset, implorandi: nullamque adhibuit distinctionem valoris annui bene-

(1) Paul. V. in *const. in eminenti.*
(2) Bened. XIV. die 25. Febr. 1741. in *const. apostolicae* 1340. t. Bull. sui.
(3) Videsis Iulii III. litteras impressas apud Redoanum, *pag.* 256.
(4) Apud Chioccarell. et Redoan. *ibidem.*
(5) *Ibidem.*
(6) Pius IV. in *const. decens esse.*
(7) Idem in *const. Romanus Pontifex.*
(8) Benedict. XIV. in *cit. const. apostolicae* § 4.

ficiorum, sed immo contrariis Sedis Apostolicae praeviis constitutionibus expresse derogavit (1).

XLVI. Idem quoque Pontifex litteras in forma Brevis dedit die 26. Maii 1560, quibus ex proborum, et fide dignorum hominum relatione accepisse profitetur quamplurimos Praelatos, presbyteros, et alias ecclesiasticas personas diversarum Provinciarum, et praesertim Regni Neapolitani, nullo Sedis Apostolicae indulto suffultos temeritate propria, et forsan ad suorum importunam suggestionem impulsos in eorum ultimis voluntatibus testamenta sua condidisse, ac donationes, seu legata, aut codicillos faciendo de bonis suis diversimode disponere ausos fuisse, licet id facere nullimode possint, nec debeant in Camerae Apostolicae grave, et maximum damnum. Ut autem dictae Camerae indemnitati consuleret, singula testamenta, donationes, et quascumque alias dispositiones ultimae voluntatis titulo per quoslibet Episcopos, vel personas ecclesiasticas facultatem a Sede Apostolica non habentes, in favorem quoque piorum locorum factas de rebus ecclesiasticis, nullas esse, et irritas declaravit, deputavitque collectorem generalem in universa Italia Franciscum Odescalcum ad res ecclesiasticas eiusmodi exigendum, contrariis quibuscumque non obstantibus, et praesertim Provinciarum, locorum, dominorumque Regni Neapolis, et praesertim pauperum incurabilium, et aliorum piorum locorum cuiusvis civitatis, etiam Neapolis, iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, et indultis (2).

XLVII. Mox aliam sub annulo Piscatoris constitutionem tulit die 7. Decembris 1550, qua universos fructus omnium beneficiorum saecularium, et regularium in Regno Neapolis, et quibusvis eiusdem Provinciis per obitum, aliove quovis modo, praeterquam per cessum illa obtinentium, pro tempore vacantium a die vacationis pro rata temporis usque ad diem possessionis novi beneficiarii, vel Praelati ad Cameram Apostolicam reservavit, et applicavit, quatenus a Paullo Odescalco tunc huius Regni Nuntio apostolico, et collectore, et successoribus collectoribus exigi deberent (3). Eamque iisdem fere verbis S. Pius V. confirmavit (4). Sanxit etiam Pius IV., 17. Kal. Decembris 1564. ad Cameram Apostolicam in u-

(1) Redoanus in *cit. qu.* 1. *num.* 52. testatur aevo suo spolia indistincte per Cameram Apostolicam exacta hoc in Regno fuisse vigore Brevium Pii IV. cum clausulis derogatoriis, neque obstitisse antecedentes litteras Iulii III., et Pauli IV. in forma Brevis etiam expeditas.

(2) In aliquibus huius Regni Ecclesiis consuetudinem viguisse, quod clerici decedentes ab intestato etiam ad suos heredes consanguineos transmitterent fructus praebendarum pendentes, et post eorum obitum recolligendos, contestantur Andreas de Isernia *in usibus feudor. lib.* 3. §. *is consequenter*, Innocentius in *cap. relatum de testam.*, *et cap. fin. de pecul. clericor.* Geminianus in *cap. praesenti de offic. Ord. in VI.*, et Redoanus *de spoliis qu.* 4. *num.* 22. Sed posterioribus ea constitutionibus pontificiis usu receptis abrogata est. In statu Mediolani, et Hispania fructus inexactos beneficiorum ex consuetudine ad heredes transmitti, Rota probavit coram Coccino *dec.* 476., et Card. de Luca *disc.* 100. *num.* 9.

(3) Pius IV. in *const.* apud Redoanum impressa.

(4) S. Pius V. in *const. cupientes* 26., edita die 8. Ian. 1567. *to.* 2. Bullar.

troque foro pertinere omnes beneficiorum fructus, quae per confidentiam simoniacam obtineantur, animo scilicet resignandi, et transferendi ea ad favorem certae personae per illicitam exercendae beneficentiae viam in fraudem apostolicarum constitutionum (1).

XLVIII. Tum S. Pius V., III. Kal. Septembris 1567, nullam generatim disposuit favore Ecclesiarum, et pro moderanda spoliorum exactione. I: videlicet omnia. et singula ornamenta, et paramenta, vasa, missalia, gradualia, et libros omnes cantus, aliasque res sacras etiam auri, et argenti, et bona quaelibet ad usum, et cultum divinum etiam in privatis decedentium clericorum aedibus, et capellis, vel oratoriis destinata, tempore eorum obitus ex testamento, vel ab intestato relicta ad singulas Ecclesias, et monasteria, et beneficia eorumdem decedentium clericorum, non vero ad Cameram Apostolicam pertinere. II: Pariter scamna, cathedras, arcas, mensas tam ligneas, quam lapideas, dolia, et vasa vinaria vacua, et domestica suppellectilia, sub spoliorum appellatione minime comprehendi. III: Nec quidquam a quibusvis spoliorum Camerae collectoribus exigi posse super relictis bonis clericorum, qui annuos triginta ducatos auri de camera ex beneficiis, vel pensionibus ecclesiasticis non excesserint: dummodo tamen se ab omni illicita negotiatione abstinuerint (2).

XLIX. Nullum videtur obstaculum ab regia potestate interiectum exequendis hoc in Regno recensitis constitutionibus, litterisque Pauli III, Iulii III, Pauli IV, Pii IV, et S. Pii V. Enimvero B. Chioccarellus enarrans placita regia Nuntiis eorumdem Pontificum simul, et collectoribus apostolicis concessa, nimirum Bartholomeo Capiblanco Litterensi Episcopo an. 1541., Berardino Sandrio an. 1560; Nicolao Episcopo Savonae an. 1561, Antonio Episcopo Nolano an. 1565., Cypriano Pallavicino S. Pii V. a secretis, Ianuensi Archiepiscopo an. 1566., nullam refert superadditam clausulam, seu limitationem. Praefato solum Episcopo Nolano edictum an. 1565. scribit, quod mandata, et munia exequeretur *contra personas ecclesiasticas tantum*. Cumque S. Pius V. in sui Pontificatus initiis an. 1568. iam dicto Odescalco Nuntio, et collectori suo inter alia mandasset speciatim, ut possessionem beneficiorum omnium hoc in Regno vacantium, quae ad regiam collationem, vel praesentationem pertinerent, ingrediens, fructus eorumdem exigeret, eosque mox traderet novis beneficiariis regias collationis, vel praesentationis litteras exhibituris (3): regium ipse placitum sine ulla pariter exceptione obtinuit die 24. Febr. 1568.

L. Praeterea Gregorius XIII. iura Camerae pontificia in spoliis firmare potius, quam diminuere studuit, perpetuamque edidit constitutionem die 21. Ianuari 1577., qua declaravit secundum Pauli III., aliorumque praedecessorum Pontificum litteras Cameram Apostolicam in spoliis ecclesiasticis Regularium quoque extra claustra degentium, etiamsi dignitates, et

(1) Pius IV. apud Redoanum in *const. Romanum Pontificem*. Videsis quae dixi *lib.* IV. *Inst. Can. tit.* 16. *de simonia*, num. 32., *et seq.*

(2) S. Pius V. in *const. Romani Pontificis* 42., apud Redoanum impressa ex *to.* 2. Bullarii M.

(3) Apud Chioccarell. *cit. to.* 3. *tit.* 4. *num.* 11.

praebendas in Ecclesiis saecularium obtinuissent, vel episcopali fuissent dignitate, post eorum obitum universaliter succedere, et res quascumque sive mobiles, sive immobiles undecumque, et quomodolibet quaesitas post obitum Episcoporum etiam regularium, et quorumvis regularium extra claustra decedentium relictas, ad Cameram ipsam indistincte pertinere; abrogatis Pii IV., et Pauli IV. constitutionibus paulo ante dictis, quae bona eorumdem Regularium monasteriis, ubi suam ii emiserant professionem, applicasse ad tramites iuris communis putabantur (1).

LI. Sub Xysto V., qui summum iniit pontificatum anno 1585. regia Camera Summariae eodem anno 1585. censuit in Ecclesiis tunc vacantibus Puteolorum, Materae, et Cotroni, quae ad regiam nominationem plane pertinent, fructus omnes maturos, recollectos tamen, et a solo separatos tempore mortis Episcoporum spectare ad Cameram Apostolicam, et pro ea ad Nuntium pontificium, licet fructus nondum essent repositi in horreis, vel uva non fuisset conversa in vinum, et oliva in oleum, et adhuc essent in area. Verum si fructus fuissent maturi, et pendentes, sed non recollecti: censuit illos non facere spolium, sed spectare ad successorem futurum in beneficio, ex consuetudine antiqua. Quod vero ad pensiones domorum, locationesque molendinorum, herbarum, et similium, ex quibus fructus percipiuntur quotidie, spectare usque ad diem mortis ad Cameram Apostolicam, tamquam heredem Praelati; post mortem vero ad successorem in beneficio (2). Ex antiqua igitur consuetudine, quam pontificiae constitutiones hactenus expositae invexerunt, regiorum tribunalium sententiis obfirmata, in beneficiis, et Ecclesiis omnibus etiam regiae nominationis hoc in Regno Camera Apostolica spolium per collectores suos habuit, res nimirum extantes post obitum cuiusque beneficiarii, et quotam fructuum ad diem usque mortis: reservatis cuique novo Praesuli, et beneficiario regiarum Ecclesiarum fructibus vacantibus a die obitus.

LII. Quae tamen ad regiam collationem pertinent pleno iure beneficia, in eis nulla penitus exactio spoliorum a collectoribus pontificiis facta est. Quapropter in dignitatibus, et canonicatibus Ecclesiae Lucerinae (3) locum non esse spolio decreverat etiam Commissarius apostolicus anno 1547., eiusque sententiam retulit Capellanus Maior die 26. Iunii 1587.

LIII. Interea temporis exoptata de spoliis concordia prospere successit. Huc advenit anno 1585. Ioannes Angelus Aegyptius binis Xysti V. litteris in forma Brevis instructus ad varia gerenda Camerae Apostolicae negotia: regiumque placitum pro utrisque obtinuit die 31. Ianuari, et 9. Augusti eiusdem anni hac plane clausula limitatum: *quoad personas ecclesiasticas tantum, dummodo non operetur directe, vel indirecte contra personas laicas; neque super praelaturis, et beneficiis, monasteriis, hospitalibus, et capellaniis, quae sunt sub protectione regia* (4).

(1) Greg. XIII. in *const. officii nostri* 49. *to.* 2. Bull. M., et in septimo Decretal. *cap.* 3., *et* 4. *de spolio clericor.*

(2) Hanc regiae Camerae Summariae consultationem habet B. Chioccarell. *to.* 3., et collaudant Regens de Ponte *dec. num.* 13., Regens de Marinis *lib.* 1. *de resol.* 152. *n.* 15., Regens de Curte in *divers. feud. par.* 3. *cap.* 3. *num.* 15.

(3) Huius Ecclesiae canonicatus ab Rege nostro alternis cum Episcopo vicibus conferri palam est ex supradictis *cap.* 7. *num.* 25.

(4) Ex Chioccarell. *loc. cit.*

LIV. Aegyptius iste impiger Provincias Regni peragratus pronos iam animos regnicolarum flexit, incenditque ad ineundas cum Apostolica Sede transactiones de spoliis hoc pacto, ut qui Apostolicae Camerae annuam pecuniae quotam persolverent pro spolio composito, indulto ii apostolico fruerentur nedum testandi, ac disponendi de bonis quibuslibet intuitu Ecclesiae quaesitis, sed ea ad profanos etiam heredes ab intestato transmittendi, nullam deinceps molestiam neque a collectoribus pontificiis, nec a novis beneficiariis passuros amplius. Precibus inde Capitulorum cathedralium fere omnium id expetentium pro Canonicis, simul et beneficiariis, cuiusque dioecesis annuit Xystus V. Publicis tandem instrumentis per solemnem stipulationem Romae confectis cum Camera Apostolica, praeviis Papae cedulis, ut aiunt, Capitula singula Ecclesiarum cathedralium spoponderunt certam pecuniae quantitatem (1) pro spolio Canonicorum, et beneficiariorum omnium totius dioecesis composito persolvere quotannis Camerae Apostolicae, et exigendi a cunctis totius dioecesis beneficiariis annuas eiusdem spolii quotas, habita ratione redditaum uniuscuiusque partiendas, in ea summa communi comprehensas, et vicissim Apostolica Sedes praeoptatum indultum testandi, atque ad heredes profanos ab intestato etiam transmittendi spolia ecclesiastica universis tam Dignitatibus, et Canonicis Capitulorum transigentium, quam beneficiariis inferioribus dioecesum compositarum largita est, exceptis tantum rebus illicita negotiatione quaesitis, quoties iudicium de hisce rebus illicite quaesitis incoeptum rite fuerit ante obitum eorumdem clericorum, alias contra heredes ipsorum non liceret actionem propterea intentare. Verum Xystus ipse V. litteris ad Nuntium heic suum Glorierium datis die 16. Aprilis 1590. declaravit, quoties constiterit perinde in vita, ac post obitum clericorum res in spolio clericali iam extantes ex illicita negotiatione obvenisse, pactum eiusmodi transactionis heredibus nil suffragaturum (2).

LV. Nonnullae tamen adhuc sunt in Regno dioeceses, quarum Capitula, Clerique nullam de spoliis transactionem inierunt, ubi ius pristinum idcirco viget spolii realis post obitum cuiusque ex Canonicis, et beneficiariis: videlicet Sulmonensis, et Valvensis, Sorana, et Aquinas (3). Qui vero ex beneficiariis harum dioecesum suos ex testamento, vel ab intestato heredes eximere maluissent a futuris post obitum molestiis Camerae Apostolicae bona spolii vindicaturae, peculiarem pro seipsis transactionem ineundi cum R. Camera libertas data eis etiam est, et datur adhuc (4).

(1) Scilicet Capitulum Neapolitanum annuos ducatos Regni 400, Aversanum duc. 495, et asses 55, Salernitanum duc. 300, Caveuse duc. 40, Acerranum duc. 20, Muranum duc. 70: aliam cetera quantitatem congruam conditioni locorum, et proventibus ecclesiasticis.

(2) *Xystinae epistolae exemplum fert Steph. Quaranta in* summa bullarii *verb.* spolia clericorum.

(3) In his quatuor dioecesibus ergo subcollectores apostolici spolia realia post mortem cuiusque beneficiarii colligunt pro Camera Apostolica, ad normam instructionum, quas nuper typis Mucianis recudit Sedis Apostolicae Nuntius novissimus Iosephus Lucatellius Archiepiscopus Carthaginensis.

(4) In dioecesi Sorana personales eiusmodi transactiones pro spolio composito stipulati nuper sunt Sabbatus Bevilaqua Parochus terrae Galliuari, Menna Cellius Abbas curatus S. Mariae, et S. Angeli de Posta, simul beneficiarii Ec-

LVI. Naturam contractus onerosi ultro, citroque obligantis inesse iam dictis spoliorum transactionibus utique patet: easque libero, et spontaneo consensu Capitulorum inhaerentibus clericis doecesanis gestos fuisse. Exinde consequitur, quod ii dumtaxat ecclesiastici sentiant ex indulto speciali commodum testandi de rebus quibuslibet intuitu Ecclesiae quaesitis, qui pro spolio transacto sentiunt incommodum annuae contributionis, ceteri secus. Nam individuum transactionis contractum scindere non licet: nec frui apostolico indulto testandi per eam obtento quisquam poterit, qui onus ea impositum annuae solutionis respuat. *Non enim debeo melioris conditionis esse, quam actor meus, a quo ius in me transiit* (1).

LVII. Fructus pendentes, nimirum a mortuis beneficiariis non exactos, quamvis maturos, non complectitur ea spolii transactio. Nam contendentibus Clericis dioecesum compositarum, eorumque heredibus, quod pendentes beneficiorum fructus maturi, et inexacti, atque a solo non separati, ad seipsos exclusa Camera Apostolica pertinerent: Xystus idem V. litteras sub annulo Piscatoris dedit die 1. Ianuari 1589, iisque declaravit, et sanxit: *omnes, et singulos fructus, redditus, et proventus quorumcumque beneficiorum ecclesiasticorum cum cura, et sine cura, saecularium, et regularium in hoc Regno consistentium, quocumque mense pro tempore vacantium*, *tam* ante obitum *illorum possessorum* pendentes, *et* maturatos, *ac etiam a solo minime* separatos, *seu nondum* exactos, quam etiam post *eorum* obitum *usque ad diem* captae possessionis *dictorum beneficiorum per successores in eis* maturandos, *seu* decurrendos, *pro* rata temporis *a die adeptae possessionis eorumdem beneficiorum ad ipsam Cameram nostram* (ait) *spectare, illosque eidem Camerae applicatos esse, et per ven. fratrem* Ioannem Patritium *Archiepiscopum Seleuciae modernum, et pro tempore existentem Nuntium Apostolicum in Regno praedicto pro eadem Camera, et eius nomine percipi, exigi, et levari, ac etiam pro faciliori illorum exactio, si videbitur, in fine anni cum successoribus in dictis beneficiis computari, dividi, et illorum sic divisorum... ratas partes... respective tangentes etiam percipere, exigere, et levare posse, et debere: ac de cetero* perpetuis futuris *temporibus, ita et non aliter in praemissis observari volumus, ac etiam* perpetuo *statuimus* (2). Tum Urbanus VIII. an. 1625. fructus pendentes numquam ad heredes, aut legatarios beneficiariorum transmitti declaravit, sed ad Cameram Apostolicam pertinere (3).

LVIII. Episcopos, Abbates, Praelatos inferiores transactionis eiusmodi constat numquam participes fuisse. Hinc propria eorum spolia, seu res omnes post obitum ipsorum extantes una cum quota fructuum omnium recolligendorum usque ad diem obitus consueverunt usque ad an. 1693. pro Camera pontificia subcollectores exigere in cunctis Ecclesiis episcopalibus, et abbatialibus ad regiam quoque nominationem, et praesenta-

clesiarum S. Andreae, S. Michaelis, et S. Mariae Civitae terrae Arpini, et S. Simonis terrae Alviti. Tum in dioecesi Aquini Marcus Gallinellus canonicus Roccae Siccae, ceteri.

(1) Paulus ait in *l. in his* 175. *D. de Reg. Iur.*

(2) Xystus V. in *const. cum sicut accepimus* 1. Ian. 1589., impressa ad calcem *Instruct. pro subcollector.*

(3) Urbanus VIII. in *const. aeternus rerum Conditor* 80., die 5. Aprilis, 1628.

tionem pertinentibus. Quandoquidem anno 1663. regalis iurisdictionis Delegatus, auditis partibus, et re cognita ad regium Oeconomum vacantis archiepiscopalis Ecclesiae Salernitanae, in qua Rex noster ius nominandi habet, litteras dedit iubentes, ut pendentium fructuum, et civilium, et naturalium ratas usque ad diem mortis Archiepiscopi consignaret Commissario Nuntiaturae Apostolicae: quotas vero fructuum naturalium scilicet *frumenti*, et *frugum* supputaret a primo die Septembris, *vini* ab initio Novembris, *olei*, et *fructuum hyemalium* a primo die Decembris, *herbas aestivas* ab initio Aprilis, *hyemalis* ab initio Octobris. Bene statuta haec tempora observare simul cousuevit Nuntiaturae tribunal in eliquandis etiam ratis portionibus fructuum vacantium ad Cameram Apostolicam a die vacationis usque ad possessionem novi cuiusque Episcopi, et beneficiarii spectantibus in quibuslibet Eccleslis, et beneficiis: dummodo excipiantur quae sunt de iurepatronatus regio, vel baronali: spolia vero ecclesiastica decedentium clericorum, ex beneficiis etiam regiis, et baronalium quaesita, pontificiis subiecta reservationibus, et dispositionibus manerent.

LIX. Ad regiam solummodo collationem pertinentia beneficia maluit Potestas Regia ab omni iure spolii, atque a cunctis Sedis Apostolicae reservationibus excipere, ut recitatae clausulae regiis adiectae placitis Nuntiorum, et collectorum Sedis Apostolicae patefaciunt (1).

LX. Innocentius XII. Neapolitanus inopiam Ecclesiarum huius Regni suis oculis exploratam. et asperitates Camerae Apostolicae subcollectorum experimentis deprehensas aegro ferens animo censuit iura Camerae Apostolicae in spoliis Praelatorum huius Regni ab suis praedecessoribus constituta fore penitus abolenda, ut pristina iura Ecclesiarum redintegraret secundum canones constitutione perpetua anno 1693. concesso Praelatis arbitrio disponendi in utilitatem Cathedralium suarum, et parochialium dumtaxat: *Motu proprio*, inquit, *ab omni*, *et quocumque iure*, *quod ad* Cameram *nostram Apostolicam ex antiquissima* consuetudine, *et* constitutionibus *apostolicis hactenus spectasse dignoscitur, percipiendi, exigendi, et assequendi quascumque* pecunias, *res*, *effectus*, *iura*, *semoventia*, *et bona etiam stabilia cuiuscumque pretii, valoris, speciei, qualitatis, et quantitatis, per Archiepiscopos, Episcopos, et Praelatos inferiores, etiam ex Ordinibus regularibus assumptos*, *ex redditibus, fructibus, et proventibus suarum* Ecclesiarum *quomodocumque vere*, *et proprie adquisita*, apolia *nuncupata: necnon* fructus *naturales a solo* separatos, *et civiles tempore mortis perceptos*, *seu* exactos *ex redditibus praefatarum Ecclesiarum etiam inconsumptos*, *et* incommixtos, *non tamen* pendentes, *seu* inexactos, *specialis dono gratiae perpetuis futuris temporibus dictos Archiepiscopos*, *Episco*-

(1) Ex supradictis: Valenzuola *to.* 2. *const.* 196. *num.* 59. idipsum tradit. *Sic passim fuit observatum*, ait, *et observatur in Regno Neapolis, ita ut in omnibus beneficiis cuiusvis qualitatis etiam simplicibus existentibus ad collationem Regis ex praedicto privilegio apostolico collector apostolicus non habet aliquod ius pro spoliis, prout de hac diuturna observantia adtestatur Iacobus Antonius Maurus iurisconsultus Neapolitanus* alleg. 34. in fine: *ea plene constant ex registris litterarum executorialium*, *quae conceduntur in eodem Regno commissionibus collectorum apostolicorum*, *in quibus excipiuntur Praelaturae*, *Abbatiae*, *dignitates et beneficia*, *quae sunt de iurepatronatus regis.*

pos, *et Praelatos inferiores Regni praefati omnino* eximimus, *et liberamus... ad effectum tamen*, *et non alias*, *ut praemissa omnia*, *et singula ad praefatas metropolitanas*, *aliasque* Cathedrales, *et reliquas*, *quibus praesederint*, *illisque non indigentibus*, *ad* parochiales *Ecclesias eorum regimini commissas spectare*, *ac ad earumdem favorem*, *et in* utilitatem *cedere*, applicari, *converti*, *seu erogari debeant*. *Praefatis tamen Archiepiscopis*, *et Praelatis*, *ut congruos* usus, *applicationes*, *et erogationes in utilitatem huiusmodi Ecclesiarum* designare *valeant*, *permittimus*, *indulgemus*, *et opportunam facultatem concedimus*. *Quod si ad huiusmodi dispositionem devenire noluerint*, *vel nequiverint... adhuc praemissa omnia in utilitatem earumdem Ecclesiarum prudenti Praelatorum* successorum arbitrio *cum suorum* Capitulorum consilio *applicanda esse mandamus* (1). At firmas, et illibatas fore voluit constitutiones Pii V. super rebus sacris, et ornamentis ad Ecclesias spectantibus, Iulii III. Xysti V. et Urbani VIII. super fructibus pendentibus, vel inexactis, tum Pii IV, et Xysti V. super fructibus vacationis tempore obvenientibus.

LXI. 1. Constitutionem hanc Innocentii XII. pro rebus spolii extra hoc Regnum, praesertim Romae existentibus non suffragari Ecclesiis viduatis Camerales contenderunt in caussa spolii Squillaciensis anno 1694, et Thesaurarius apostolicus id Innocentium quoque sensisse asseverabat ex vivae vocis oraculo ipsius (2). Tum Clemens XI. an. 1720. loca montium Romanorum sexaginta in spolio Francisci de Aste Archiepiscopi Hydruntini remansa adiudicavit Camerae Apostolicae, exclusis Capitulo Hydruntino, et Barone de Aste defuncti Archiepiscopi germano. Sub eodem Clemente XI. interpretes adstruere nitebantur locum Innocentianae huic bullae tunc esse, quotiescumque suam intra dioecesim Praelati obirent. Iis vero extra dioecesim decedentibus, spolia ipsorum, fructusque perceptos, posthabitis eorumdem dispositionibus, novi Praesules arbitrium sibi arrogabant disponendi ad libitum, adeo ut Ecclesiae vel nihil, vel parum utilitatis exinde capesserent.

LXII. Benedictus XIII. controversias eiusmodi definiens statuit iam dictam Innocentii constitutionem de spoliis decedentium in hoc Regno Praelatorum integrum, et plenarium effectum obtinere perpetuo debere, etiam quoties ipsos extra fines Ecclesiarum, dioecesumque suarum obire contigerit (3). Idemque Pontifex damnavit, et proscripsit opinionem, et abusum eorum qui sibi licere putabant in fraudem Ecclesiarum suarum inter vivos disponere de bonis, et iuribus ex redditibus Ecclesiarum suarum adquisitis, seu obvenientibus; eaque donare, seu aliter alienare, et distrahere, reservatis sibi, quamdiu in humanis egissent, bonorum eiusmodi fructibus, seu usu, et commoditate earum rerum, quas donatione, vel alio contractu inter vivos nuncupato a se abdicassent (4).

LXIII. Tandem Benedictus XIV. praeproperas rerum episcopalium contractiones, viventibus adhuc Praesulibus attentatas ab Ecclesiarum

(1) Innoc. XII. in *const. inscrutabili*, edita 3. Kal. Febr. 1693.

(2) At nullius momenti habenda talis assertio est, quum leges generales non oretenus, sed rescripto legislatoris abrogentur, *l.* 1. *C. de mandatis Principum*.

(3) Bened. XIII. in *const. Romanum decet Pontificem* die 12. Octobris 1726.

(4) Bened. XIII. in *cit. const. Romanum decet Pontificem*.

Capitulis, et Canonicis removendi studio, simul et fraudes Ecclesiis detrimentosas, vetuit constitutione perpetua Capitulis, et curatoribus spoliorum huius Regni, ne Praelatorum viventium, quamvis lethali morbo affectorum, res, et bona praeoccupare, aut sequestro dare audeant sub specie securitatis, nec ipsorum decumbentium domesticos, familiares, aliosque servientes vexare, aut molestia afficere, neque usu, et commoditate rerum suarum eosdem vivos Pastores ullatenus privare, quorum animos tunc perturbare impium est. Vicario solum aegrotantis cuiusque Antistitis custodiam rerum mobilium, ea ne subripiantur, demandavit, ipsas in uno, pluribusque cubiculis, quae clavibus obserata sigillo episcopali communiantur, concluso coram duobus testibus, publicoque notario, qui desuper instrumentum conficiat. Post obitum Praesulis iussit, ut claves obsignatorum cubiculorum Vicarius generalis Vicario Capitulari, et Canonicis ad id deputandis tradat in praesentia eiusdem notarii, et testium: mox curatoris, ut inventarium rerum omnium, seu descriptio fiat, quas aestimare inde debeant periti. Dein cavit, ne quid rerum spolii alienetur ante novi Praesulis adventum, praeterquam quae servando servari non possunt: sed cuncta serventur in cubiculis Vicarii Capitularis sigillo obsignatis, et obseratis, quorum claves notarius deinceps detineat. Denique post captam a novo Praesule possessionem res omnes vendantur pretio a peritis aestimato, in necessitates, et restaurationem Ecclesiarum episcopalium, seu abbatialium erogando, aut his non indigentibus, in utilitatem parochialium egenarum. Novus autem Antistes in eisdem emendis, quas sibi usui fore conspexerit, praeferatur soluto eodem pretio a peritis definito. Idemque diligenter inquirat, an a Vicario Capitulari, et aliis a Capitulo deputatis praedicta omnia rite, ac recte gesta sint, in delinquentes pro modo culpae animadversurus (1).

LXIV. Idem quoque Benedictus XIV. sanxit quoslibet a spolio exemptos Praelatos, officiales, clericosque saeculares, aut regulares, cives etiam, et curiales, seu incolas in Urbe, Curiaque Romana decedentes, qui testandi, et quomodolibet disponendi, vel suos ad consanguineos ab intestato transmittendi, indultum speciale Sedis Apostolicae, vel suorum officiorum privilegio, aliove quovis titulo illud habeant, non suffragari quodvis tale indultum, ac privilegium, *quod ad bona ex illicita negotiatione provenientia*, quamvis ea in Urbe etiam, eiusque districtu existant: sed ea Camerae Apostolicae iure spolii vindicavit, abrogatis Pii IV., et Pauli V. contrariis constitutionibus (2).

LXV. Operae nunc pretium est consectaria ex recensitis canonibus, constitutionibus pontificiis, regiis placitis, moribus nostris, rebusque gestis colligere usui profutura. Hoc in Regno in primis Episcopi, Praelatique inferiores nullum testandi indultum adepti, nec privilegio, nec oneroso transactionis titulo spolia sua, resque omnes intuitu Ecclesiae quaesitas in obitu suo ad Ecclesias, quibus ipsi praefuerint, ipso iure trans-

(1) Bened. XIV. in *const. pastoralis sollicitudo*, 28. Aprilis. 1756. Postremo huiusce constitutionis articulum in Concilio Tridentino statutum commonet *cap.* 16. *sess.* 25. *de reform.* Adde Conc. Chalced. in *can. non liceat* 43. *C.* 12. *qu.* 2., et Bonif. VIII. in *cap. quia saepe* 40. *de elect. in* VI.

(2) Bened. XIV. in *const. apostolicae servitutis* 13. *to.* 1. *Bullarii.*

mittunt ab intestato. 2: de iisdem rebus ipsi arbitrium habent disponendi usum in utilitates dumtaxat earumdem Ecclesiarum, vel Cathedralium, vel Parochialium secundum constitutiones Innocentii XII; et Benedicti XIII; et XIV. 3: hac spolii realis lege obstringuntur Episcopi omnes, nedum libera Papae electione, sed regia etiam nominatione promoti. 4: nequeunt vero de rebus eiusmodi inter vivos etiam disponere in fraudem Ecclesiarum favore cuiuslibet, reservato sibimetipsis, quoad vixerint, usu. 5: qui tamen privilegio Praelati solio pontificio adsistentis potiuntur, ii facultatem habent disponendi inter vivos, et caussa mortis, ac testandi sine solemnitatibus etiam Iure civili statutis in favorem cuiuslibet, posthabitis Ecclesiis, de mille ducatis auri de Camera, quique officium Scriptoris Apostolicae Sedis obtinent, de sex millibus ducatorum auri disponunt, tam super fructibus maturatis, et inexactis, quam suis episcopalis spolii rebus (1): si vero ii ab intestato decesserint, ad ecclesiastica tantum spolia succedit Ecclesia, ad profana matrimonii bona heredes legitimi. 6: S. R. E. Cardinales generatim privilegio ampliori potiuntur testamenta condendi sine solemnitatibus, et legandi ad libitum spolia sua universa ecclesiasticis fructibus quaesita, iis tamen exceptis, qui ex Regularium Ordinibus adsumuntur (2): sed ab intestato morientes ea ad suas Cathedrales, principalesque alias Ecclesias transmittunt.

LXVI. Omnes autem ecclesiastici abbatias, dignitates, canonicatus, praebendas, beneficia quaelibet in dioecesibus huius Regni compositis obtinentes, qui certas dum vivunt annuas quotas spolii transacti solvunt Camerae Apostolicae, seu Canonico per Capitulum cuiusque Cathedralis Ecclesiae deputato, indulto quidem amplissimo utuntur, et testandi, et ab intestato transmittendi ad suos consanguineos, legitimosque heredes bona omnia ex proventibus ecclesiasticis quaesita, fructusque beneficiorum suorum perceptos dumtaxat, et exactos: eorumque profani heredes, ac legatarii quoad eiusmodi spolia, et fructus ecclesiasticos tuti, immunesque omnino sunt a molestiis tam Ecclesiae, novorumque beneficiariorum, quam Camerae Apostolicae.

LXVII. Ut omnibus vero, et singulis clericis indultum istud suffragetur quaesitum oneroso titulo transactionis, seu contractus nomine omnium in Romana Curia concelebrati: ratio postulat, ut omnes, et singuli beneficiarii quotas pro beneficiis suis semel taxatas reapso contribuant, ii etiam, qui ex personali privilegio exemptionem a spolio reali per accidens obtinuerint: puta Romani cives, incolae, et curiales, ceteri id genus. Aequum porro, et iustum videtur, ut cuncta beneficia praedictarum dioecesum tempore transactionum sub Xysto V. taxata consentientibus tunc possessoribus ad spolii compositi ratas contribuendas transeant cum onere

(1) Huiusmodi privilegio Praelatorum Solio pontificio adsistentium consuevit Regia Potestas placitum suum hac lege dare, ut valeat episcopale testamentum sine Iuris civilis solemnitatibus factum de rebus tantum spolii, et Iuris ecclesiastici: quod vero ad profana Episcoporum bona, secus ad heredes ipsorum legitimos ab intestato spectantia, quoties dispositio episcopalis ex defectu solemnitatum irrita secundum leges videbitur. Id quod liquet ex relationibus Curiae Capellani Maioris super placito regio a Praelatis ipsis expetito.

(2) Ex *art.* V. compactorum in conclavi Eugenii IV., quae Cardinales iuraverant, firmavitque mox Eugenius pontificio diplomate.

isto proficuo in successores quoslibet beneficiarios: quum istorum quodvis privilegium personale, ac varium aliis communis transactionis consortibus nocere non debeat, nec quotae onus istis augere, nec annuam spoliorum exactionem cum Apostolicae Camerae detrimento reddere difficiliorem (1).

LXVIII. Hac ipsa ratione visa est nulla tenuitas fructuum excusare quempiam ex beneficiariis, aut eximere a rata spolii quotannis persolvenda. Nam Xystus V. Capitulis, quae de spoliis transegerunt, quum generatim induisisset potestatem exigendi congruas ratas super omnibus, et singulis beneficiis propriae dioecesis sine ulla exceptione tam exiguis, quam pinguibus: abrogavit consequenter contrarias Iulii III., et Pii V. constitutiones modica beneficia eximentes a lege spolii realis, quas Gregorius XIII. Xysti praedecessor ea in re iam abrogaverat. Quandoquidem saepe contingit, ut plura unus beneficia retinens ex Apostolica dispensatione annuos redditus ex singulis quidem percipiat minores duc. 30, ex unitis vero summam longe maiorem spolio semper obnoxiam. Communis autem utilitas transactionis postulans perpetuam contributionis annuae stabilitatem absorbere visa est privatam aliquorum utilitatem, qui unicum quandoque beneficium tenue obtineant. Quod enim accidit raro, consueverunt legislatores praeterire (2).

LXIX. Quibus autem in locis nulla de spoliis transactio confecta est, nec annuae a Capitulis, et beneficiariis contributiones Camerae Apostolicae persolvuntur, nimirum in iamdictis quatuor dioecesibus Aquini, et Sorae, Sulmonis, et Valvae; inibi subcollectores pontificii adhuc spolia colligunt, exiguntque post obitum cuiusque Canonicorum, Abbatum, et beneficiariorum secundum pontificias constitutiones generales Pauli III; Iulii III; aliorumque Pontificum. Excipiuntur aliquot particulares tantum personae earumdem dioecesum, quae peculiarem pro se ipsis transactionem de spolio cum Camera Apostolica iniverint, eique nunc solventes conventam pecuniae quantitatem pro spolio composito congruam proventibus suis ecclesiasticis indulto fruuntur testandi, suosque heredes profanos liberant a iuribus Camerae super spolio reali post suam ipsorum mortem.

LXX. Regularium insuper extra claustra degentium bona omnia eis obeuntibus ad Cameram Apostolicam iure spolii pertinent. Quemadmodum et bona extantia per illicitam negotiationem a clericis quibuslibet qua saecularibus, qua regularibus quaesita (3). Fructus omnes beneficiorum, quae per confidentiam simoniacam obtenta sint (4). Praeterea si va-

(1) Id quod observat Card. de Luca *de benefic. disc.* 87. *num.* 4., scribens disceptatum in Curia Romana fuisse, an Fabritius Carafa Bituntinus Episcopus deberet spolii ratam Capitulo Capuano contribuere pro quadam abbatia de iurepatronatus Principis Ostiliani. Tum instaurata ea de re controversia, Cardinalis ipse de Luca Octavianum Carafa eiusdem abbatiae successorem defendens contra Capitulum Capuanum, censuit non contributionis onus penitus abiicere, sed excessum taxae oppugnare, illiusque reductionem petere.

(2) Ex Theophrasti sententia in *l. quod enim* 6. *D. de legibus.*

(3) Ex const. Greg. XIII. superius dicta *n.* 54.

(4) Ex Pii IV. const. superius relata *num.* 48. Videsis dicta *lib. IV. Inst. Canon. tit.* 16. *n.* 32., *et seq.*

catio acciderit ex retento beneficio incompatibili, fructus primi anni ex utroque beneficio obvenientes Camerae Apostolicae reservatos voluit Ioannes XXII. (1)

LXXI. Consanguineos clericorum heredes in dioecesibus compositis per duo iam saecula spoliis ecclesiasticis pacifice potitos, et frui hactenus, clericorumque dispositiones omnes testamentarias, et caussa mortis effectum suum sortitas ex oneroso indulto, vident omnes: quum virtute transactionum siluerint omnino lites innumerae: quae laicos una, et Clericos in obitu cuiusque beneficiarii vexabant quotidie. Enimvero populi, Clerique sentientes communem spolii compositi utilitatem studuerunt proficuas observasse transactiones bonum publicum foventes.

LXXII. At vero fructus pendentes beneficiorum, qui scilicet maturati fuerint, sed non exacti, vivente beneficiario, aut vacante beneficio maturescunt, ad spolia quidem non pertinent, neque sunt cum spoliis confundenda: tametsi ad successorem in beneficio, et Ecclesiam spectant (2), vel ad Cameram Apostolicam ex novis Pontificum constitutionibus. Nam utrique fructus, quos defunctus beneficiarius non fecerit perceptione suos, non iure spolii ad Ecclesiam devolvuntur, sed iure dominii ad consolidandum cum proprietate usum, vel usumfructum.

LXXIII. Sane fructus pendentes fundi pars esse videntur Caio (3). Ius autem percipiendorum fructuum, vel utendi fruendi ad heredem non transmittit tamquam personale, suisque ossibus infixum usuarius, vel fructuarius, cuius morte amitti usumfructum, et ius fruendi penitus extingui, sicut aliud quidpiam, quod personae cohaeret, explorata res est ex Ulpiani sententia (4). Idque locum obtinet, etiamsi maturis fructibus, sed ante collectionem, seu perceptionem illorum is decesserit, ex Pauli responso (5).

(1) Ex Io. XXII. const. extravag. in *cap. nonnullae* 12. *de praeb.*, *et dignit.*

(2) *Cap. quia de elect. in VI.*, *et cap. praesenti de off. Ord. in VI.*

(3) Caius in *l. fructus* 44. *D. de rei vindic.*

(4) Ulpianus in *l. sicut* 3. *§. ult. D. quib. mod. usufruct. vel usus amitt.*

(5) Paulus in *l. si fructuarius* 13. *D. eod. si fructuarius messem fecit; et decessit, stipulam, quae in messe iacet, heredis eius esse, Labeo ait: spicam, quae terra tenetur, domini fundi esse: fructumque percipi, spica, aut foeno caeso, aut uva adempta, aut excussa olea: quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta sit. Sed ut verum est, quod de olea excussa scripsit, ita aliter observandum de ea olea, quae per se deciderit. Iulianus ait* fructuarii *fructus tunc fieri, cum eos perceperit:* bonae fidei *autem* possessoris *mox, cum a solo separati sint.* His verbis Paullus conciliasse videtur adversantes Labeonis, et Iuliani sententias, distinguendo separationem operosam fructuum a solo fructuarii opera, vel per alium eius nomine factam, a fortuita separatione, quae casu, vel beneficio furis contigerit. Probatque, ut verum cum Labeone fructuum perceptionem ab usufructuario perfectam, statim ac eos a solo separaverit, vel opera sua, vel per alium, qui eius nomine sic perceperit: qui propterea fructuarius suam facit spicam caesam, etsi nondum ex ea frumentum trituraverit, uvam e vitibus ademptam, licet nondum ex uvis vindemiam coegerit, foenum caesum, licet nondum in horreo illud condiderit: namque percepisse revera fructus videtur usufructuarius, qui per semetipsum, vel per alium mandato suo illos excusserit, atque a solo separaverit. Secus vero sensit de fructibus casu, vel per se decidentibus, et separatis, quos fructuarius non facit suos, nisi suam in illis percipiendis operam praestiterit.

LXXIV. At bonae fidei possessor sine sua percipiendi opera fructus facit suos per quamlibet a solo separationem quoque fortuitam. Inanis ergo labor antiquatam excitare quaestionem, partesque adversas hinc, et hinc indistincte sustinere, quod faciunt in primis Azo, et Accursius super interpretatione Pauliani responsi (1). Siquidem Azo tenet sufficere simplicem a solo separationem fructuum tam in fructuario, quam in bonae fidei possessore, ut eosdem ad heredes transmittat, etiamsi suo in horreo non recondiderit. At Accursius (2) opinatur puram a solo separationem in possessore quidem bonae fidei sat esse: in fructuario secus, cui requirit etiam in horreo repositionem.

LXXV. Ex istis DD. concertationibus originem ducunt in re nostra dubitationes in dividendis fructibus Ecclesiae maturis, sed non collectis inter profanos beneficiariorum heredes, et Ecclesiam, vel Cameram, et successorem in beneficio. Doctorum alii cum Redoano (3) disputant, an clericus potius debeat possessori bonae fidei, quam fructuario comparari. Alii autem communiter cum Glossa (4), et Calderino (5) sequentes praedictam Accursii opinionem, et comparantes beneficiarium usufructuario, non solam a fundo fructuum separationem requirunt, sed exigunt perceptionem ab ipso beneficiario, vel ab alio eius nomine consummatam, seu repositam in horreo: quoniam usufructuarius non vi possessionis, sed fruitionis, et perceptionis facit fructus suos (6).

LXXVI. Sed omnis dubitandi ratio recentioribus Pontificum constitutionibus submota est. Nam Iulius III. declaravit fructus Ecclesiarum, et beneficiorum collectos, vel exactos, et cum bonis profanis commixtos, et incorporatos tantum ad liberam beneficiariorum dispositionem, qui a Sede Apostolica obtinuerint indultum disponendi, spectare: fructus vero non exactos, non collectos, non commixtos ad Cameram Apostolicam esse reservatos (7). Requiritur ergo iuxta litteram Iulianae constitutionis nedum exactio, quae nudae fructuum a solo separationi aequatur: sed etiam commixtio, quae repositioni in horreo, perfectaeque collectioni respondet, ut valeat Praelatos vigore indulti pontificii de fructibus ab Ecclesia perceptis, et quaesitis disponere. Verum ex constitutionibus Innocentii XII. et Benedicti XIII. de fructibus exactis etiam inconsumptis, et incommixtis Episcopi disponunt in favorem Cathedralium, et parochiarum. Itaque ubi agitur de successione Cathedralium, et parochialium Ecclesiarum ad fructus collectos non requiritur commixtio iuxta expressas Innocentii, et Benedicti constitutiones: secus ubi de dispositione a Praelatis facta in favorem consanguineorum, vel extraneorum vigore indulti.

LXXVII. Ex multiformi tamen rerum mixtura, quam distinguit Pomponius ob tria corporum genera (8), commixtio vel *vera*, vel *aequipollens*

(1) Paul. in *cit. l. si fructuarius.*
(2) Accurs. in *l. si fur D. usufruct. ver. percipiatur.*.
(3) Rodoan. *de spoliis cap.* 3. *num.* 22.
(4) Gl. in *cap. si propter ver. primi anni de rescript. in VI.*
(5) Calderin. *cons.* 2. *de pecul. clericorom.*
(6) Card. de Luca *disc.* 81. *de benef. num.* 10., *et seqq.*
(7) Iul. III. in bullis iam expositis.
(8) Pompon. in *l. rerum mixtura* 30. *D. de usurp*, *et usucap. Tria autem genera sunt corporum*, ait. *Unum*, *quod continetur uno spiritu*, *et graece* ηνω-

esse potest. *Vera*, seu materialis dicitur, quoties nequit in defuncti clerici patrimonio discerni, unde fructus obvenerint, ex Iavoleni definitione (1). Ubi Gothofredo videtur immixtio habere vim consumptionis. *Aequipollens*, seu formalis dicitur, quoties in horreo vel suo, vel alieno repositi ab ipso beneficiario sint fructus, quamvis iidem ipsi revera extent seorsim, vel ad eiusdem manus reapse pervenerint, vel pecunia in banco deposita extet adhuc in faciem ipsius beneficiarii cum libertate disponendi sine reali mixtura. Istamque sufficere ad Iulii III. mentem implendam, censuit Rota (2). Ideoque pecuniam a conductoribus, et inquilinis Ecclesiae exactam, atque in banco in faciem beneficiarii depositam, licet extantem, quemadmodum et fructus plene perceptos, et extantes in horreis, nondum consumptos sub spolio comprehendi, quatenus de iis recte disponat Praelatus, indultum habens disponendi: alias eo indultum non obtinente, ad Ecclesiam, vel Cameram devolvuntur (3).

LXXVIII. Collecti autem, sed in eodem solo adhuc existentes ad successorem, vel Ecclesiam, vel Cameram indefinite pertinent in beneficiis tam habentibus, quam non habentibus adnexam curam animarum. Et quamvis in beneficio curato dividi fructus pendentes pro rata inter praedecessoris heredes, et successorem in beneficio censuissent Covarruvias (4), Parisius (5), aliique, attamen Cardinalis de Luca (6) testatur minime admissam in praxi distinctionem eiusmodi beneficiorum in puncto iuris probabilem, ex qua beneficiarius curatus marito potius, quam usufructuario comparetur, transmissurus heredi suo portionem fructuum ex caussa onerosa pertinentium, instar fructuum dotalium, qui soluto matrimonio inter mariti heredes, et uxorem dividuntur pro rata temporis, quo matrimonium stetit sine distinctione perceptorum, vel inexacto-

μενον unitum *vocatur*, *ut homo*, *tignum*, *lapis*, *et similia. Alterum quod ex contingentibus*, *hoc est pluribus inter se cohaerentibus constat*, *quod* συνημμενον, *idest* connexum *vocatur*, *ut aedificium*, *navis*, *armarium. Tertium quod ex distantibus constat*, *ut corpora plura non soluta*, *sed uni nomini subiecta veluti populus*, *legio*, *grex*.

(1) Iavolenus in *l. si alieni* 78. *D. de solut.*

(2) Rot. coram Io. Bapt. Coccino *dec.* 476., et Card. de Luca *dis.* 81. *de beneficiis num.* 13.

(3) Calder. in *cons.* 2. *de pecul. cleric.* ad rem hanc quinque casus distinxit. I: scilicet de beneficiario moriente fructibus separatis, sed in area, vel campo iacentibus. II: fructibus a colono reconditis, sed nondum beneficiario traditis. III: fructibus beneficiario adsignatis, sed nondum consumptis. IV: fructibus a solo separatis, et a colono reconditis, sed minime traditis beneficiario mortuo, postquam cesserit, sed antequam venerit dies solutionis, qui mensem unum, vel plures concessisset colono ad fructus consignandos, vel pretium solvendum: V: denique moriente post elapsum quoque terminum dilationis, fructibus in specie ipsa, vel in pecunia minime solutis. Ex quibus in *cit. decis.* tertium casum tantummodo excepit de fructibus perceptis nondum consumptis, quos clericus indultarius fecit suos, et ius quaesivit disponendi, ac transmittendi ad profanos heredes: in aliis vero casibus fructus inexactos haberi, atque ad Ecclesiam, vel successorem declaravit inspecto Iure communi spectare, vel novo Iure ad Cameram.

(4) Covarruvias *lib.* 1. *ver. cap.* 14. *num.* 12.

(5) Parisius *lib.* 1. *de resignat. qu.* 6. *in fin.*

(6) Card. de Luca *disc.* 100. *de benef. num.* 10.

rum, quum marito cedant propter onera matrimonii compensanda, non ob simplex perceptionis lucrum (1).

LXXIX. Inde patet, cur hoc in Regno Neapolitano super omnibus regulariter Ecclesiis nedum Cathedralibus, et abbatiis nullius dioecesis, verum etiam parochialibus, praebendis, canonicatibus, et quibusvis beneficiis quoque simplicibus Camera Apostolica percipiat fructus pendentes, itemque vacationis tempore obvenientes, quos generalis spoliorum transactio non complectitur ex supradictis. Quoties propterea contingunt Ecclesiarum, beneficiorumque vacationes, Nuntiaturae commissarii, seu subcollectores in sua quisque dioecesi sequestrum ex officio imponunt fructibus eorumdem universis, eosque satagunt mox durante vacatione, quoad valent, percipere pro Camera Apostolica, ac rite vendere sub hasta sine fraude, rationem de iis Nuntio pontificio, eiusque officialibus reddituri (2). Sed mora debitorum frequentissima, et solutionum diebus cedentibus, et venientibus post possessionem a novis beneficiariis captam fit, ut Nuntiaturae tribunal tam inexactos, quam tempore vacationis maturatos fructus ad Cameram Apostolicam spectantes numquam integre colligat per suos commissarios, sed vix tertiam eorumdem partem.

LXXX. Mos quippe inolevit, ut Nuntius Apostolicus eosdem utriusque generis fructus camerales transactione consueta, vel heredibus decedentium clericorum, vel successoribus beneficiariis, Praelatisve cum ea ipsa transigentibus dimittat sub conditione solvendi Camerae Apostolicae certam pecuniae summam arbitrio ipsius Nuntii definiendam, quae tertiam fere partem fructuum cameralium numquam excedit. Et quoties fructus iidem deductis oneribus ducatos decem monetae huius Regni non excedant: eos tunc condonat integros postulanti cuique vel heredi, vel successori rescribens: *oret pro Sanctissimo*. Saepe fit etiam, ut Romanus ipse Pontifex alicuis Capituli, Clerique, vel novi Praelati precibus indulgens ratam eorumdem fructuum cameralem in tribunali Nuntiaturae aut liquidatam, aut liquidandam per litteras Thesaurarii pontificii condonet ex toto, vel ex parte, ut erogetur in restaurationem ipsius Ecclesiae vacantis (3). Ut manifestae pateant camerales ratae, Commissarii Nuntiaturae per dioeceses constituti de singulis beneficiorum vacationibus certiorem

(1) Ulp. in *l. fructus* 7. *D. soluto matrim.*, *et l. un.* §. *cumque C. de rei uxoriae actione.*

(2) Paulus V. die 23. Aprilis 1610. sanxit, in venditionibus rerum ex obvenientibus ad Cameram spoliis, ut fiant edicta publica, et plus offerenti sub hasta publica vendantur, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, aliisque poenis arbitrio Nuntii infligendis. *Prohibemus*, inquit Papa, *ne subcollectores, commissarii, auditores, vel alii officiales, et ministri quicumque tribunalis ipsius Nuncii, minusque ipsius* consanguinei, *vel* affines in *primo vel secundo gradu.* *aut* familiares *tam Nuntii praedicti, quam aliorum praedictorum dicti tribunalis per se, vel suppositam personam bona, et res spoliorum huiusmodi emere praesumant. Si quid autem contra quomodocumque attentatum fuerit, illud ex tunc* irritum, *et* inane *decernimus, ac eosdem ad omne, et qualecumque damnum, et interesse, quod Cameram propterea pati contigerit, teneri volumus.*

(3) Id quod pontificia liberalitate Bened. XIV. usu iam viguisse testatur Pontifex idem in const. *pastoralis* art. 4.

cito faciunt Nuntium Apostolicum: mox acceptis ab eo litteris relationem fructum iubentibus, referunt omnes vacantis Ecclesiae, aut beneficii fructus, et onera cuncta, explicando propria messis, seu collectionis naturalis tempora peculiaria, moribus locorum constituta, diesque a partibus condictos ad solvendum civiles fructus locationum, seu pensionum, annuosque redditus (1). Inde ratiocinator Nuntiaturae supputans ratas ad Cameram spectantes, deductis oneribus, puram putam earum summam colligit. Eaque vis Nuntius ipse rescribit, quod ex ea summa *solutis Camerae ducatis* tot *infra mensem*, qui vel aequant tertiam, vel infra eam sunt suo boni viri arbitrio, reliqui fructus omnes camerales in commissarii relatione descripti *relaxentur* oratori. Tandem soluta Camerae depositario pecunia designata, solutisque simul taxis consuetis officialium, dantur a Nuntio litterae ad commissarium tollentes sequestrum, et perfectam promulgantes transactionem.

LXXXI. In Ecclesiis vero Cathedralibus regiae nominationis res aliter se habet. Fructus enim pendentes, totoque vacationis tempore obvenientes per oeconomos regios colliguntur, et successoribus reservantur, subductis oneribus, praetereaque ducatis centum, qui persolvuntur in singulis istarum vacationibus huic regiae Studiorum Universitati, et centum aliis ducatis pro cuiusque collectoris oeconomi stipendio. Idem quoque servatur quoad inferiores Ecclesias, abbatias, et beneficia de patronatu regio, vel feudali Baronum ex vetustissimis praesertim clausulis regii placiti supra memoratis.

LXXXII. Si tamen beneficium, aut Ecclesia per resignationem vacaverit, inexactos, et pendentes fructus resignans poterit sibimetipsi reservare: alias praesumitur eos ipsi etiam resignatario dimisisse una cum renunciato beneficio: sibique tunc imputet, cur illos ipse non sibi reservaverit (2). Nam Pius IV. fructus beneficiorum per *cessum* vacantium Camerae attribuere noluit (3). Hoc tamen in Regno successoribus ad beneficia resignata exigere non permittit Nuntiaturae tribunal tam fructus pendentes, et inexactos, quoties neglexerit resignans eos sibi reservare, quam ratam aliorum fructuum, et naturalium, et civilium a die admissae per Summum Pontificem resignationis usque ad possessionem successorum: nisi transactionem ipsi antea postulaverint, et obtinuerint ab eo, et solverint Apostolicae Camerae tertiam deductis oneribus partem, vel aliam arbitrio Nuntii transigentis condictam summam.

LXXXIII. Divisionem fructuum pendentium inter Ecclesiam, vel Cameram Apostolicam, et successorem perinde faciendam esse, ac fructuum praediorum dotalium, tradit Card. de Luca (4) pro rata quidem temporis, annum computando a die, quo terra incipit fructus concipere natu-

(1) Formam, et methodum eiusdem relationum videsis in *cit.* libello *instructionum pro subcollectoribus, et commissariis* Archiepiscopi Carthaginensis Iosephi Lucatelli Sedis Apostolicae Nuntii, typis Mutianis recuso Neapoli an. 1760.

(2) Card. de Luca *disc.* 84. *de benef. num.* 5.

(3) Pius IV. in *const.* superius relata 48. Ad Episcopum dimittentem fructus Ecclesiae dimissae usque ad diem admissae resignationis pertinere, postea secus, multis probat Rigantius *to.* 1. *in Reg.* 2. §. 3. *num.* 18., *et seq.*

(4) Card. de Luca *disc.* 100. *de benef. num.* 4., *et* 24.

rales, frumentum scilicet, ac fruges initio Septembris, vinum Novembris, oleum, et fructus hyemales Decembris, herbae aestivae Aprilis, hyemales Octobris. Sicubi autem celerius, vel tardius ii producuntur, conditio illius regionis ab aliis varians spectanda est (1). *Utique in fructibus a viro retinendis, neque dies dotis constitutae, neque nuptiarum observabitur: sed quo primum dotalis praedii tradita possessio est*, respondit Ulpianus (2). Igitur ante diem possessionis suae nullos suo iure fructus novus beneficiarius percipit ex praediis beneficiariis, perinde ac vir ex dotalibus praediis: sed pendentes dividit cum Camera Apostolica, vel Ecclesia. Quoties autem fructus in uno, eodemque anno vacationis partim naturales, partim civiles colligantur ex iisdem praediis: confundendi tunc utriusque sunt, nimirum fructus integri ex dotali praedio collecti naturaliter cum civili eiusdem locati praedii pensione instantis anni exigenda insimul aggregantur, ut quota ex utriusque pro ratione temporis, et confusarum quantitatum exinde viro dotis fructuario contribuatur secundum regulam a Papiniano traditam (3). Sed nullius ea usus est inter novos beneficiarios et Cameram, vel Ecclesiam, quae integros praeteriti anni fructus a morientibus beneficiariis non collectos, nec exactos quum naturales, tum civiles sibi vindicat. *Illos enim fructus, quos mulier percepit, antequam nuberet, non debere in contributionem venire*, Ulpianus respondit (4). *Quod in anno dicitur, potest dici et in sex mensibus, si bis in anno fructus capientur: ut est in locis irriguis. Et in pluribus annis idem dici potest, ut in sylva caedua*, ex eiusdem Iureconsulti sententia (5). Civiles vero fructus, qui videntur singulis diebus decurrere, ac percipi, fructuario, eiusque heredi adquiri pro rata dierum, quibus mansit ususfructus, sequentium dierum ratas ad proprietarium transire, Ulpianus etiam docet (6).

LXXXIV Fructus eos esse constat, qui deducta impensa supererunt (7).

(1) Ex cit. Instruct. Subcollect. *num.* 16.

(2) Ulp. in *l. de divisione* 5. D. *solut. matr.*

(3) Papinianus ab Ulpiano laudatus in *l. fructus* 7. §. 1. *D. soluto matr. quemadm. dos petat.* « Divortio facto fructos dividi ait, non ex die locationis, sed » habita ratione praecedentis temporis, quo mulier in matrimonio fuit. Neque enim » si vindemiae tempore fundus in dotem datus sit, eumque vir ex Kal. Novemb. » primis fruendum locavarit, mensis Ianuarii suprema die, facto divortio, retinere virum, et vindemiae fructus, et eius anni, quo divortium factum est, » quartam partem mercedis aequum est: alioquin, si coactis vindemiis altera die » divortium intercedat, fructus integros retinebit. Itaque si fine mensis Ianuarii » divortium fiat, et quatuor mensibus matrimonium steterit, vindemiae fructus, » et quarta portio instantis anni confundi debebunt, ut ex ea pecunia tertia portio viro relinquatur. » Hunc textum explicant Cuiacius *lib.* 4. *feudor. cap.* 30., et Perezius ad *tit. C. soluto matr. num.* 11. Eamdem proportionis regulam praedocuit Euclides *lib.* 7. *reg.* 13., ubi eamdem esse, ait, rationem confusorum antecedentium, puta 12. ✠ 3. = 15. ad confusa consequentia 4. ✠ 1. = 5., quae cuiusque antecedentis est cum suo consequenti, puta 12., ad 4., vel 3. ad 1.

(4) Ulp. in *cit. l. fructus* 7. §. 4.

(5) Ibidem §. 6., *et* 7.

(6) Ulp. in *l. sed etsi quid.* 25. §. 2., et Paulus in *l. si* operas 16. *D. de usufructu.*

(7) Ulpian. in *dict. l.* 7. *D. solut. matrim.*

Ideo reficere impensas culturae, et fructuum gratia factas debet Ecclesia, vel successor, vel Camera super fructibus ex vacante beneficio obvenientibus, vel eas exinde detrahet profanus indultarii Praelati heres, simul, et debita ipsius (1). *Ubi ex privilegio*, ait Bonifacius VIII., *vel consuetudine, seu alia de caussa rationabili sibi aliquis asserit bona competere supradicta Ecclesiae vacantis, hoc de illis bonis solum debet intelligi, quae solutis debitis, si qua sunt, et iis, quae fuerint necessaria pro servitoribus, et ministris, ac incumbentibus* oneribus *usque ad novos redditus supportandis, congrue reservatis, ex ipsis reperta fuerint superesse* (2). Tum Iulius III. generatim statuit ex fructibus beneficiorum inexactis, et pendentibus, si aliunde ex aliis ipsorum beneficiariorum bonis solvi non possint, persolvenda esse debita omnia decedentium beneficiariorum (3).

LXXXV. Dubitari exinde contingit, utrum ea etiam debita, quae ante praelaturam, et possessionem Ecclesiae, vel quovis tempore sint sine ulla utilitate Ecclesiae, et beneficii contracta, debeat successor, vel Camera Apostolica persolvere? Sed sententia negans usu invaluit. Nam pro Ecclesiae necessitate, vel utilitate solum contracta praedecessoris debita solvere ex fructibus ecclesiasticis successorem debere, non secus, quam filius debita patris, Alexander III. rescripsit (4). Aes proinde alienum in primis pro substentatione Praelati, seu in eius alimenta, vestes, valetudinem, et similia impensum aestimatur pro necessitate, vel utilitate Ecclesiae acceptum. *Nam cibariorum impensae*, ait Caius, *naturali ratione ad eum pertinent, qui utendum accepisset hominem* (5). Et Ecclesia eam ob rem suis altari inservientibus Clericis, proventus altaris, unde vivant, largitur (6). 2: pro tuendis Ecclesiae iuribus, et negotiis legitime promovendis (7). 3: pro remuneratione impensi obsequii quidquid promiserint Episcopi de proventibus ecclesiasticis, id totum oportet eos solvere (8); quale est honorarium advocati ob patrocinium defuncto Praelato praestitum, et salarium famulorum, quod infra annum a morte Praelati computandum petatur super spolio (9). 4: pro impetratione quoque dignitatis, vel beneficii, et pro bullarum expeditione, vel pro negotio electionis instruendo, et exequendo: quum in eiusmodi rebus Ecclesiarum suarum persequi utilitatem censeantur (10). Quidquid ergo pro utilitatibus Ecclesiae clericus expenderit, aut dispendii, vel detrimenti pertulerit, totum ex rebus Ecclesiae reficiendum censuit Concilium Bracarense III. (11).

LXXXVI. Versio autem aeris alieni in utilitatem Ecclesiae, antequam fiat solutio, probanda est. Contrahentes ideo cum Praelatis, et beneficia-

(1) Ex Paullo in *l. Titius Maevio* 5o. *D. de usufr.*
(2) Bonif. VIII. *in cap. praesenti de offic. Ord. in VI.*
(3) Iul. III. in dict. bull. *cum sicut nobis*, aliaque incipiente *dudum.*
(4) Alexander III. in *cap.* 1. *de solutionibus.*
(5) Caius in *l. rebus* 18. §. 2. *D. commodati.*
(6) *Cap. cum secundum* 16. *de praebendis.*
(7) *Cap. cum pro caussa* 6. *de procuratoribus.*
(8) *Can. quicumque C.* 12. *qu* 2.
(9) Ex const. Paulli III. *cum sicut nobis* die 21. Aprilis 1545., et Redoan. *qu.* 10. *num.* 33.
(10) *Cap. cum non deceat* 3o. *de electione*, et Redoan. *d. qu.* 10. *n.* 37.
(11) Conc. Bracaren. III. in *can. quicumque C.* 12. *qu.* 4.

riis, praesertim qui mutuam illis dant pecuniam, satagere debent, ut ea in utilitatem Ecclesiae convertatur; id enim nisi constiterit, Ecclesiam nequibunt ad satisfactionem compellere (1). Idem quoque dicendum de iis, qui res, vel pecunias deposuerint in manibus clericorum. Ex hisce iuribus consequitur alia clericorum debita praeter Ecclesiae utilitatem contracta, et quae in ipsius utilitatem cessisse non constiterit, neque a successore, neque a Camera esse persolvenda tam super ecclesiasticis bonis spoliorum, quam super fructibus Inexactis, ac pendentibus, et vacationis tempore obvenientibus. Siquidem iure peculii potius, quam hereditatis titulo, Ecclesiae vel Camera, vel successor spolia Clericorum, ut bona intuito Ecclesiae quaesita percipiunt (2). Et quoniam ex contractibus, negotiisque gestis filiorum familias non datur in patrem actio, nisi iussu patris gestum negotium sit, vel in ipsius utilitatem res versa, vel denique in quantum vires peculii suppetant (3): dicendum est, nisi aes alienum decedentium Praelatorum ostendatur cum adsensu apostolico rite acceptum fuisse ob necessitatem Ecclesiae, vel redundasse in eius utilitatem, peculii ecclesiastici vires omnino defecisse per eorum obitum. Quia beneficiarii omnes mortis tempore instar usuariorum habentur, quibus Ecclesia morientibus administrationem peculii ecclesiastici omnino adimit (4).

LXXXVII. Tametsi Lucius III. rescripsit, quod debita profana, et fideiussiones quoque a clericis praestitas debeant ii persolvere, unde praxis mandavit sequestro dandi redditus etiam ecclesiasticos, instantibus quibuslibet creditoribus (5): nihilominus decretalis isthaec locum obtinet non utique post mortem beneficiariorum, sed ipsis (ut littera textus palam ostendit) viventibus, qui fructus faciunt suos, utque suos distrahunt, quoadusque sua ipsorum duret administratio, et concessio peculii ecclesiastici. Quod ergo ius quaesiverunt creditores clericorum, permittente Ecclesia super fructibus, et peculio ecclesiastico, experiantur in iudicio contra viventes debitores, et quod sibi debetur, persequantur in tempore opportuno. Mortuis enim clericis peculium eorum evanescit, et Ecclesia res suas vindicando iniuriam creditoribus profanis nullam infert, suo dum ea iure utitur: nec lucrari quidpiam videtur eorum iactura, dum nihil utilitatis ex ipsorum pecunia sensit. Si tamen clericis Ecclesia, seu Apostolica Sedes iudultum testandi, vel ad profanos heredes transmittendi bona intuitu Ecclesiae quaesita concesserit: haeres omnia quaevis debita exolvet ex fructibus, quos defunctus clericus fecerat suos. Nam creditore beneficiarii nullum super fructibus ecclesiasticis ius habere dicitur, donec non fuerint a solo separati, et collecti, et commixti: et nonnisi postquam beneficiarius eosdem fecerit suos, adquirunt hypothecam super illis, tamquam bonis privatis, et saecularibus, quae sunt in commercio (6) (*).

(1) *Cap. quod quibusdam* 4. *de fideiussoribus.*
(2) *Cap. gratis* 1. *de deposito.*
(3) Caius in *l.* 1., et Ulpian. in *l.* 2. *D. quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicatur.*
(4) Ex supradictis *cap.* 17. *n.* 23.
(5) Ex supradictis eodem *cap.* 17. *n,* 8.
(6) Card. de Luca *de pensionibus disc.* 9. *num.* 2.
(*) Concordatorum lege an. 1818. art. XVII. constitutum:
I. Quod dioecesanae Administrationes in qualibet Episcopali, vel Metropoli.

Haec satis ad huius opusculi secundas, aegro quidem animo susceptas curas, multum, et saepe intermissas, vix hodie tandem deposito calamo emancipatas. Priorem ipsiua formam si tenuem, et rudiorem usque modo boni, et aequi non despexistis: futurum inde spes mihi aliqua subest, ut hanc triplo maiorem quoad aenescentes iam, pluribusque intentae vires tulerunt, subsecivis horis expolitam, accipietis aequiores. Neap. Kal. Iun. 1765.

tana Ecclesia constituendae ferent, suppresso iam Monte frumentario, sive regia administratione spoliorum, et reddituum Mensarum episcopalium, Abbatiarum, ac aliorum titulorum.

II. Cautum Administrationes easdem duobus Canonicis constare, qui tertio quoque anno a Capitulis per soffragiorum pluralitatem essent eligendi, ac renovandi: nec non regio Procuratore ab Augustissimo Utriusque Siciliae Rege Nostro designando.

III. Sancitum, quod cuivis Dioecesanae Administrationi Episcopus, vel eius Vicarius generalis praeesset: in Ecclesia vero viduata Pastore Vicarius Capitularis.

IV. Taudem decretum, quod servata dimidia parte reddituum Mensarum episcopalium pro eligendo earumdem Antistite fructus percepti ex titulis vacantibus, in Ecclesias ipsas, Seminaria, hospitalia, aliosque pios usus erogari debeant.

FINIS

INDEX CAPITUM

CONSIGLIO GENERALE

DI

PUBBLICA ISTRUZIONE

RIP.° CAR.°

N.° 36.

Oggetto

Napoli 26 ottobre 1852.

Vista la domanda del tipografo Giosuè Vernieri, il quale à chiesto di porre a stampa l'opera intitolata *Tractatus de Beneficiis Ecclesiasticis Domini* Caroli Gagliardi *cum animadversionibus atque additamentis Ill. et Rev. Domini Iosephi Romani Episcopi S. Angeli Lombardorum et Bisacciensium.*

Visto il parere del Regio Revisore D. Alessandro Gualtieri.

Si permette che la suindicata opera si stampi; però non si pubblichi senza un secondo permesso che non si darà se prima lo stesso Regio Revisore non avrà attestato di aver riconosciuto nel confronto esser l'impressione uniforme all'originale approvato.

Il Presidente Int.°
FRANCESCO SAVERIO APUZZO

Il Seg.° Int.°
GIUSEPPE PIETROCOLA

COMMISSIONE ARCIVESCOVILE

PER LA

REVISIONE DE' LIBRI

Nihil obstat	Imprimatur
Padre M. Fr. Ludovico Soreca	*Pel Deputato*
Revisore	Leop. Ruggiero *Seg.*







